Digitized by the Internet Archive
in 2025

https://archive.org/details/tractatusdesacra0000hpla

TRACTATUS

DE SACRAMENTO

PŒNITENTIÆ.

IMPRIMATUR.

—

Brugis, 9 *Maii* 1894.
P. DEBRABANDERE, Vic. Cap.

TRACTATUS

DE

SACRAMENTO

PŒNITENTIÆ

AUCTORE

H. P. LAHOUSSE

CAN. ECCL. CATHEDR. BRUG., S. T. L. UNIV. LOVANIENSIS, THEOLOGIÆ MOR. PROFESS. IN SEMIN. BRUGENSI.

ALMA COLLEGE
236.4
LIBRARY
L139
Alma, California

4556

BRUGIS
EX OFFICINA TYPOGRAPHICA VERBEKE-LOYS
1894

LIBRAIRIE - ART
FIRME CH. BEYAERT
BRUGES (Belg.)

ERRATA.			CORRIGE.
Pag. 14	lin. 1	materiam confessionem	materiam confessionis
» 54	» ult.	quando ipus aliquis affectus	quando alius aliquis affectus
» 57	» 22	d. 9. s. 14.	d. XI, s. 4
» 71	» 3	aut ex officio	aut aliquod sacramentum ex officio
» 97	» 15	et *sensibilis,*	et contritio *sensibilis,*
» 157	» 6	jam autem erat	jam antea erat
» 160	» 11	per longum tempus	post longum tempus
» 236	» 24	confessionem formalem	confessionem formaliter ingram

De Sacramento Pœnitentiæ.

1. Sacramentum pœnitentiæ purificationibus et expiationibus veteris legis præfiguratum, et variis nominibus insignitum (1), definiri potest : *Sacramentum a Christo Domino institutum, in quo peccata post baptismum commissa per sacerdotalem potestatem remittuntur* (Catech. diœc.), vel : *sacramentum a Christo Domino institutum, in quo peccatoribus contritis ac confessis, per judicialem sacerdotis sententiam confertur gratia remissiva peccatorum post baptismum commissorum* (Theol. Mechl.).

Summa doctrinæ catholicæ circa Sacramentum pœnitentiæ refertur in decreto conc. Flor. seu Eugenii IV *pro instructione Armenorum* (2), et in conc. Trid. Sess. XIV,

(1) Hoc sacramentum dicitur sacramentum *pœnitentiæ* et *confessionis* vel simpliciter *Pœnitentiæ* et *Confessio*, ab actibus pœnitentis ; *manuum impositio* reconciliatoria, a ritu quo olim identitem administrabatur ; *sacramentum reconciliationis*, quia hominem Deo reconciliat ; a Trid. Sess. 6, can. 29, et sess. 14; c. 2, *secunda post naufragium tabula* ; quam metaphoram explicat S. Th. p. 3, q. 84, a. 2, et Cat. Rom. de Pœn. Sac. n. 4 ; Baptismus scilicet est prima tabula quam in communi originalis peccati naufragio arripuimus. Alii aliter hanc metaphoram explicant.

(2) « Quartum sacramentum est pœnitentia, cujus quasi materia sunt actus pœnitentis, qui in tres distinguuntur partes. Quarum prima est cordis contritio ; ad quam pertinet ut doleat de peccato commisso cum proposito non peccandi de cætero. Secunda est oris confessio ;

in quo per varia capita doctrina catholica exponitur, et qnoad magnam partem in subsequentibus canonibus definitur.

Tripartita erit tractatio de Sacramento Pœnitentiæ : prima pars considerabit sacramentum pœnitentiæ universim spectatum ; secunda erit de ejus subjecto, seu de actibus pœnitentis ; tertia de ejusdem ministro.

PARS PRIMA.

De Sacramento Pœnitentiæ universim spectato.

Quadruplex erit caput : 1^m^ de veritate sacramenti pœnitentiæ, 2^m^ de ejus natura intrinseca seu essentia, 3^m^ de ejus necessitate, ac 4^m^ de ejus efficacia.

CAPUT I.

DE VERITATE SACRAMENTI PŒNITENTIÆ.

2. Doctrina catholica de fide definita a Conc. Trid. docet *Pœnitentiam* (seu ritum illum quo christiani pœnitentes et peccata sacerdoti confessi ab eodem absolvuntur), *esse vere ac proprie sacramentum pro fidelibus quoties post baptismum in peccata labuntur, ipsi Deo reconciliandis, a Christo Domino institutum* (sess. XIV, can. 1.), *illudque sacramentum a baptismo esse distinctum* (ib. can. 2).

---

ad quam pertinet, ut peccator omnia peccata, quorum memoriam habet, suo sacerdoti confiteatur integraliter. Tertia est satisfactio pro peccatis secundum arbitrium sacerdotis ; quæ quidem præcipue fit per orationem, jejunium et eleemosynam. Forma hujus sacramenti sunt verba absolutionis, quæ sacerdos profert, cum dicit : *Ego te absolvo.* etc. Minister hujus sacramenti est sacerdos habens auctoritatem absolvendi vel ordinariam vel ex commissione superioris. Effectus hujus sacramenti est absolutio a peccatis. »

Pœnitentiam esse verum ac proprie dictum legis novæ sacramentum probatur contra novatores sæc. XVI (1).

1° *Ex Sac. Script.* Joan. XX, 21 et seqq. Christus a mortuis suscitatus Apostolis apparens inquit : 21 « *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos.* 22 *Hæc cum dixisset, insufflavit et dixit eis : Accipite Spiritum sanctum* : 23 *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt.* »

His verbis Christus Ecclesiæ perpetuam contulit potestatem ad remittenda peccata, ritu externo exercendam ; atqui exercitium hujus potestatis ritu externo peractum constituit verum sacramentum ; ergo etc.

Prob. Maj. Hisce verbis Ecclesiæ collatam fuisse perpetuam potestatem remittendi peccata, constat 1° ex authentica hujus loci interpretatione per Trid. Conc. (2). et ex universorum patrum consensu (3). Constat 2° ex

---

(1) Montanistæ et novatiani, si potestatem Ecclesiæ remittendi peccata et sacramentum pœnitentiæ penitus non negarunt, ab iis tamen certo excipiebant graviora quædam crimina, ut idololatriam, homicidium, adulterium, quorum remissionem a Deo per internam virtutem pœnitentiæ solum impetrari posse contendebant. Novatianos damnavit Conc. Rom. sub Cornelio P., a. circiter 255. Sacramentum pœnitentiæ aperte negaverunt pseudo reformatores sæculi XVI. Lutherus tamen timide et inconstanter processit, ex quo factum est usum confessionis in nonnullis ecclesiis lutheranis, præsertim in Suecia permansisse. Liber liturgicus anglicanorem exhibet formam absolutionis pro infirmis qui confessionem spécialem instituunt, et schola Oxoniensis frequentiorem confessionis usum commendat. Cæterum, hæreticalis protestantium doctrina de sola fide justificante, destruit genuinam et catholicam sacramenti pœnitentiæ notionem.

(2) Sess. XIV, can. 3 « Si quis dixerit verba illa Domini Salvatoris : Accipite Spiritum sanctum etc., non esse intelligenda de potestate remittendi et retinendi peccata in Sacramento pœnitentiæ ; *sicut Ecclesia catholica ab initio semper intellexit :* detorserit autem contra institutionem hujus sacramenti, ad auctoritatem prædicandi evangelium, anathema sit. »

(3) Ibid. cap. I dicitur *universorum Patrum consensum* sic intellexisse verba evangelica. Eorum plura testimonia refert Bellarminus.

exegetica illius interpretatione : « *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos* » legatos meos ad hominum salutem procurandam. Post grandia hæc verba quæ portendunt aliquid prorsus singulare ac divinum Apostolis communicandum esse, Christus in eos « *insufflavit*, » symbolica hac actione significans se reapse præstare eis id quod verba sua subsequentia : « *Accipite Spiritum sanctum*, » præ se ferebant ; « insufflatione nimirum, quæ est externa quædam corporei spiritus datio, monstravit ingeri a se intro in animos eorum incorporeum Spiritum sanctum. » Luc. Brug., in h. l. Quo autem effectu et quem in finem ipsis conferat Spiritum sanctum, statim declarat dicendo : « *Quorum remiseritis peccata,* » etc. Ipsis igitur contulit charisma seu donum gratis datum Spiritus sancti quo possent peccata remittere. Quamquam peccatum in Scripturis identidem de pœna peccati dicitur (2 Mach. X, 46), hoc tamen loco significari non potest remissio solius pœnæ temporalis, sive ex Dei justitia peccatis debitæ, sive ab Ecclesia inflictæ ; nam id quod ab Apostolis remittitur, ab iisdem dicitur posse retineri, ita quidem ut ipsis retinentibus maneat semper coram Deo retentum ; quod de sola pœna temporali dici nequit. Igitur intelligenda est remissio culpæ, et mediate pœnæ æternæ quæ necessario consequitur remissionem culpæ mortalis. Quamvis autem sub nomine peccati, ex consueto scripturæ usu plerumque intelligatur peccatum mortale, hoc tamen loco peccata etiam levia intelliguntur ut remissibilia per potestatem remittendi, quin tamen necessario eidem subjicienda sint, ut traditione docemur.

Quod vero potestas remittendi peccata perpetuo perdurare debeat in legitimis Apostolorum quoad hanc potestatem successoribus, i. e. *sacerdotibus*, perspicuum fit ex eo quod Christus illam contulit in commodum fidelium qui post baptismum peccaverint ; et etiam evincitur ex perpetuitate ministerii apostolici in Ecclesia.

Potestatem remittendi peccata exercendam esse *ritu*

externo, constat tum ex praxi Ecclesiæ, tum ex ipsis verbis Christi : potestas enim a Christo concessa peccata remittendi eaque retinendi ac satisfactionem pro iis imponendi, non est arbitrario modo et pro lubitu exercenda, sed cognita causa per confessionem peccatorum, et cognita etiam dispositione peccatoris seu contritione, quæ ex lege evangelica necessaria est ad peccatorum remissionem. Præterea sententia absolutionis a peccatis debet esse sensibilis, ut natura judicii postulat, secus enim fideles scire non possent sibi peccata esse remissa.

Probatur Minor. Ritus externus ex divina institutione peccata mortalia remittens, quod quidem fieri non potest nisi gratiæ sanctificantis infusione, habet omnes proprietates constitutivas sacramenti ; hoc enim aliud non est quam ritus externus divinitus institutus gratiam sanctificantem significans et efficiens. Ergo ritus ille quo peccata remittuntur est verum et proprie dictum sacramentum.

2° Pœnitentiam esse verum ac proprie dictum sacramentum novæ legis probatur *Traditione*, quam testantur *a*) Patrum consensus, *b*) libri rituales Ecclesiæ orientalis et occidentalis in quibus ratio consignatur admininistrandi Sacramentum pœnitentiæ, *c*) Conc. Lat. IV, Florent., *d*) antiquissimus consensus Ecclesiæ latinæ et græcæ non catholicæ tantum sed etiam schismaticæ, et ipsarum sectarum orientalium, quarum aliquæ jam inde a sæc. V a Romana Ecclesia avulsæ sunt. Consensus ille antiquissimus Ecclesiæ in fidem sacramenti pœnitentiæ divinitus instituti, præscribens hæreticali negationi protestantium, evincit hanc doctrinam ex Christi et Apostolorum doctrina dimanare, tum *theologice* ex infallibilitate Ecclesiæ, tum *historice* et *polemice* ex impossibilitate novum dogma practicum sacramenti pœnitentiæ, quod multum difficultatis ac laboris sæpius annexum habet, introducendi contra avitam doctrinam et Apostolicam traditionem.

3. COROLLARIUM I. *Sacramentum pœnitentiæ a sacramento baptismi distinctum est.* De fide definitum est a

Conc. Trid. (1). Prob. *a)* Utrumque diversis in adjunctis et temporibus institutum est (2), alia sub materia et forma (Trid. sess. XIV, cap. 2). *b)* Baptismus semel tantum suscipi potest et sola peccata remittit ante baptismum commissa, pœnitentiæ autem sacramentum sæpius iterari potest et sola peccata remittit post baptismum commissa. *c)* Patres etiam accurate utrumque sacramentum distinguunt, et pœnitentiam vocant secundam post naufragium tabulam, post baptismum secundam spem et secunda subsidia, item baptismum laboriosum, propter adjunitas satisfactiones pœnales.

4. COROLL. II. Sacerdotes in sacramento pœnitentiæ vere *sunt judices ac judicialem sententiam remissionis aut retentionis peccatorum pronuntiant*, ideoque non exhibent nudum ministerium declarandi peccata esse remissa peccatoribus fiducialiter credentibus in divinam misericordiam, et annuntiandi iram divinam non credentibus. Est doctrina catholica declarata et definita a Trid. Conc. sess. XIV, cap. 5, 6, et can. 9, contra novatores sæc. XVI. Probatur ex ipsis verbis Christi etenim *a*) remissio (passiva) peccatorum dicitur fieri speciali potestate Spiritus sancti, et *b)* immediato nexu conjungitur cum actu remittendi ex parte Apostolorum, tanquam effectus cum causa, *c)* nec ullibi *remittere peccata* dicitur de annuntianda peccatorum remissione,

Nota 1) Potestas judicaria a Christo concessa com-

---

(1) Sess. XIV, can. 2, contra protestantes qui contendebant invectum a catholicis sacramentum pœnitentiæ aliud non esse quam baptismum mente recogitatum, qui quatenus fidem excitans in promissiones divinæ misericordiæ, peccata remittit.

(2) Christus Dominus, ait Conc. Trid. sess. XIV, cap. 1, « Sacramentum pœnitentiæ tunc *præcipue* instistuit, cum a mortuis suscitatus insufflavit in discipulos suos dicens: *Accipite spiritum sanctum*, etc. » ipso igitur die resurrectionis, ut refertur Joan. XX. Dicitur « *præcipue*, » quia idem sacramentum Matth. XVI, 19, et XVIII, 18 promittitur et quasi præordinatur.

plectitur potestatem *remittendi* et *retinendi* peccata : per priorem sacerdos pœnitentem solvit a reatu culpæ et pœnæ æternæ, si de mortali peccato agatur, et præterea a pœna temporali juxta dispositionem pœnitentis, sub onere tamen congruæ satisfactionis præstandæ pro peccatis remissis. Per potestatem retinendi peccata, sacerdos actu judiciali denegat remissionem peccati, ita ut pœnitens maneat obligatus illud peccatum subjicere absolutioni sacramentali pro illius remissione consequenda, et pœnas etiam imponit confitentibus (Trid. sess. XIV, can. 15). (1)

Nota 2) Solus Deus potest peccata remittere potestate principali et primaria, et solus Christus qua homo potestate exellentiæ ; sacerdos vero per absolutionem peccata remittit potestate instrumentali et ministeriali sibi a Christo communicata.

5. COROLL. III. *Ecclesiæ potestas judiciaria remittendi peccata baptizatorum* seu *potestas clavium* (2) *prorsus universalis est, tum respectu delinquentium tum respectu criminum, ita ut quœlibet peccata et quoslibet peccatores complectatur.*

Hæc doctrina, quam fide certam pronuntiat Suarez, probatur, 1° ex damnatione montanistarum et novatianorum (3) ;

---

(1) Sacramentum pœnitentiæ, etsi per modum judicii exercetur, multum tamen differt ab aliis judiciis, et inter alia *a*) ratione *modi*, quia in judicio sacramentali tota res secreto peragitur ac proinde pœnitens ipse est reus, accusator et testis, secus ac in aliis judiciis ; *b*) ratione *finis* ac *effectus*, nam judicium sacramentale intendit et efficit primario pœnitentis rei absolutionem a culpa et reconciliationem cum Deo, quamquam secundario aliqua pœna etiam imponitur, alia vero judicia primario intendunt punire reum, et secundario liberare innocentem.

(2) Potestas remittendi et retinendi peccata et pœnas imponendi in foro sacramentali pœnitentiæ, aptissime vocatur *potestas clavium* (Conc. Trid. sess. XIV, cap. 5), quia cælum aperit vel clausum retinet. Frequenter tamen eo nomine designatur suprema Petri ac Romani Pontificis auctoritas. De potestate clavium disserit S. Th. in suppl. q. 18.

(3) Novatiani, sec. 3 instaurarunt errorem Montani qui seculo præcedente docuerat quædam peccata graviora non posse remitti ab Ecclesia.

2° ex universalitate verborum Christi, nam ut scribebat S. Pacianus *ep.* 3 n. 12 : *Quæcumque solveritis, inquit* (Christus). *Omnino nihil excepit ; quæcumque, inquit, vel magna vel modica.* » Probatur 3° ex perpetua praxi Ecclesiæ Catholicæ quæ quibusvis peccatoribus rite dispositis omnia prorsus peccata remisit. 4° Doctrina opposita repugnat divinæ misericordiæ et virtuti passionis Christi. Cf. S. Thom. (1).

Ex hac illimitata efficacia potestatis clavium, infertur sacramentum pœnitentiæ *esse iterabile*, ita ut, juxta dotrinam Trid. Sess. XIV, cap. 2, « per sacerdotum sententiam non semel sed *quoties ab admissis peccatis ad ipsum pœnitentes confugerint, possint liberari.* » Ratio convenientiæ inter alias a S. Thom. affertur quod pœnitentia habet virtutem ex passione Christi, sicut spiritualis medicina, quæ frequenter iterari potest (p. 3. q. 85, a. 10).

Ut difficultatibus satisfiat, sequentia advertantur :

1) Verba quæ objiciuntur ex Matth. XIII, 31, Hebr. VI, 4, I Joan. V, 16, non respiciunt potestatem clavium, nec significant dari peccata irremissibilia, sed declarant de quibusdam

---

Illos damnavit Cornelius 6. in Syn. Romana. Novatiani inter hæreticos recensentur a S. Cypriano, ab Eusebio, a S. Epiphanio, a S. Augustino qui in Sermone altero de utilitate agendæ pœnitentiæ scribit : « *Fuerunt qui dicerent: quibusdam peccatis non esse dandam pœnitentiam et exclusi sunt de Ecclesia, et hæretici facti sunt. In quibuscumque peccatis non perdit viscera pia mater Ecclesia.* »

(1) p. III. q. 86, a. 1 : « Dicere quod aliquod peccatum sit in hac vita, de quo quis pœnitere non possit, erroneum est. Primo quidem, quia per hoc tolleretur libertas arbitrii. Secundo, quia per hoc derogaretur virtuti gratiæ qer quam moveri potest cor cujuscumque peccatoris ad pœnitendum... Quod autem secundo modo non possit per veram pœnitentiam aliquod peccatum mortale remitti, est etiam erroneum. Primo quidem, quia repugnat divinæ misericordiæ, de qua dicitur Joël, quod benignus et misericors est, et patiens, et multæ misericordiæ, et præstabilis super malitia : vinceretur enim quodammodo Deus ab homine, si homo vellet deleri, quod Deus delere non vellet. Secundo quia hoc derogaret virtuti passionis Christi, per quam pœnitentia operatur, sicut et cætera sacramenta.

peccatis, v.g. de blasphemia in Spiritum sanctum,de apostasia a fide, difficillime et rarissime agi pœnitentiam, non quidem ob defectum gratiæ sufficientis, sed ob obduratam malitiam voluntatis quæ gratiæ resistit eamque repudiat, et cui Deus in pœnam peccati uberiorem subtrahit gratiam. Cf. comment. Sac. Script. ad hæc loca.

2) Opinantur aliqui nonnullas ecclesias particulares sæc. II quorumdam criminum reis negavisse absolutionem; sed hic usus, si unquam alicubi exstitit (1), provenit ex rigore disciplinæ, non vero ex admisso defectu potestatis illa crimina remittendi, et contrarius fuit praxi Ecclesiæ universalis ipsiusque particularis Ecclesiæ Romanæ. Relapsis in atrociora peccata pro quibus expiandis solemnem pœnitentiam prius peregerant, hujus quidem iteratio denegabatur, quia ex Ecclesiæ disciplina solemnis pœnitentia semel tantum concedebatur, sed istiusmodi relapsis vere pœnitentibus ac dispositis non subtrahebatur sacramentum reconciliationis (2).

CAPUT II.

DE ESSENTIA SACRAMENTI PŒNITENTIÆ.

6. De sacramento pœnitentiæ agens ait Rit. Rom.: « Cum autem ad illud constituendum tria concurrant, materia forma et minister : illius quidem *remota materia sunt peccata*, *proxima vero sunt actus pœnitentis*, nempe *contritio*, *confessio* et *satisfactio*. *Forma* autem illa absolutionis verba : *Ego te absolvo*, etc. Minister denique est sacerdos habens potestatem absolvendi vel ordinariam vel delegatam. »

---

(1) Hæc enim quæstio non est eliquata ; non desunt enim qui negatam absolutionem interpretantur de reconciliatione publica et externa.

(2) Cf. Hurter, *Theol. dogm. comp.* Tract. IX, nn. 492 sqq. ; Palmieri, de *Pœnitentiæ Sacramento*, th. IX.

De ministro, qui est causa extrinseca efficiens sacramentum, agetur in tertia parte; heic ea tantum persequenda sunt quæ essentiam spectant sacramenti, seu materiam et formam; et primum quidem agendum de *materia remota* Sacramenti Pœnitentiæ, dein de ejus *materia proxima*, et demum de ejus *forma*.

ART. I.

De materia remota Sacramenti Pœnitentiæ.

7. *Prænota* 1. Materia remota sacramenti pœnitentiæ est peccatum circa quod sacramentalis actio versatur; et est materia *necessaria*, si peccatum ex lege divina confitendum est, seu clavibus i. e. absolutioni subjiciendum; *libera* vero, si absolutioni subjici potest, non tamen debet. Materia *sufficiens* ea dicitur quæ per seipsam sufficit ad absolutionem validam recipiendam, sive materia sit necessaria sive libera.

2. Peccatum dicitur remissum *directe* seu vi clavium seu absolutionis, quando in confessione declaratum per subsequentem absolutionem remissum fuit.

Peccato sic remisso opponitur *a)* peccatum remissum contritione perfecta vel sacramento vivorum bona fide suscepto, et *b)* peccatum *indirecte* remissum sacramento pœnitentiæ, peccatum scilicet quod absolutioni non subjectum fuit, sed tamen remissum fuit dependenter et consecutive ad peccatum directe remissum per absolutionem; ratione scilicet gratiæ sanctificantis quam infundit absolutio super peccata confessa, et quacum nullum in anima subsistere potest peccatum mortale.

8. Materia *remota* sacramenti pœnitentiæ sunt *peccata actualia quæcumque post Baptismum commissa*.

Constat ex ipsa natura sacramenti, quod totum, sive per actus pœnitentis sive per absolutionem, versatur circa peccata detestanda, destruenda (S. Th. p. 3, q. 84, a. 2). Colligitur peccata non esse materia *ex qua* tanquam

ex altera parte perficiatur sacramentum, sed *circa quam* seu *contra quam* sacramentum operatur.

Sola autem peccata *post Baptismum* commissa sunt materia remota, quia peccatum originale et peccata actualia baptismum præcedentia delentur per ipsum baptismum, et quia Ecclesia judiciariam suam potestatem clavium exercere tantum potest in sibi subjectos per baptismum, et in peccata tempore subjectionis commissa.

De peccato autem baptismi valide sed sacrilege suscepti, aliisque peccatis ipso instanti baptismi commissis, disputatur an considerari debeant tanquam peccata post baptismum commissa; sed practice censeri debent peccata hominis baptizati, et materia absolutionis; practice enim vix fieri potest, quin illa peccata non continuata fuerint proximo saltem instanti post susceptum baptismum; quatenus autem præcesserunt baptismum, remittuntur vi baptismi reviviscentis (1).

Ex eo quod sola peccata sint materia sacramenti pœnitentiæ, infertur materiam illius non esse defectus naturales, ut propensiones ad peccatum, nec tentationes inculpabiliter incidentes, et meras imperfectiones seu actiones et omissiones repugnantes non quidem alicui præcepto, sed mero consilio ad quod exsequendum aliquis incitatur sive gratiæ impulsu, sive rationis dictamine, sive superioris voluntate non præceptiva sed solum directiva. Proinde pœnitentes ejusmodi solum afferentes defectus, absolvi non possunt, nisi, quod consulendum est, confiteantur aliquod peccatum præteritæ vitæ, de quo contritionem eliciant. Notandum tamen est hæc utiliter interdum declarari et imperfectionibus deliberatis facile misceri peccatum aliquod veniale, v. g. acediæ, sensualitatis etc., vel etiam aliquando scandali, ut si quis violando regulas communitatis sub peccato non præscriptas, causa existat cur alii eas parvifaciant.

9. *Peccata mortalia nondum sacramentali absolutione directe remissa, sunt materia necessaria sacramenti pœ-*

(1) Cf. De Lugo *de Sac. Pœnit.* d. 16, s. 1, S. Alph. l. 6, n. 427.

nitentiæ. Constat ex Conc. Trid. sess. XIV, cap. 5 et can 7 docente et definiente omnia peccata mortalia ex jure divino confitenda esse secundum *speciem* et *numerum*.

Infertur etiamnum confitenda esse peccata mortalia contritione perfecta aut sacramento vivorum bona fide suscepto remissa, item peccata inculpabiliter in confessione omisa et indirecte per absolutionem remissa prout etiam constat ex prop. IX ab Alex. VII damnata : « *Peccata omissa seu oblita ob instans periculum vitæ aut ob aliam causam non tenemur in sequenti confessione exprimere.* » Sequens hæc confessio intelligenda est ea quæ *prïma* sequetur.

10. *Peccata venialia nondum directe sacramento pœnitentiæ remissa, et peccata tum mortalia tum venialia jam ante directe sic remissa, sunt materia libera ac sufficiens sacramenti pœnitentiæ.*

1° De venialibus nondum directe remissis constat ex conc. Trid. sess. XIV, cap. 5, docente illa « *recte et utiliter* » in confessione declarari « *quod piorum hominum usus demonstrat* » : posse tamen « *taceri citra culpam, multisque aliis modis expiari* ». Venialium confessio utilis est, quia obtinetur abundantior gratia et plenior remissio, servit contra relapsum, et directa ac major concipitur aversio. Præterea fideles interdum vix discernere possunt utrum peccata sua lethalia sint an venialia. Unde declaratio Syn. Pist. improbans frequentiam confessionis venialium, damnata est a. Pio VI Const. *Auctorem fidei*, tanquam *temeraria, perniciosa, sanctorum ac piorum praxi a S. C. Trid. probatæ contraria* (1).

Quamvis antiquioribus Ecclesiæ sæculis minus frequens

(1) Jansenistæ duce Sancyrano insurrexerunt etiam in confessionem venialium, ut facilius omnem confessionem abolerent. Si enim confessio solum de mortalibus fieri deberet, plures ab hac averterentur, utpote quæ publice significaret eos gravium peccatorum esse reos.

fuerit venialium confessio (1), hæc tamen etiam obtinebat, ut colligi potest ex S. Basilio (2) ; et testatur Mabillonius in *Præf. ad Acta SS. Benedictin. III sæc.*, S. Segolenam, quæ sæculo 7° aut 8° floruit, *parva minimaque peccata, sine quibus esse non possumus*' cum lacrymis fuisse confessam.

2° De peccatis mortalibus vel venialibus per sacramentum pœnitentiæ jam directe remissis, constat ex verbis Bened. XI : « *Licet de necessitate non sit iterum eadem confiteri peccata, tamen ut eorumdem peccatorum iteretur confessio, reputamus salubre.* » Idque confirmatur ex communi praxi fidelium. Ratio theologica est, quod peccatum etsi remissum, manet tamen commissum, quod pœnitens denuo potest detestari ac confiteri, et ejus novam ac confirmatam remissionem obtinere per sacramentalem absolutionem. Deus enim denuo juri suo contra peccata renuntiare atque denuo quodammodo se obligare potest homini, ne propter peccata commissa velit ipsi succensere, atque hæc iterata juris divini renuntiatio ex se tam efficax est quam prima, fitque in hoc ordine semper per gratiæ sanctificantis collationem. Cf. De Lugo, *de Pœnit.* d. 13, 5. 3.

11. Circa *utilitatem* aut *necessitatem atque modum confitendi peccata jam directe remissa* per sacramentum pœnitentiæ, sequentia notentur :

1) *Per se* utile est peccata jam confessa et directe remissa iterum confiteri, quia major securitas comparatur, exercetur humilitas et copiosi fructus sacramenti percipiuntur. *Per accidens* tamen noxium est, si scrupuli inde foventur, vel novæ tentationes timentur, vel si inde oritur negligentia circa correctionem præsentium peccatorum.

2) Hujusmodi confessio potissimum consulenda est in dubio de materia sufficiente (an adsit peccatum nec ne), vel in dubio de sufficienti contritione circa venialia quæ solam

---

(1) De hoc argumento cf. *Acta Sanctorum*, Oct. t. IX. *Vita S. Joannis Boni*, auct. P. E. Carpentier, d. 22 Oct. p. 722. (2) *Regulæ brevius tractatæ.* Inter. 4.

materiam confessionem constituunt. Urgenda autem est si pœnitens carens debita contritione de venialibus quæ solum confitetur, hic et nunc absolvendus sit.

3) Circa *modum* confitendi peccata jam confessa et directe remissa, hæc notentur : *a*) Pœnitens pro lubitu ea confiteri potest quæ voluerit; seligat autem illa de quibus majorem et certiorem habet contritionem. *b)* Numerum aut *speciem infimam* declarare non debet, sed sufficit indicare *speciem superiorem* seu *genericam*, confitendo v. g. peccatum contra charitatem fraternam, obedientiam, castitatem, vel contra determinatum aliquod præceptum.

12. Sed quæritur utrum *peccatum in genere tantum confessum* sine ulteriori specificatione, *sit materia sufficiens ad validam et licitam absolutiionem.* Circa quam quæstionem hæc pauca suffecerint :

1) Peccatum in genere tantum confessum est materia certe sufficiens ad *validam et licitam* absolutionem, in casu necessitatis ubi distinctior confessio fieri non potest, quamvis illud peccatum sit materia confessionis necessaria, seu peccatum mortale nondum directe remissum.

2) Peccatum in genere tantum confessum videtur per se materia sufficiens ad *validam* etiam extra casum necessitatis absolutionem ; illud enim quod ad essentiam judicii sacramentalis sufficiens est in casu necessitatis, etiam extra hunc satis esse debet. Sed quod spectat *licitam* absolutionem : *a)* Non sufficit confiteri peccatum in genere tantum, si sit materia necessaria ; quia ex jure divino omnia et singula peccata mortalia in specie etiam infima confitenda sunt. Proinde qui culpabiliter id negligit, invalide absolvitur propter defectum dispositionis. *b*) Non datur quidem præceptum divinum venialia confitendi, sed consuetudo Ecclesiæ et recta sacramenti pœnitentiæ administratio exposcit, ut confitens venialia ab ultima confessione commissa, unum saltem aut altèrum in specie confiteatur. *c)* De peccatis præteritis jam confessis quæ præsenti con-

fessioni adjunguntur, accusatio *mere generica*, certo sufficiens est si confessarius ex antecedenti confessione pœnitentis, hæc peccata specifice noverit, et probabilis est sententia quod ad licite suscipiendum sacramentum pœnitentiæ sufficiat si pœnitens nulla habens peccata mortalia nondum directe remissa, accuset se generice de peccatis præteritæ vitæ sine ulteriori specificatione (1).

Conclusio practica. Quando confessioni præsenti adjiciuntur peccata jam confessa, eorum species saltem generica declaretur, in quam tamen confessarius non tenetur inquirere cum incommodo pœnitentis (quod interdum adesse potest in materia castitatis). Convenit autem ut simplicioribus ipse confessarius suggerat aliquod peccatum ex magis obviis et communibus. Præcipua cura sit ut vera contritio et firmum propositum habeatur de peccatis quæ adjiciuntur ad consulendum valori absolutionis. Quare pœnitentes qui venialia peccata quæcumque parvifaciunt, adjungere debent aliquod mortale jam confessum de quo vere doleant. Cf. S. Alph, l. VI, n. 432, *Praxis Conf.* n. 71.

13. Quær. *an peccatum dubium sit materia sufficiens ad absolutionem ?*

Quum materia confessionis sit peccatum in re vere existens, *a)* peccatum de quo dubitatur sitne grave vel leve, est materia certo sufficiens ad validam et licitam absolutionem. *b)* Si dubitatur an peccatum simpliciter adsit nec ne, quoad nostram cognitonem materia erit dubie sufficiens ad valorem absolutionis; quare absolutio impertiri non potest nisi addatur aliud peccatum certum

---

(1) De hoc argumento disserunt *Nouvelle Rev. Th'eol.* t. 1, ubi impugnatur sufficientia accusationis mere genericæ; Gury-Ballerini *de Pœntt.* n. 421, Berardi, *de Recidivis*, n. 190 sqq., qui eam defendunt. Cf. Lehmkul *de Pœnit.* n 264, qui satis esse docet si pœnitens generice confitetur se *graviter* peccasse, sed genericam accusationem venialium habet ut dubie sufficientem.

vel justa causa detur absolvendi sub conditione, juxta dicenda inferius.

In quæstione de confessionis integritate examinabitur utrum peccata *dubie gravia* vel commissa post *baptismum dubium*, sint materia necessaria confessionis.

ART. II.

De materia proxima sacramenti pœnitentiæ.

14. *Duplex sententia de natura materiæ proximæ in sacramento pœnitentiæ.*

Tres actus pœnitentis, *contritio*, *confessio* et *satisfactio* a Rit. Rom. vocantur hujus sacramenti *materia proxima*, a Trid. vero *quasi materia*, et etiam *partes* « quatenus in pœnitente ad integritatem sacramenti ad plenamque et perfectam peccatorum remissionem ex Dei institutione requiruntur » (1).

Controversum autem est inter theologos, an actus illi pœnitentis in hoc sacramento se habeant per *modum materiæ ex qua* simul *et ex forma* intrinsece perficiatur et constet sacramentum pœnitentiæ, tanquam ex partibus intrinsece constitutivis, non secus ac sacramentum baptismi constat ex verbis « *Ego te baptizo* etc. » tanquam forma, et ex ablutione cum aqua tanquam materia. Affirmant communius theologi cum S. Thoma ; negant vero Scotistæ et alii nonnulli qui totam sacramenti essentiam reponunt in verbis absolutionis, quæ tamen prærequirit confessionem et contritionem tanquam *conditiones in-*

(1) Sess. XIV, cap. III. Can. IV sic definitur : « Si quis negaverit ad integram et perfectam peccatorum remissionem, requiri tres actus in pœnitente, *quasi materiam* sacramenti pœnitentiæ, videlicet *contritionem, confessionem et satisfactionem*, quæ tres Pœnitentiæ partes dicuntur; aut dixerit duas tantum esse Pœnitentiæ partes, terrores scilicet incussos conscientiæ, agnito peccato, et fidem conceptam ex Evangelio, vel absolutione, qua credit quis sibi per Christum remissa peccata : anathema sit.

supplebiliter requisitas ad validam absolutionem, quia judex sacramentalis non potest ferre sententiam absque cognitione causæ et dispositione pœnitentis (1). Hinc Scotistæ definiunt sacramentum pœnitentiæ : *absolutionem hominis pœnitentis confessi factam verbis prolatis a sacerdote.* Inter Scotistas, alii docent verba absolutionis habere rationem materiæ, quatenus sunt sonus sensibilis ; formæ vero rationem, quatenus significant sacramenti effectum ; alii vero contendunt in hoc sacramento non dari materiam præter remotam et extrinsecam quæ sunt peccata.

15. *Exponitur et vindicatur doctrina Thomistarum de materia proxima et de essentia sacramenti pœnitentiæ.*

Juxta hanc doctrinam, sacramentum pœnitentiæ more aliorum sacramentorum, constat *ex materia et ex forma* tanquam ex partibus essentialibus et intrinsece constitutivis. *Materia proxima ex qua* constat ex tribus actibus pœnitentis, *contritione, confessione* et *satisfactione.* Hæ tres partes *materiales* cum parte *formali* seu cum verbis absolutionis, constituunt integrum sacramentum pœnitentiæ. Inter partes materiales duæ sunt *essentiales*, requisitæ ad substantiam materiæ et sacramenti, nimirum *contritio* et *confessio* ; una est pars *integralis*, scl. *satisfactio actu impleta*, sine qua sacramentum essentialiter quidem existit

(1) Cf. Sporer *Theol. Sac. de Pœnitentiæ Sac.* n. 19. Huc referuntur verba Scoti in 4, d. XVI, q. 1 « Simpliciter... requiritur confessio, quia sacerdos non absolvit reum arbitrarie, nisi prius reus sibi fuerit accusatus in foro illo ; non est etiam utilis illa absolutio nisi præcedat in confitente aliqua contritio vel attritio. » Colligitur a vera interpretatione doctrinæ scotisticæ eos aberrare qui opinantur essentiam sacramenti ita in sola absolutione contineri, ut illud quidem informe sit non tamen invalidum, si desit contritio aut confessio formaliter integra. — Notandum autem est post Conc. Trid. rejiciendum esse modum loquendi Scoti qui dicit actus pœnitentis nullo modo esse partes sacramenti pœnitentiæ. Mens tamen Scoti est illos actus non esse intrinsece constitutivos sacramenti.

cum principali suo effectu, seu cum remissione peccati quoad reatum culpæ, non tamen integraliter et cum secundario suo effectu; satisfactio enim sacramentalis informata absolutione remittit ex opere operato pœnas quæ post remissa peccata luendæ supersunt. Thomistæ igitur sacramentum pœnitentiæ physice spectatum definiunt : *sacramentum constans ex actibus pœnitentis et verbis sacerdotis, significans et efficiens gratiam remissivam peccati post baptismum commissi.*

Notari potest a recentioribus theologis interdum dici satisfactionem *in re* seu in *exsecutione* esse partem *integrantem*, et satisfactionem *in proposito* esse partem essentialem ; non ideo tamen quarta pars materialis sacramenti addenda est; nam certe propositum explicitum non requiritur, implicitum vero continetur virtualiter in contritione qua quis vult ea servare quæ Deus sacramento pœnitentiæ annexuit.

Sententia Thomistarum probatur :

1° Hæc doctrina maxime congruit Decreto Eug. IV. et Conc. Trid. ; ibidem enim actus pœnitentis dicuntur *partes* et *quasi materia* sacramenti, ad ejus *integritatem* requisiti. (v. n. 1, 12). Jam vero actus disponentes ad aliorum sacramentorum susceptionem, nunquam dicuntur eorum quasi materia, vel partes ad eorum integritatem requisitæ.

Præterea illa Concilia aliam sacramenti pœnitentiæ non assignant materiam.

2° Eidem doctrinæ accedit auctoritas Catech. Conc. Trid. (1) et Rit. Rom. (v. n. 10).

3° Hanc doctrinam tuentur S. Thom., S. Bonav. (2)

---

(1) *De Sac. Pœnit* § XXVI, VIII, coll. § XIV, XVII. Ibi tradit duo esse *ex quibus quodlibet sacramentum conficitur*, scilicet *materiam et formam*, tres actus pœnitentis habere rationem *veræ materiæ* eosque constituere totam integramque pœnitentiam, similesque esse *membris* quoad corpus humanum.

(2) Cf. Opusc. *De sententia S. Bonav. circa essentiam sac, pœn.*, quod edidit R. P. Piatus Montensis O. FF. Min. S. Fr. cap.

et theologi plerique præsertim inde a Conc. Flor. et Trid. (1). Suffecerit hæc afferre verba S. Thom. p. 3, q. 84, a. 1. : « Si qui actus humani sunt in talibus sacramentis (bapt. et confirm. etc.), non sunt de *essentia* sacramentorum, sed *dispositive* se habent ad sacramenta. Sed in illis sacramentis quæ habent effectum correspondentem actibus humanis, ipsi *actus humani sensibiles* sunt *loco materiæ* ut accidit in *Pœnitentia* et Matrimonio. » Cf. ibid. a. 4, ad 3.

Denique 4° hanc sententiam confirmat ipsa natura sacramenti quod institutum est per modum judicii reconciliativi ; ad hujus autem essentiam requiritur non solum judicialis sententia, sed etiam confessio et contritio, Cf. S. Th. q. 90, a. 2 ; Franzelin *de Sac. in Gen.* Th. IV.

16. SCHOLION. Efficacia et vis sacramenti pœnitentiæ non convenit soli absolutioni, quamquam, ut docet Trid. Sess. XIV, cap. 4, *in ea præcipue sita est,* sed toti composito morali ex absolutione et actibus pœnitentis.

Hæc sententia inter Thomistas fere communis (2), magis congruit doctrinæ generali de sacramentorum efficacia, et verbis Trid. docentis sacramenti vim *præcipue* sitam esse in verbis absolutionis. Illam etiam defendit S. Thom. q. 86, a. 6 : « Sicut remissio culpæ fit in baptismo non solum virtute formæ sed etiam virtute materiæ, scilicet aquæ, principalius tamen formæ, ex qua et ipsa aqua virtutem recipit ; ita etiam remissio culpæ est effectus pœnitentiæ, *principalius* quidem ex virtute clavium quas habent ministri ex quorum parte accipitur id quod est

---

(1) Huic doctrinæ, præter omnes Thomistas suffragantur Suarez, Vasquez, De Lugo. Bellarminus qui hanc sententiam vocat « verissimam... quæ fuit olim multorum veterum theologorum... et nunc est ferme omnium qui de pœnitentiæ sacramento scripserunt. »

(2) Aliqui ex patronis sententiæ quæ actus pœnitentis tenet ut partes essentiales et constitutivas sacramenti, negant tamen illos partialiter concurrere ex opere operato ad effectum absolutionis. Bellarminus utramque sententiam habet ut probabilem. *de Sac. Pœnit.* l. 1, c. 16.

formale in hoc sacramento, *secundario* autem ex *vi actuum pœnitentis* pertinentium ad virtutem pœnitentiæ ; tamen prout hi actus aliquatenus ordinantur ad claves Ecclesiæ. »

17. Restat argumentis respondere Scotistarum quæ doctrinæ Thomistarum opponuntur :

1° Actus pœnitentis in Decreto Eug. IV et in Conc. Trid. dicuntur *quasi materia* sacramenti ; ergo non sunt ejus vera materia.

R. Actus pœnitentis vocantur *quasi materia*, quia non sunt aliqua substantia materialis extrinsecus assumpta, qualis adhibetur in aliis sacramentis ; sed tamen se habent eodem modo ac materia in aliis sacramentis (Cat. Rom. *de Sac. pœn.* n. 13).

2° Contritio non est sensibilis ; ergo nequit esse pars materialis sacramenti quod debet esse signum visibile.

R. Contritio non est sensibilis in se, sed fit sensibilis per confessionem et voluntariam subjectionem pœnitentis potestati clavium ; nec requiritur ut omnes partes sacramenti sint sensibiles per se.

3° Sola absolutio significat effectum sacramentalem ; ergo sola absolutio essentialis est et effectum sacramentalem causat.

R. Neg. Ant. Nam confessio, contritio et satisfactio significant cor a peccatis recedere eorumque remissionem exoptare. Hæc significatio expressius determinatur per formam, quæ conjuncta cum partibus materialibus, unum constituit signum sacramentale efficax remissionis peccati et pœnæ. Cf. De Lugo d. 16, s. 2.

4° Contritio est dispositio ad Sacramentum ; ergo non est pars constitutiva sacramenti.

R. Est dispositio simul et pars constitutiva, sed diverso respectu : quatenus est pars, concurrit effective ex opere operato ad effectum gratiæ ; quatenus est dispositio concurrit dispositive. Actus enim pœnitentis spectari possunt *a*) in seipsis, ut actus salutares impetratorii vel me-

ritorii ex opere operantis et pœnitentem disponentes ad sacramenti effectum, et *b)* considerari possunt ut elementum ritus judicialis a Christo instituti ad remissionem peccatorum, quatenus nimirum confessarius actus illos a pœnitente elicitos assumit eisque formam absolutionis conjungit.

5° Trid. cap. 3, docet actus pœnitentis spectare ad *integritatem* sacramenti; ergo non pertinent ad ejus essentiam.

R. 1) Integritas sacramenti constat ex partibus tam essentialibus quam integralibus, sicut integra natura humana dici potest constare ex anima et corpore. 2) Convenientissime dicitur actus pœnitentis spectare ad integritatem sacramenti; quia satisfactio est tantum pars integralis. 3) Nihil inde roboratur sententia Scotistarum, hæc enim actus illos ne quidem habet ut partes integrantes per modum *materiæ ex qua*.

6° Absolutio quæ juxta communem jam sententiam licite impertiri potest moribundo sensibus destituto qui nullum signum exterius prodit confessionis ac contritionis, Thomistarum sententiam labefactat, Scotistarum vero confirmat.

R. Hujusmodi absolutio neutram sententiam præ alia confirmat aut labefactat et cum utraque æque facile conciliatur. Utraque enim sententia supponit præcessisse vel hic et nunc forsan non deesse confessionem dolorosam saltem generice, quam Thomistæ requirunt ut partem materialem essentialem, Scotistæ vero ut conditionem essentialiter requisitam ad valorem absolutionis (1). De absolutione moribundis impertienda postea ex professo dicetur.

ART. III.

De forma sacramenti pœnitentiæ.

Dicendum est primum de forma requisita ad sacramentum pœnitentiæ, dein de orali prolatione formæ in pœnitentem præsentem, demum de forma absolutionis conditionata.

---

(1) Cf. S. Alph. l. 6, n. 481 sqq.; C. Franzelin, *de Sac. in gen.* th. V; Palmieri, *de Pœnit.* th. XIV.

§ I.

De forma requisita ad sacramentum pœnitentiæ.

18. Ritus absolutionis in Rit. Rom. ita traditur : « cum igitur (parochus) pœnitentem absolvere voluerit, injuncta ei prius, et ab eo acceptata salutari pœnitentia, primo dicit : *Misereatur tui* etc. Deinde dextra versus pœnitentem elevata, dicit : *Indulgentiam* etc. *Dominus noster J. C. te absolvat; et ego auctoritate ipsius te absolvo ab omni vinculo excommunicationis, suspensionis* (1) *et interdicti, in quantum possum, et tu indiges. Deinde,* (2) *Ego te absolvo a peccatis tuis, in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Amen... Passio D. N. J. C.* etc. Urgente vero aliqua gravi necessitate in articulo mortis, breviter dicere poterit : *Ego te absolvo ab omnibus censuris et peccatis, in nomine Patris* etc.

Quær. I. *In quibus verbis contineatur essentialiter forma sacramenti pœnitentiæ, — quænam verba sint accidentalia et ad liturgicam formam spectantia?*

R. 1° Forma continetur in verbis absolutionis : *Ego te absolvo a peccatis tuis in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Amen.* » Ex quibus verbis essentialia sunt verba : *Absolvo te,* eaque sola sunt essentialia juxta communiorem et longe probabiliorem sententiam : decretum enim Eug. IV et Conc. Trid. docent formam hujus sacramenti contineri in verbis : Ego te absolvo, etc. « quibus quidem de Ecclesiæ more, ait. Trid., preces quædam laudabiliter

---

(1) Hæc vox omittitur pro laicis (Rit. Rom.) et plerumque etiam pro clericis sacro nondum ordine initiatis.

(2) Vox *deinde* in editionibus Rit. Rom. modo impressa est charactere *rubro,* ac si designaret quo ordine verba sint proferenda, modo charactere *nigro* tanquam pars formæ. In editione typica Ratisbonæ a. 1884 a S. R. C. revisa, reperitur *nigro* charactere impressa ; ex quo colligitur illam vocem esse pronuntiandam.

adjunguntur: ad ipsius tamen formæ essentiam nequaquam spectant. » Addendo autem particulam *etc.* solum indicare voluit Trid. alia verba addenda esse ex præcepto et usu. Deinde noluit quæstionem disputabilem dirimere. Suffragatur ratio theologica: hæc enim verba significant effectum principalem sacramenti, actum ministri judicialem et determinant subjectum cui impertitur absolutio.

Certo essentialia non sunt verba: *Ego* et *tuis* et *in nomine Patris* etc; hæc Trinitatis expressio nec verbis institutionis nec traditione probari potest necessaria, et antiquitus præscripta non erat. (1).

Quamquam intentio ministri, confessio et contritio pœnitentis satis verba *te absolvo* determinant ad absolutionem a peccatis, nonnulli tamen propter necessariam hanc determinationem opinantur verba *a peccatis* essentialia esse; quare illarum omissio grave peccatum esset, ita ut, istis omissis, repetenda foret absolutio sub conditione. — Substitutio vocum æquivalentium, v. g. *Remitto, condono tibi peccata*, est graviter illicita, non tamen formam redderet invalidam, quia remanet idem sensus. Si omissa voce *te* dicatur: *absolvo a peccatis tuis*, forma probabilius est valida, graviter tamen certe illicita et sub conditione repetenda.

R. 2° Reliqua verba præter essentialia sunt accidentalia et pertinent ad formam liturgicam; pro lubitu tamen et sine causa omitti non possunt. Unde si aliqua causa subsistit, omitti possunt *Misereatur...*, *Indulgentiam...*, *Passio D. N. J. C....* Quinimo in Rit. Rom. legitur quod illa verba in confessionibus frequentioribus et brevioribus omitti possint, et satis sit dicere *Dominus noster,* etc. usque ad *Passio D. N. J. C.* exclusive (S. R. C. a. 1847). Hæc tamen ultima oratio convenientius semper additur, quia juxta aliquos Doctores cum s. Th., subsequentia pœnitentis

---

(1) Cf. S. Th. p. 3. q. 84 a. 3 ubi ad 3 loquens de Trinitatis expressione ait: « *Quia tamen hoc non est determinatum ex verbis Christi sicut in Baptismo, talis appositio relinquitur arbitrio sacerdotis.*

opera elevare potest ad efficaciam satisfactionis sacramentalis. (1).

Prævia absolutio a censuris, per verba *Dominus N. J. C. te absolvat, etc.* quæ præcedunt absolutionem, datur ad cautelam, ut auferatur prohibitio sacramentum suscipiendi, v. g. ob excommunicationem. Effectum habet in censuras nemini reservatas, et etiam in ordine ad absolutionem in alias censuras quæ ignotæ sunt vel incertæ. Si confessarius sciret pœnitentem innodatum esse censura reservata, speciali egeret licentia ad eum absolvendum. Graviter contra prohibitionem Ecclesiæ peccat si prius a peccatis quam a censuris eum absolvit quem scit excommunicatum esse ; valide tamen eum cæteroquin dispositum a peccatis absolveret, quia excommunicatio licitæ solum susceptioni sacramentorum obstat (2). Per verba absolutionis a peccatis sacerdos valide a censuris absolveret, si potestatem habeat absolvendi a censuris et ea uti intendat (3). Omissio elevationis manus et formationis signi crucis sub absolutione, veniale non excedit (4). Pia consuetudo est quam confirmat Past. Brug., ut confessarius pœnitentem confessurum signo crucis benedicens dicat : *Dominus sit in corde tuo et in labiis tuis ad digne confitendum peccata tua, in nomine Patris, etc.*

19. Quær. II. *Quis est genuinus sensus formæ absolutionis sacramentalis ?*

---

(1) *Quodl.* d. 3, d. 13, a. 1 et 28. Quam sententiam censet S. Alph. esse longe probabiliorem et communiorem (l. 6. n. 507).

(2) Cf. S. Alph. l. 6, n. 430; Gury, t. 2, n. 430.

(3) S. Alph. et Gury ll. citt., Lehmkull *de sac. pœnit.* n. 270.

(4) Cf. S. Alph. n. 425; Gury n. 428 qui dicit a pluribus asseri quod illa ne quidem sub veniali, obliget : Hæc elevatio (manus) per quam sacerdos suam jurisdictionem ostendit, successit loco impositionis manus super caput, postquam confessionalis sedes forma fuit introducta; ex quo ducunt Rubricistæ in hac dexteræ elevatione palmam manus et non tantum parvum digitum converti debere versus pœnitentem.

R. Sensus naturalis et obvius est : *Ego solvo te a vinculis peccatorum*, seu : *Remitto, condono tibi peccata tua ;* forma enim sacramentalis illud significat quod operatur proportionalibiliter materiæ sacramenti. Quia vero in præsenti Providentiæ ordine peccatorum remissio fit per gratiam sanctificantem quam sacramentum pœnitentiæ confert rite dispositis, ideo sensus theologicus formæ est etiam : *Tibi remitto offensam divinam conferens gratiam remissivam peccatorum, quantum est ex parte ministerii mei.* Ad hanc significationem reduci potest sensus quem formæ tribuit S. Thomas (1) : *sacramentum absolutionis tibi impendo ;* i. e. confero tibi sacramentum quantum est ex se absolutivum a peccatis et collativum gratiæ.

Forma absolutionis in Ecclesia usurpata conveniens est, tum quia significat id quod in sacramento agitur, remotionem nempe materiæ, seu peccatorum quæ sunt quædam vincula, tum quia addita expressio SS. Trinitatis significat sacerdotem ministerialiter absolvere auctoritate Dei (S. Th. p. 3, q. 84, a. 3).

Ex dictis infertur *a)* absolutionem sacramentalem non esse nudum ministerium pronuntiandi et declarandi peccata esse remissa confitenti, sed esse actum judicialem ; quod definivit Trid. contra novatores sæc. XVI ; *b)* formam absolutionis non principaliter significare absolutionem a pœna peccatis debita, ut contendit Baius (2) ; nec *c)* per illam solum judicialiter declarari quod peccata sint remissa confitenti, ut veteres aliqui scholastici opinabantur.

20. Breviter hic memoranda est intricata controversia

---

(1) p. 3 q. 84, a. 3.

(2) Damnata est ejus propositio 58 « Peccator pœnitens non vivificatus ministerio sacerdotis absolventis, sed a solo Deo... ministerio autem sacerdotis solum *reatus* tollitur. » Per reatum autem intelligitur obligatio ad pœnam, ut patet ex proposit. 56 damnata : « In peccato duo sunt : actus et reatus ; transeunte autem actu, nihil manet nisi *reatus* sive *obligatio ad pœnam.* »

circa formam absolutionis *deprecatoriam* : an scilicet ad valorem absolutionis requiratur ut forma sit *indicativa* seu *enuntiativa* significans id quod facit sacerdos, qualis est forma quæ in Ecclesia latina præcipitur ; an vero sufficiat forma *deprecatoria* qua sacerdos a Deo deprecatur absolutionem peccatorum, v. g. his aut similibus verbis : *Deus te absolvat* ; *Deus remitte peccata huic famulo tuo.* Nonnulli cum Morino censent formam deprecativam apud Latinos ad duodecimum usque sæculum viguisse, semperque et etiam nunc apud Orientales. Ex facto autem concludunt ad jus seu ad valorem formæ deprecativæ. Alii vero cum S. Th. (1) tenent ad valorem formæ requiri ut hæc sit indicativa seu enuntiativa ; quod inter alia, probant ex forma præscripta in Conc. Flor. et Trid., et ex eo quod sit sententia judicialis et significare debeat illud quod efficit, scilicet absolutionem, nec sufficiat petere a Deo ut fiat. Ad quæstionem autem facti reponunt, pluribus antiquis formulis deprecatoriis quæ referuntur, adjunctam fuisse formam indicativam quæ scripta non reperitur ob disciplinam arcani ; item advertunt inter formam indicativam et formam deprecativam olim usurpatam, vel etiam nunc vigentem apud orientales, non esse nisi discrimen grammaticum, quia etiam in illo modo deprecativo, non simplex deprecatio sed significatio sententiæ judicialis nomine et auctoritate Dei pronuntiatæ continetur. (2) — Practice autem concludes absolutionem modo mere deprecativo impertitam esse saltem dubiam, adeoque sub conditione iterandam.

---

(1) q. 84, a. 3, ad 1, et Op. 22, c. 1.

(2) Quæstio hæc fuse tractatur apud Tournely, Wirceb. et Palmieri in tract. *de Pœnitentia*. Th. XII. Parergon de forma deprecativa.

§ II.

De orali prolatione absolutionis in præsentem (1).

21. 1° *Forma absolutionis, ut valida sit, enuntiari debet verbis voce humana prolatis.*

Constat ex perpetua praxi Ecclesiæ, et ex. Conc. Flor. docente formam esse *verba* quæ sacerdos *profert*, dum *dicit* : « Absolvo te. » Estque id commune omnium sacramentorum formis, solo excepto matrimonio, cujus causam efficientem ait Flor. esse « *regulariter* consensum per verba de præsenti expressum » ; nam matrimonium etiam nutibus aliisque signis perfici potest, quia Christus naturam contractus matrimonialis ante existentis non immutavit, ipsum ad rationem sacramenti elevando. Forma vero et materia aliorum sacramentorum a Christi de novo institutæ sunt, et ex s. Scriptura et Traditione noscuntur.

Non requiritur ut pœnitens audiat vel audire possit sententiam judicialem absolutionis, neque ut sacerdos seipsum audiat ; sufficit ut verba ita ore formet et pronuntiet, ut seipsum, remoto omni impedimento, audire possit. Cf. Alph. l. 6, n. 414.

22. 2° *Forma absolutionis ut valida sit, proferri debet in pœnitentem præsentem.*

Prob. 1° ex decreto Clementis VIII, qui a. 1602, propositionem : *Licere per litteras seu internuntium confessario absenti peccata sacramentaliter confiteri et ab eodem absente absolutionem obtinere,* damnavit ac prohibuit « ad minus uti falsam, temerariam ac scandalosam,

---

(1) Existimarunt olim quidam theologi, ut Paludanus, Medina, Sylvester, Armilla, Tabiena, etc., ad essentiam formæ non requiri verba formalia, sed sufficere quævis signa quæ manifestent intentionem sacerdotis de pœnitente absolvendo ; item tenuerunt posse in casu necessitatis confessionem fieri sacerdoti absenti, et ab eodem absente absolutionem dari. Cf. Suarez in 3 p. d. 19.

præcepitque ne deinceps ista propositio publicis privatisque lectionibus, concionibus et congressibus doceatur, neve unquam tanquam aliquo casu probabilis defendatur, imprimatur, aut ad praxim quovis modo deducatur. Paulus V declaravit illam propositionem damnatam esse in *sensu diviso*, seu attingere tam confessionem quam absolutionem seorsim sumptam. Et inter omnes convenit absolutionem absenti impertitam sine ulla exceptione esse in quovis casu invalidam. Ex quo deducitur illam jure divino esse invalidam ; secus non potuisset Pontifex usum hujus opinionis prohibere in casu necessitatis extremæ. Quod ceteroquin etiam deducitur, 2° ex perpetua Ecclesiæ praxi (1), et 3° ex ipsa forma absolutionis, quæ cum voce humana proferri debeat et contineat pronomen demonstrativum *te*, exigit personam præsentem ad quam dirigatur. (2)

Quær. *Quænam præsentia pœnitentis requiratur ?*

R. Requiritur præsentia *corporalis* quæ sufficiat ad sensibilem designationem et locutionem cum alio. Hæc præsentia dicitur *physica*, si confessarius et pœnitens proxime se contingunt, *moralis* vero si inter se aliquanto spatio distant ita tamen ut juxta moralem hominum æstimationem censeantur adhuc ad invicem præsentes, quia infra hujusmodi præsentiam homines communi voce quamvis altiori loqui inter se possunt et solent. Hanc moralem præsentiam plures extendunt ad viginti circiter passus, præsertim si pœnitens non sit extra aspectum confessarii (3).

---

(1) Constat enim *a*) libros omnes pœnitentiales requirere aut supponere præsentiam immediatam pœnitentis ; *b*) nullum certum documentum ex tota antiquitate exstare absolutionis quæ absenti uerit impertita : quæ enim proferuntur a Morino, intelligenda sunt vel de absolutione a censuris aut ab alia pœna canonica, vel de indulgentiæ concessione. Cf. Tournely, *de Sac. pœnit.*, q. 6, a. 9.

(2) Rationes convenientiæ vide apud De Lugo, d. 13, s. 6.

(3) Si in casu necessitatis tota aliqua multitudo simul absolvatur sub unica forma : Ego absolvo *vos* etc., quod certe validum est et in

Si notabiliter minor sit distantia absolvi potest pœnitens quamvis sensibus non perceptus, modo præsens sciatur. Ultra distantiam viginti passuum, urgente necessitate, sub conditione absolvi potest pœnitens qui sensu visus vel auditus naturaliter percipi potest.

Hinc *a)* absolvi potest pœnitens ante absolutionem e confessionali egressus et parum distans a confessario, qui tamen consultius eum revocaret, si fieri posset absque incommodo aut admiratione populi. *b)* Sub conditione absolvi potest ille quem sacerdos e longinquo videt in aquam labentem, vel e tecto ruentem (1).

SCHOLION. Cum quæstione de requisita pœnitentis præsentia affinitatem habet quæstio nuper agitata *de valore et liceitate absolutionis ope telephonii impertitæ pœnitenti absenti.* Certum est hujusmodi absolutionem extra casum necessitatis esse graviter illicitam, quia sacramentum exponitur periculo nullitatis, et nova praxis introducitur in sacramenti pœnitentiæ ministratione, eaque fraudibus obnoxia. Sed nonnemo opinatur in casu extremæ necessitatis damnandum non esse confessarium qui per telephonium conditionate absolveret pœnitentem subito gravissimoque morbo correptum, saltem si ab hoc cognoverit ipsum dolere de peccatis suis et absolutionem exspectare, aures ad instrumentum applicando (2). Argumenta hujus sententiæ sunt: *a)* forma absolutionis ore profertur et ad pœnitentem defertur. *b)* Præsentia moralis adest, cum pœnitens et confessarius sese invicem audiant et inter se colloquantur. Hoc tamen opinamentum gravissima premitur difficultate, eo quod communicatio per locutionem telephonicam inter confessarium et pœnitentem longo inter se dissidentes intervallo

---

casu necessitatis licitum (Gury. t. 2, n. 428), distantia viginti passuum non obstat quo minus valide absolvantur etiam homines remotiores cum tota turba conjuncti. Lehmkull *de Pœnit.* n. 272.

(1) S. Alph. l. 6, n. 429, Gury, n. 429 et *Cas. consc.* t. 2. n. 389.

(2) V. Vandermoeren, *tract. de Sac. pœnit.*, Haine, *Theol. mor. elem.* t. 3, q. 20.

illam præsentiam moralem non videtur inducere quam theologi communiter præscribunt ut sufficientem ad absolutionem. Hæc enim præsentia quæ *corporalis* esse debet, non pendet a diffusione extensiva naturali vel artificiosa vocis humanæ, seu a termino quem vox humana modo ordinario vel artificioso attingere potest, sed pendet ab objectiva interjecta distantia aliisque adjunctis juxta quæ, communi hominum existimatione, duæ personæ censentur sibi præsentes vel absentes (1).

S. Pœnitentiaria interrogata : « utrum in casu extremæ necessitatis dari possit absolutio per telephonium » rescripsit 1 Julii 1884 : « *Nihil est respondendum.* » Hæc quippe quaestio pertinet ad C. S. R. et U. J.

§ III.

De forma absolutionis conditionata.

23. Distinguitur conditio de *præterito*, v. g. si peccasti, vel de *præsenti*, v. g. si vivis, si es dispositus, vel de *futuro*, v. g. si restitues. Conditio quamvis expressis verbis addita formæ, non ipsam formam sed confessarii potius afficit voluntatem, qui absolvere solum intendit si existat conditio adjecta. Reducitur igitur quaestio ad intentionem absolvendi conditionatam in prolatione formæ.

Quær. An valida et licita est absolutio sub conditione impertita ?

Resp. 1° *Absolutio impertita sub conditione de futuro intentionem suspendente, invalida est, ideoque semper illicita.* Ratio est quia Christus, ut ex Conc. Flor. liquet, ad sacramentorum confectionem concurrere et coexistere voluit materiam, formam et intentionem ministri ; atqui

(1) Quæstionem de præsentia pœnitentis ad absolutionem requisita præ ceteris illustravit Tamburini. — De absolutione per telephonium v. Nouvelle Revue Theol. t. XIII.

tria hæc non concurrunt et coexistunt, quando sacramentum pœnitentiæ sub conditione suspensiva de futuro confertur: etenim quando forma profertur sub hujusmodi conditione, tunc deest intentio in præsenti absolvendi; adimpleta autem postmodum conditione, forma jam non est præsens, cum hæc consistat in verbis ore prolatis.

2° *Absolutio impertita sub conditione de præterito aut de præsenti quæ de facto existit, valida est*; hujusmodi enim conditio sensum formæ non mutat, cumque hic et nunc existat sub prolatione formæ, intentio conditionata actu transit in absolutam, et absolutio illico habet suum effectum.

Perpauci theologi olim excipiebant conditionem *si es dispositus*, qua censebant irritari formam absolutionis, quia facit ut absolutio non sit actus judicialis; nam supponitur id de quo confessarius debet judicare, dispositio scilicet pœnitentis. Sed dubitandum non est de valore absolutionis sub hac conditione impertitæ, et imbelle est argumentum oppositum; nam *a*) absolutio ministerialiter a sacerdote impertita ex ipsa sua natura est conditionata et restricta ad dispositionis existentiam; *b*) essentia formæ judicialis hic unice consistit in pronuntiatione absolutionis super pœnitente confesso, et judicium prævium de dispositione pœnitentis requiritur quidem ad prudentem et licitam absolutionem, non tamen ad validam; præterea *c*) in casu confessarius judicat dispositionem pœnitentis esse dubiam vel probabilem. (1)

3° *Justa existente causa, licet et quandoque oportet sub conditione de præsenti aut de præterito, absolvere pœnitentem absolutionis dubie capacem.*

Communis est sententia, et probatur, quia charitas

---

(1) Controversiam de absolutione sub conditione *si es dispositus* v. apud Bill. *de Pœnit.* diss. 6. a. 10, s. 2. Theol. Mechl. *de Pœnit.* n. 35.

suadere vel etiam exigere potest ut absolutio detur modo conditionato, quo scilicet simul consulatur bono ac necessitati pœnitentis et reverentiæ sacramenti.

Theologi principium universim admittunt, sed dissentiunt quoad ejus practicam applicationem : alii severiores causam justam conditionate absolvendi, saltem in casu dubiæ dispositionis, fere restringunt ad extremam necessitatem spiritualem ; alii laxiores eam nimis extendunt, docentes conditionatam absolutionem impertiri posse qualibet ex causa, ac nulla urgente necessitate, etiam si de sufficienti dispositione pœnitentis, mortalibus licet peccatis gravati, quomodocumque dubitetur ; quæ doctrina certe laxa est et prorsus rejicienda (1). In medio igitur, ut fit, erit veritas, et ex mente S. Alph. (2) et juxta doctrinam communiorem, statui potest duplex regula ; 1ª *Urgente necessitate non solum extrema sed etiam gravi, absolutio sub conditione impertienda est, quando dubius est ejus valor.* — 2ª *Absolutio in dubio de ejus valore, sub conditione dari potest quando alias pœnitens aliquo bono spirituali notabili, licet non necessario, privaretur.*

Hinc : *a*) pœnitens de cujus morte dubitatur, absolvendus est sub conditione *si vivis* aut *si es capax. b)* Adultus qui sub conditione rebaptizatur, postea absolvendus est sub conditione quod prior baptismus fuerit validus. *c*) Si confessarius positive dubitat utrum pœnitentem sibi confessum absolverit, illum sub conditione absolvere potest, et si mortalia fuerit confessus, absolvere debet. Potest tamen eum de novo et generatim se de peccatis mox confessis accusantem deque iis contritum, absoluto modo absolvere. *d*) Ne diutius priventur gratia sacramentali, aliquoties (semel in mense) conditionate absolvi poterunt pœnitentes pii qui non afferunt nisi venialia dubia et non possunt

(1) Cf. s. Alph. l. 6, n. 432, Gury t. 2, n. 434.

(2) n. 432, Gury, n. 435.

materiam certam vitæ præteritæ assignare, vel non sine magna molestia (1). *e*) Semi-amentes et pueri de quorum sufficienti discretione ad peccandum dubitatur, sub conditione (v. g. *si ex capax*) absolvendi sunt, tum in articulo mortis, tum etiam extra illud, si mortalia dubia habeant. Imo juxta plures, inter quos S. Alph., pluries in anno sic absolvi possunt quamvis levia solum afferant peccata, ne tamdiu priventur gratia sacramentali aut extra statum gratiæ remaneant, si forte mortale commiserint. *f*) Præter extremam necessitatem spiritualem, varii a theologis enumerantur casus gravis necessitatis spiritualis, in qua pœnitentes dubie dispositi sub conditione absolvi possunt. Sed de hac quæstione dedita opera tractabitur ubi de absolutione danda dicendum erit.

Conditio absolutioni adjecta non debet verbis exprimi, sed sufficit ut mente retineatur. Conditio autem potest esse *particularis*, v. g. *si vivis*, *si peccasti*, *si es dispositus*, etc. ; vel *generalis*, v. g. *si es capax*, quæ omnes conditiones ex parte pœnitentis includit. Et censent nonnulli melius omitti conditionem *si es dispositus*, licet mente retentam, quia Ritualia illam nullibi memorant (2).

CAPUT III.

DE NECESSITATE SACRAMENTI PŒNITENTIÆ.

24. Disputatio non est de necessitate *antecedente*, i. e. de necessitate institutionis sacramenti, sed de necessitate *consequente* institutionem, seu de *necessitate utendi sacramento pœnitentiæ*. Quod priorem spectat necessitatem,

(1) s. Alph. H. Apost. tr. 16; n. 16; *Praxis conf.* n. 99.

(2) Cf. Bill. et Th. Mechl. ll. cc.

certum est sacramentum pœnitentiæ convenientissime non tamen ex necessitate institutum fuisse (1).

Necessitas utendi sacramento pœnitentiæ, potest esse vel *a) necessitas medii*, quia hoc sacramentum institutum fuerit ut medium positive et per se influens in remissionem peccatorum mortalium, et ad hanc absolute necessarium, ita ut, eo quamvis sine culpa prætermisso, remissio peccatorum et salus obtineri nequeat, vel *b) necessitas præcepti divini* vel *c) ecclesiastici*, quod voluntarie et culpabiliter prætermitti non possit ne grave peccatum committatur quo salutis consecutio impediretur. De triplici illa necessitate dicendum est.

ART. I.

De necessitate medii sacramenti pœnitentiæ.

25. *Sacramentum pœnitentiæ in re vel in voto omnibus baptizatis in peccatum mortale lapsis, necessarium est necessitate medii.*

Est doctrina catholica quam docet Trid. Sess. 14. cap. 1. « *Est autem hoc Sacramentum Pœnitentiæ lapsis post baptismum ad salutem necessarium, ut nondum regeneratis ipse baptismus.* » Et probatur ex Joan. XX, 23, ubi Christus Dominus sacerdotes sui ipsius vicarios reliquit, quibus tanquam judicibus contulit potestatem non solum

---

(1) Deus qui dives est in misericordia et cognovit figmentum nostrum, congruentissime sacramentum pœnitentiæ instituit tanquam medium visibile naturæ hominum et œconomiæ novæ Legis accommodatum, quo certius et securius quam per internam contritionem perfectam, peccatorum remissionem consequi possimus. Præterea hac potestate ei concessa multum splendescit Ecclesia, cui etiam strictiori vinculo subjectionis, gratitudinis et amoris devinciuntur fideles; convenientissime etiam determinatas fuisse partes sacramenti, probatur ex S. Th. q, 90 a. 2. Cf. Cat. Rom. *de Pœnit.* n. 14, Suarez d. 17. s. 2.

remittendi sed etiam retinendi, seu ea non remittendo faciendi ut etiam non sint remissa in cœlo ; atqui hanc retinendi potestatem non haberent, si hoc sacramentum non esset medium necessarium ad peccatorum remissionem, et si hanc obtinere possent absque ordine ad illud. Hinc Patres pœnitentiam qualis in Ecclesia peragitur, *alterum* vocant *baptismum*, *secundam post naufragium tabulam*.

Dictum est sacramentum esse necessarium *in re* vel *in voto*, quia realis ejus susceptio non est ita absolute necessaria ut nunquam suppleri possit ; nam votum seu desiderium et propositum contritioni perfectæ annexum suscipiendi sacramentum pœnitentiæ, supplet vices sacramenti et justificat peccatorem, cum onere tamen peccata sic remissa postea clavibus subjiciendi. Unde Trid. Sess. XIV cap. 4 docens « contritionem charitate perfectam hominem Deo reconciliare priusquam hoc sacramentum actu suscipiatur » adjungit « ipsam nihilominus reconciliationem ipsi contritioni, *sine sacramenti voto*, quod in illa includitur non esse adscribendam. » Ex quibus verbis etiam colligitur votum illud seu propositum non requiri *explicitum*, sed sufficere *implicitum* quod virtualiter continetur in ipsa contritione perfecta ; hæc enim semper includit voluntatem adhibendi media quæ Deus ut necessaria ad salutem instituit et sub gravi peccato præcipit. Si quis tamen eliciendo contritionem, cogitet de confessione divinitus præcepta, vix fieri potest ut non habeat propositum explicitum.

ART. II.

De præcepto divino suscipiendi Sacramentum pœnitentiæ.

26. Prænota præceptum divinum posse obligare 1) *per se* seu *directe* et præcise *ratione sui*, ita ut omissio sit speciale peccatum contra præceptum divinum confessionis ; 2) *per accidens* seu *indirecte* et ratione alterius præcepti quod sine prævia confessione rite impleri nequit ; et tunc

confessionis omissio non est speciale peccatum distinctum a peccato violati alterius istius præcepti.

Quær. 1° *An datur præceptum divinum confessionis et quosnam obligat?*

R. Datur præceptum divinum confessionis obligans reos peccati mortalis post baptismum commissi et nondum directe remissi. Constat ex Conc. Trid. Sess. 14 cap. 5 docente integram mortalium confessionem jure divino esse necessariam. Probatur etiam ex necessitate sacramenti ad justificationem et salutem peccatoris; jure enim divino obligamur ad adhibenda media quæ divinitus instituta sunt ut necessaria ad salutem.

Infertur præceptum divinum confessionis non obligare infideles, nec fideles qui solum venialia habent peccata, vel a mortalibus admissis fuerunt absoluti.

27. Quær. 2° *Quandonam obligat præceptum divinum confessionis?*

R. 1° Præceptum divinum confessionis *per se* obligat:

a) in articulo seu probabili mortis periculo, item si probabiliter timetur impedimentum superventurum quod perpetuo prohibebit a susceptione sacramenti pœnitentiæ. Ratio est quia certe ante mortem adhibenda sunt media necessaria ad justificationem et salutem a Deo instituta. Hinc graviter ad confessionem obligantur morbo periculoso laborantes, mulieres cum vitæ probabili periculo parituræ, damnati ad mortem, periculose præliaturi aut navigaturi, captivi adducendi in regiones infideles ubi desunt confessarii. Relapsus in peccatum mortale post confessionem in periculo mortis peractam, iterum confiteri tenetur in eodem perdurante mortis periculo.

Ex dictis sequitur medicis incumbere obligationem tempestive per se vel per alios admonendi periculose infirmos qui alias non confessi decederent (1).

(1) Positiva decreta medicos spectantia de quibus agit S. Alph. l. VI, n. 664 apud nos et in plerique regionibus in desuetudinem abierunt.

b) Juxta communiorem sententiam, præceptum divinum *per se*, etiam extra mortis periculum, aliquoties in vita obligat (1). Jus tamen divinum non determinavit tempus adimplendi illud præceptum, sed illius determinationem Ecclesiæ reliquit. Ecclesia autem in Conc. Lat. IV statuit confessionem semel saltem in anno peragendam esse. Per annuam hanc confessionem satisfit præcepto divino.

Infertur cum communi sententia, præceptum divinum non obligare statim moraliter post admissum peccatum mortale, quamvis adesset periculum aliqua peccata obliviscendi. Nullum enim affertur hujus obligationis sufficiens fundamentum. Aliunde vi juris divini pœnitens ea dumtaxat tenetur confiteri peccata, quæ post diligentem inquisitionem memoriæ accurrunt, nec in hunc finem obligatur ad summam et extraordinariam diligentiam. S. Alph. l. 6, n. 663.

R. 2° Præceptum divinum confessionis *per accidens* obligat:

a) Ante Eucharistiæ susceptionem et consecrationem (v. Tract. de Euch.). Pro aliis sacramentis suscipiendis aut ex officio conficiendis, juxta communiorem sententiam, sufficit status gratiæ recuperatus per contritionem perfectam. Maxime tamen consulenda est confessio, quæ necessaria tunc etiam esset, si quis non posset prudenter existimare se esse perfecte contritum.

---

(1) Cf. S. Alph. l. VI, n. 663 cui hæc sententia videtur probabilior. In hanc quæstionem hæc habet De Lugo : « Extra mortis vero articulum, videtur satis juxta intentionem Christi et conditionem hujus præcepti esse quod Ecclesia invigilet, et obliget subditos ne diu negligant aut differant confessionem : ceterum immediate et per se non videtur præceptum divinum aliquo determinato tempore obligare, nisi radicaliter quatenus noluit obligare pro tempore ab Ecclesiæ determinando; nec mirum, quia cum aliunde præceptum sit præmittendi confessionem ad Eucharistiam sumendum, jam ex hoc capite obligantur fideles ad confessionem præcepto divino, nec oportebat aliam obligationem seorsim adjungere in ordine ad confessionem ». *De Sac. Pœnit.* disp. 15, s. 3.)

b) Obligare etiam per accidens potest, si confessio moraliter necessaria videatur ad tentationem superandam vel ad peccatum mortale vitandum. Vix tamen in casu individuo affirmari potest adesse illud grave præceptum, quia alia media spiritualia possunt esse ad hunc finem efficacia. Censet etiam de Lugo peccatores non obligari communiter ad frequentem confessionem per annum, propter periculum incidendi in nova peccata si diutius differant confessionem. Hanc tamen obligationem per accidens admittit, si quis experientia doctus persuasus esset confessionem sibi esse unicum remedium contra reincidentiam. « Ceterum, addit, hic casus neque est communis, nec debent confessarii de illo specialiter inquirere, *semper tamen oportebit, ait, omnibus quantum fieri potest consulere frequentem confessionem propter ingentem utilitatem quam affert, et aliquando etiam debet in pœnitentiam imponi tanquam medicina utilissima pro peccatis sequentibus vitandis* » (1).

ART. III.

De præcepto ecclesiastico suscipiendi sacramentum pœnitentiæ.

28. Præceptum suscipiendi sacramentum pœnitentiæ tulit Conc. Lat. IV. Sub Innoc. III a. 1215 his verbis : « *Omnis utriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua solus peccata confiteatur fideliter saltem semel in anno proprio sacerdoti, et injunctam pœnitentiam propriis viribus studeat adimplere, suscipiens ad minus in Pascha Eucharistiæ sacramentum...; alioquin et vivens ab Ecclesiæ ingressu arceatur et moriens christiana careat sepultura.... Si quis autem alieno sacerdoti voluerit justa de causa sua confiteri peccata, licentiam prius postulet et obtineat a proprio sacerdote, cum aliter*

(1) *De Pœnit.* Disp. 15, sect. 4. cf. Suarez d. 35, s. 3.

ille ipse non possit absolvere vel ligare. » Decretum Lateranense confirmatum fuit a Conc. Trid. Sess. XIV, can. 8.

Decretum Lateranense sequentibus quæstionibus illustrabitur.

29. Quær. 1° *Quanta et qualis est obligatio præcepti Lateranensis.*

R. 1° Obligatio est gravis, ut liquet ex gravitate objecti et ex pœna qua sancitur lex, quæque afficit omissionem culpabilem tum confessionis annuæ tum communionis paschalis. Utraque autem pœna est sententiæ ab Ordinario ferendæ, et prior in desuetudinem jam abiit (v. de Euch. n. 149.)

2° Præceptum annuæ confessionis obligat *per se* et non tantum per accidens ratione communionis suscipiendæ ; adeoque impeditus a communione paschali tenetur tamen ad annuam confessionem.

3° Præceptum præcipit confessionem quam subsequatur valida absolutio, — nam Ecclesia illam confessionem præcipit quæ jure divino necessaria est et instituta ad peccatorum remissionem. Unde Alex. VII damnavit propos. XIV : *Qui facit confessionem voluntarie nullam satisfacit præcepto Ecclesiæ.* Ratio autem supra indicata complectitur etiam confessionem involuntarie invalidam.

30. Quær. 2° *Quinam tenentur præcepto ecclesiastico confessionis ?*

R. Tenentur omnes baptizati qui ad annos discretionis pervenerunt et peccata mortalia admiserunt. Constat ex decreto Lat. quo omnibus fidelibus præcipitur *omnium peccatorum* confessio ; quod certe de mortalibus saltem intelligi debet.

Per *annos discretionis* intelligitur ea ætas in qua est sufficiens usus rationis ad peccandum mortaliter : quando nimirum quis discernit inter *bonum* et *malum morale*, judicans aliquid malum esse, quia a Deo prohibetur, punitur, etc.

Hinc *a)* pueri rationis usum assecuti qui mortaliter peccaverunt præcepto ecclesiastico confessionis tenentur saltem post expletum septennium ; ante certo ligantur præcepto divino et probabilius etiam ecclesiastico (1).

b) Non tenentur plene amentes. Notandum posse aliquem esse rationis expertem in aliqua materia, qui tamen habeat usum rationis in alia. (De Lugo d. 15, s. 7.)

c) Hæretici et schismatici per se tenentur saltem mediate, quatenus prius reconciliati Ecclesiæ ad confessionem obligantur (2).

d) Juxta communiorem et probabiliorem sententiam non tenentur qui sola venialia habent ; nam Ecclesia eam confessionem præcipit quæ jure divino necessaria est ; hæc autem est sola mortalium confessio. Præterea præcipit confessionem *omnium peccatorum ;* quod venialibus applicari non potest. S. Thomas refert nec improbat sententiam aliquorum theologorum secundum quos « ille qui non habet

---

(1) S. Alph. l. 6 ; n. 155. Aliqui pueros rationis usum assecutos eximunt ante septennium a legibus ecclesiasticis quorum materia eorum ætati est conveniens (v. S. Alph. l. 3. n. 270 ; Bouquillon, *Theol. mor. fond.* n. 140). Notat Ballerini fere inutiliter ista disputari « quia de hisce obligationibus nihil sciunt pueri nec certum judicium de usu rationis perfecto ante septennium fere haberi potest. » *Opus Theol. mor.* de Legib. n. 168.) Expleto septennio datur præsumptio juris pro sufficienti usu rationis ad peccandum mortaliter ; id tamen judicandum non est ex sola ætate, sed multo magis ex ingenio et educationis qualitate ; aliqui enim ante septennium et plures solum post, in septentrionalibus præsertim regionibus, rationis discretionem consequuntur.

Juxta disciplinam nostram diœcesanam, pueri necdum communicantes, *saltem quater in anno* ad confessionem evocentur, præmissa brevi et ad captum accommodata instructione ; sæpius vero, puta singulo bimestri, ii qui se proxime præparant ad sacram communionem (Past. Brug.). Optimum esse censet S. Car. Borr. ut pueri, etsi nondum perfecte ad annos discretionis accesserint, ante confessarium adducantur, ut incipiant paulatim instrui ac manu quasi duci ad cognitionem et usum hujus sacramenti.

(2) Cf. Gury t. 1, n. 92. Bouquillion op. c. n. 141 Ball. op. c. n. 161.

mortalia non tenetur ad confessionem venialium, sed sufficit ad præceptum Ecclesiæ implendum ut se sacerdoti repræsentet, et se ostendat absque conscientia mortalis esse; et hoc ei pro confessione reputatur. » (1). Obligationem apparendi coram sacerdote alii solum admittunt, si scandalum aut excommunicatio vitari debent (2).

31. Quar. 3° *Quo tempore præceptum annuæ confessionis impleri debet?*

R. Per se loquendo quovis anni tempore impleri potest; Conc. enim Lateranense nullam anni partem determinat pro annua confessione, dum contra pro annua communione paschale tempus designat. In universa tamen Ecclesia, ait Conc. Trid. Sess. XIV, cap. 5, observatur mos ille salutaris et merito retinendus confitendi sacro tempore Quadragesimæ. Si quis tempore paschatis peccato mortali gravatus est, is ex jure divino tenetur confiteri ratione communionis paschalis, quamvis jam antea satisfecisset præcepto annuo confessionis.

Annus intra quem confessio præcipitur, computari potest vel a januario ad decembrem, vel, juxta communiorem consuetudinem, ab uno tempore paschali ad aliud, ita ut dominica in albis compleatur annus præcedens et incipiat novus. Cf. S. Alph. l. VI, n. 662.

32. Cum quæstionibus modo tractatis, plures connectuntur quæstiunculæ quibus solvendis sequentes inserviunt adnotationes :

1) Qui decurrente anno novit se a confessione annua postea impeditum iri, hanc anticipare tenetur, quia jam adest præceptum et impleri potest.

---

(1) In 4 dist. 17, q. 3 a 1, et dist 16, q. 2, a 2; suppl. q. 8, a 5, ad 4.

(2) Cf. S. Alph. l. 6, n. 667; Gury, t. 1, n. 478. Disputant Theologi utrum Ecclesia possit directe legem ferre de venialibus saltem aliquibus confitendis. Certum est hujusmodi legem posse ferri indirecte, quatenus simpliciter præcipitur confessio, quo præcepto posito, qui non gravatur mortalibus, deberet unum saltem veniale confiteri. Cf. Suarez, De Lugo.

2) Qui annuam confessionem sive culpabiliter sive inculpabiliter omiserit, juxta communiorem sententiam tenetur confiteri quamprimum commode poterit ; terminus enim unius anni non est assignatus ad extinguendam obligationem, sed ad urgendam præcepti adimpletionem, ne scilicet confessio diutius differatur. Multi existimant peccatum neglectæ confessionis numerice multiplicari quoties, data opportunitate, confessio omittitur, sed probabiliter alii tenent peccatum tunc augeri quidem, non tamen numerice multiplicari, quia semper est eadem moraliter continuata præcepti violatio, sed numerice multiplicari si quis voluntatem non confitendi retractatam denuo renovaverit (1).

3) Qui alioquin rite confessus mortalia sua peccata, quædam tamen inculpabiliter reticuit, non tenetur iterum eodem anno confiteri ; præceptum enim Lateranense de omnibus peccatis confitendis integritatem solum formalem respicit.

4) Qui post confessionem mortalium quæ commisit, eodem anno in nova mortalia incidit, non tenetur ad novam confessionem ; quia Ecclesia unam tantum præcipit confessionem peccatorum quæ a postrema confessione memoriæ occurrunt.

5) Si omissa fuit confessio præcedentis anni, unica confessione satisfit præcepto præcedentis simul et præsentis anni, saltem si pœnitens peccata mortalia præsentis anni confitetur. Si vero post elapsum præcedentem annum, nullum mortale peccatum commisit ante confessionem, et post hanc, eodem adhuc currente anno, in mortale incidit, non satisfacit præcepto currentis anni, si teneas solam mortalium confessionem cadere sub præcepto Lateranensi, secus vero, si etiam venialium confessionem huic præcepto subjicias. Vix tamen practica est hæc distinctio, quia tempus annuæ confessionis solet computari a Paschate, et confessio eodem tempore peragi ad præceptum Ecclesiæ implendum (2).

---

(1) S. Alph. l. 6, n. 668; Marc. Institutionis morales Alphonsianæ n. 1685.

(2) Quæstiones aliquas cum interpretatione Decreti Lateranensis

33. Quær. 4° *Cuinam sacerdoti facienda est annua confessio ?*

R. Conc. Lat. præcipit confessionem annuam fieri *proprio sacerdoti*, quo nomine intelligitur parochus proprius pœnitentis, salvo jure Rom. Pont. qui in universa Ecclesia, et Episcopi qui in diœcesi sibi commissa proprius sunt sacerdos.

In Conc. Lat. legitur : « *Si quis autem alieno sacerdoti voluerit justa de causa sua confiteri peccata, licentiam prius postulet et obtineat a proprio pastore, cum aliter ille ipse non potest solvere et ligare.* » Verum sub hodierna Ecclesiæ disciplina non requiritur specialis delegatio pro confessione Conc. Lat. præscripta, et hæc fieri potest cuilibet sacerdoti jurisdictionem habenti vel a Rom. Pontifice vel ab Ordinario acceptam. Cum vero inde a Conc. Trid. Episcopi cum approbatione simul jurisdictionem concedant, parochi sub actuali disciplina non amplius jurisdictionem tribuunt ad confessiones excipiendas. Cf. Bened. XIV de Syn. l. XI, c. 13.

34. Quær. 5° *Quænam causæ excusant a præcepto annuæ confessionis.*

R. Excusat 1° impossibilitas physica, neque enim Deus vel Ecclesia impossibilia jubent ; 2° impotentia moralis, seu incommodum grave quod ab extrinseco et præter institionem sacramenti prudenter timetur, v. g. in bonis vitæ, fortunæ, honoris. etc. (Notandum tamen hujusmodi causam posse interdum excusare a confessione unius vel alterius peccati mortalis, quia ex illius manifestatione imminet damnum, non tamen a confessione aliorum peccatorum, et consequenter neque a confessione facienda). Quare non obligat

---

connexas diversimode solvunt theologi (cf. S. Alph. l. VI, n. 667 sqq. *Nouvelle Revue théologique* t. XX.) Subtiliores Decreti interpretationes non sunt populo e suggestu proponendæ, sed practice instandum ut fideles prætermissam confessionem annuam peragant quamprimum commode poterunt.

præceptum confessionis ut *per interpretem* fiat confessio, si confessarius pœnitentis idioma non cognoscit ; sed satis tunc est ut pœnitens, quantum fieri potest, nutibus ac signis confiteatur sua peccata (1). Plures tenent præceptum non modo divinum sed etiam ecclesiasticum ad *scriptam* confessionem præsenti confessario faciendam obligare eum qui aliter integre confiteri nequit ; v. g. mutum vel eum qui alium non reperit quam surdum confessarium (2). Alii vero probabiliter negant hanc obligationem, tum quia semper datur aliquale periculum revelationis, tum præsertim quia iste modus confitendi est medium extraordinarium quod nunquam in Ecclesia habitum est ut præceptum. Docent igitur sufficere ut confessio signis fiat, quantum fieri potest. Cf. S. Alph. l. VI, n. 479 ; Gury t. 2, n. 503, et quæstionem infra tractandam de integritate formali.

CAPUT IV.

DE EFFICACIA SACRAMENTI PŒNITENTIÆ.

35. Præsens quæstio complectitur effectus quos confert sacramentum pœnitentiæ, et modum quo illos effectus confert. Quod hoc alterum spectat, ex generali doctrina de sacramentorum efficacia præsupponitur sacramentum pœnitentiæ suos effectus ex *opere operato* conferre. Sacerdotes nimirum ut ministri Christi, Ejus nomine pronuntiant sententiam judicialem absolutionis quæ conjuncta cum actibus pœnitentis causa est instrumentalis remissionis peccatorum (cf. sup. n. 15). Restat igitur solum agendum de *effectibus* sacramenti pœnitentiæ.

Effectus sacramenti pœnitentiæ sunt : 1° Remissio peccatorum et gratiæ sanctificantis infusio ; 2° pœnarum

(1) S. Alph. l. VI, n. 479 ; Gury t. 2, n. 504.

(2) Suarez *de Sac. Pœnit.* disp. 36, sect. 6 ; De Lugo, *de Sac. Pœnit.* disp. 5, n. 87.

remissio ; 3° meritorum reviviscentia cum gratiæ sanctificantis et virtutum recuperatione ; 4° gratiæ sacramentales actuales ; 5° pax conscientiæ et serenitas cum vehementi spiritus consolatione quæ interdum sacramentum pœnitentiæ consequuntur.

36. Primus effectus est *peccatorum remissio et gratiæ sanctificantis infusio.*

Sacramentum pœnitentiæ rite susceptum 1° remittit peccata mortalia per gratiam sanctificantem quam ex opere operato confert (Conc. Trid. Sess. VII, Can. 7, et Sess. XIV, can. 1.).

2° Remittit peccata venialia cum gratiæ sanctificantis infusione. Potestas enim remittendi peccata, ad venialia quoque se extendit (v. n. 2, 10), non ita potestas retinendi, ut enim docet Trid., peccata venialia multis aliis mediis expiari possunt.

COROLL. I. Cum sacramentum pœnitentiæ per se et ex fine proprio institutum sit ad remissionem peccatorum mortalium seu ad reconciliandum Deo spiritualiter mortuos, ideo dicitur *sacramentum mortuorum,* et *per se* confert gratiam sanctificantem *primam* peccatorum remissivam et cum Deo reconciliativam ; sæpe tamen *per accidens* confert gratiam *secundam,* iis nimirum qui jam justificati illud suscipiunt (v. n. 10).

COROLL. II. Simul cum gratia sanctificante infunduntur vel augentur virtutes infusæ per se tum theologicæ tum morales ; ex gratia enim sanctificante « consequuntur omnes virtutes gratuitæ, sicut ex essentia animæ fluunt omnes potentiæ animæ. » (S. Th. supp. q. 89, a. 1.).

37. Quærit S. Th. p. 3 q. 86 et 87, *an unum peccatum remitti possit sine alio ?*

R. 1° In præsenti ordine Providentiæ, unum peccatum mortale remitti non potest sine alio : nam peccatum mortale formaliter remittitur per infusionem gratiæ sanctificantis quæ quodvis peccatum grave excludit ; fieri

enim nequit ut quis vel unius peccati mortalis reus, sit Dei amicus, filius adoptivus et hæres regni cœlestis. Præterea si remissio obtinetur per contritionem extra sacramentum, illa charitate perfecta esse debet, adeoque omnia peccata gravia propter universalitatem sui motivi attingit.

R. 2° Peccatum mortale remitti potest absque veniali; nam gratia habitualis compossibilis est cum veniali, et contritio attingere potest mortale peccatum, quin simul attingat veniale.

R. 3° Unum peccatum veniale remitti potest absque alio; nam sicut potest stare veniale cum gratia sanctificante, ita quoque esse potest cum remissione alterius venialis. Aliunde fieri potest ut contritio sit de quibusdam venialibus et non de aliis.

R. 4° Communius dicitur non posse remitti veniale homini in peccato mortali manenti; ut ait S. Th., q. 3, q. 87, a. 4, ad 3, « peccatum mortale excludit totaliter habitum gratiæ, sine quo nullum peccatum mortale vel veniale remittitur. » Inimicus enim Dei indignus est cui levis offensa condonetur.

38. Secundus effectus est *pœnarum remissio.*

Sacramentum pœnitentiæ 1° simul cum culpa mortali semper remittit reatum pœnæ æternæ sive infernalis; nam per gratiam habitualem pœnitens fit filius Dei adoptivus et hæres secundum spem vitæ æternæ. Conc. Trid. Sess. 6, cap. 14.

2° Remittit saltem *aliquam* pœnam reliquam temporalem tum ratione absolutionis, tum ratione satisfactionis sacramentalis a sacerdote impositæ et a pœnitente impletæ. (1) Dico saltem *aliquam* pœnam temporalem; nam virtute clavium sublata pœna æterna, pœna temporalis sensibilis plerumque exsolvenda manet vel in hoc seculo vel in futuro in purgatorio. (Conc. Trid, Sess. 6, can. 30, et

(1) Cf. Suarez, *de Pœnit.* disp. 19, s. 2. et disp. 38, s. 2.

Sess. 14, can. 15). Tanta autem ac talis potest esse contritio aut satisfactio sacramentalis ut tota pœna temporalis per sacramentum pœnitentiæ remittatur.

Inquirit S. Th. q. 86, a. 5, utrum, remissa culpa, etiam tolluntur omnes reliquiæ peccatorum?

Prænota. Per reliquias peccatorum intelliguntur quædam dispositiones vel effectus ex præcedentibus peccatis causati, cujusmodi sunt pravi habitus, corruptio appetitus, phantasiæ, humorum, inclinatio ad peccata, torpor animi ad spiritualia, etc. Jam ad quæstionem.

R. S. Thom. p. 3, q. 86, a. 5 : « peccatum mortale ex parte conversionis inordinatæ ad bonum commutabile, quamdam dispositionem causat in anima, vel etiam habitum, si actus frequenter iteretur. Sicut autem dictum est, culpa peccati mortalis remittitur, in quantum tollitur per gratiam aversio mentis a Deo : sublato autem eo quod est ex parte aversionis, nihilominus remanere potest id quod est ex parte conversionis inordinatæ, cum hanc contingat esse sine illa, sicut prius dictum est. Et ideo nihil prohibet quin, remissa culpa, remaneant dispositiones ex præcedentibus actibus causatæ, quæ dicuntur peccati reliquiæ. Remanent tamen debilitatæ et diminutæ, ita quod homini non dominentur ; et hoc magis per modum dispositionum quam per modum habituum, sicut etiam remanet fomes post baptismum. »

Reliquiæ peccatorum sensim diminui et tolli possunt 1° per gratiam Dei, qualis præsertim confertur per sacramenta Eucharistiæ, pœnitentiæ et extremæ unctionis, ac etiam oratione impetrari potest ; 2° per actus virtutum contrarios. Aliquando subito tolluntur reliquiæ ex speciali Dei gratia, ut contigisse videtur Magdalenæ, Luc. VII. V. Suarez in q. 86, a. 57.

39. Cum duplici effectu explicato connexa est quæstio: *an peccata remissa redeant per sequens peccatum?* (S. Th. p. 3, q. 88.)

R. 1° Peccata semel remissa deinceps per sequens peccatum non redeunt simpliciter nec quoad reatum culpæ nec quoad reatum pœnæ remissæ, ad reddendum hominem eodem modo Deo exosum et pœna dignum quo reddebant ante eorum remissionem. Sententia communis est et certa cum S. Th. p. 3, q. 88.

Prob. 1°. Ex Scriptura quæ significat peccata simpliciter, absolute remitti et independenter ab omni eventu futuro, dum declarat peccata *auferri*, *tolli*, *deleri*, *projici*, *in profundum maris*. Isaiæ, 38, 17; 54, 22; Mich., 7, 19; Ps. 50.) 2° Testimonio Gelasii P. dist. 4 de Pœnit. c, 24: Divina clementia dimissa peccata in ultionem ulterius redire non patitur. « 3° Confirmatur ratione theologica, quia pro peccatis remissis exhibita est condigna satisfactio per applicationem meritorum Christi.

Nec obstat quod Deus (Psalm. 78, 8, 108, 14) dicatur recordari præteritorum peccatorum; id enim intelligendum est vel de pœna peccatorum nondum remissorum, vel de pœna temporali nondum remissa pro peccatis jam condonatis, quorum Deus quasi oblitus videtur, dum eorum punitionem distulit, recordari vero cum ex occasione sequentium peccatorum illa peccata punit.

R. 2° Peccata remissa per subsequentia peccata redire possunt secundum quid seu modo minus proprie dicto et quasi æquivalenter, *a)* ratione ingratitudinis erga Deum benefactorem quæ subsequens peccatum aggravat, novam tamen speciem illi non addit, nisi directe « peccator in contemptum Dei et suscepti beneficii aliquod peccatum committat. » (1) Quatenus b) ratione subtractionis abundantioris gratiæ quam Deus novis peccatis offensus, ita

(1) Cf. S. Th. 3 p. q. 88, a. 3, et 4. Ibidem a. 2 docet ingratitudinem potissimum contineri in apostasia a fide, odio fraterno, contemptu confessionis et dolore de pœnitentia habita, secundum quod quidam metrice dixerunt: *Fratres odit, apostata fit, spernitque fateri, pœnituisse piget, pristina culpa redit.* Ratio est quia directe repugnant beneficio remissionis præteritorum peccatorum.

subinde negat, ita ut peccator relabatur in peccata prius dimissis similia aut graviora 3° Ratione pœnarum temporalium quas Deus, mensura per sequens peccatum impleta, infligit.

40. Tertius effectus est *meritorum reviviscentia cum gratiæ sanctificantis et virtutum recuperatione.*

Explicatur quæstio. Prænota quadruplicis generis opera distingui posse in homine ad finem supernaturalem destinato : nimirum opera a) *viva*, b) *mortua*, c) *mortifera*, d) *mortificata*. Opera *viva* sunt opera supernaturalia hominis justi quæ de condigno merentur gloriam seu vitam æternam ejusque augmentum. Meritum igitur de condigno, si concrete sumatur, est actus supernaturalis justi de condigno meritorius æternæ gloriæ ; in abstracto autem dici potest jus et efficacia operis ad consequendum gloriam ejusque augmentum. Opera *mortua* sunt opera bona vel etiam supernaturalia ab homine in statu peccati mortalis peracta, quæ gloriam de condigno non merentur, quia deest gratia habitualis ad meritum de condigno necessaria (1). *Mortifera* dicuntur peccata quæ gratiam habitualem vitæ animam destruunt, si sint mortalia, vel fervorem charitatis minuunt et ad mortem animæ disponere possunt, si sint venialia. *Mortificata* denique sunt opera viva antea facta, sed quæ per subsequens peccatum mortale amittunt meriti efficaciam perducendi hominem ad gloriam, quamdiu is in statu peccati mortalis perseverat, et ideo metaphorice dicuntur *opera* vel *merita mortificata*.

Quæstio præsens est de hisce *operibus* seu *meritis*

(1) Opera mortua sunt tamen peccatoribus utilia, quia interdum temporalem retributionem merentur, et si supernaturalia sunt, ad gratiam veræ pœnitentiæ disponunt, gratias ulteriores impetrando. Unde vetus est de his operibus adagium : « *Quæ cum mortali bona fiunt, dant bona terræ, cor faciunt humile, minuunt tormenta gehennæ.* »

mortificatis, utrum reviviscant necne per pœnitentiam qua peccator justificatur, i. e. an meritum ad gloriam istorum operum per subsequens peccatum mortale mortificatum, sit tantum modo impeditum ac suspensum ideoque reviviscat sublato peccato per pœnitentiam ; an vere istud meritum sit penitus exstinctum et irreparabiliter deperditum. Quia vero meritum gloriæ necessario connexum est cum gratia habituali, quæ est quasi semen gloriæ et fundamentum juris ad illam, sequitur reviviscentiam meritorum ad gloriam exigere reviviscentiam gratiæ habitualis amissæ et virtutum supernaturalium.

Circa meritorum reviviscentiam duo quæruntur : I. *an remisso peccato mortali merita mortificata reviviscant,* II. *in quo gradu merita reviviscant.*

41. I. *Merita mortificata reviviscunt dum pœnitens justificatur,* ideoque tunc opera mortificata efficaciam suam perducendi ad vitam æternam recuperant. Est sententia communis et certa.

Prob. 1° Conc. Trid. Sess. VI, cap. 16, et can. 32, huic doctrinæ favet ; ibi enim tres tantum requiruntur conditiones ut opera bona prosint ad vitam æternam : *a)* ut facta fuerint in statu gratiæ ; *b)* ut facta fuerint ex gratia actuali ; *c)* ut justus in gratia decedat. Atqui conditiones illæ reperiuntur in operibus mortificatis, quando homo per pœnitentiam justificatur a peccatis et in statu gratiæ decedit ; nec Concilium requirit ut justus semper maneat in statu gratiæ.

2° Communis scholasticorum consensus reviviscentiam meritorum docet. Plures autem ex illis eam confirmant auctoritate sacræ Scripturæ, Heb. VI, 10 : *Non enim injustus est Deus, ut obliviscatur operis vestri ;* quem locum de operibus mortificatis intelligunt aliqui Patres Ecclesiæ apud Suarez, in opusc. *de Revivisc. meritorum.* In hunc sensum etiam propendere videtur Trid. Sess. VI, cap. 6, declarans hæc verba Apostoli proponenda esse « justificatis

hominibus sive acceptam gratiam perpetuo conservaverint, sive amissam recuperaverint. » Deinde confirmant ex Ep. ad Gal. III, 3 ; *Tanta passi estis sine causa, si tamen sine causa* ; quæ verba, juxta S. Hier., Chrysost., Ambros., etc., significant fideles a peccatis conversos accepturos esse mercedem dolorum quos antea passi fuerant. »

3° Confirmatur ratione theologica : a) Bonitas enim Dei effusissima suadet ut opera in ejus gloriam peracta quæ ei accepta fuerunt, et quantum est de se manent accepta, sua donentur mercede, cum nullus obsistit remunerandi obex. b) Per hujusmodi reviviscentiam, justus efficacius excitatur ad opera meritoria multiplicanda, et peccator ad pœnitentiam ut merita deperdita recuperet.

Obj. Peccata dimissa non redeunt, ergo nec opera mortificata reviviscunt.

R. cum S. Th. p. 3, q. 89, a 5, ad 1 : « Dicendum quod opera peccati per pœnitentiam abolentur secundum se ; ita scilicet quod ex eis ulterius, Deo indulgente, nec macula nec reatus inducatur : sed opera in charitate facta non abolentur a Deo in cujus acceptatione remanent, sed impedimentum accipiunt ex parte hominis operantis : et ideo remoto impedimento quod est ex parte hominis operantis, Deus implet ex sua parte illud quod opera merebantur. »

Coroll. Cum reviviscente merito ad gloriam simul recuperantur gratia habitualis et virtutes supernaturales deperditæ. Jus enim ad gloriam innititur gratiæ habituali, ex qua consequuntur virtutes supernaturales (v. n. 28). Et quia gloria æterna semper commensuratur gratiæ habituali quæ vivificat animam a corpore digressam, consequens est reviviscentiam juris ad gloriam per anteacta opera acquisiti, implicare recuperationem gratiæ sanctificantis per peccatum amissæ quæ gloriæ proportionatur.

42. Quær. *In quo gradu,* seu in *quanam quantitate reviviscunt merita.*

R. Circa hanc quæstionem dissident theologi :

1ª Sententia tenet pœnitenti nihil restitui ex præteritis meritis, sed tantum dari gratiam et jus ad gloriam juxta dispositionem quacum a peccato resurgit. Hi quidem admittunt merita reviviscere, sed ad gloriam dumtaxat accidentalem, gaudium videlicet de iis in cœlo, vel etiam ad gratiam et gloriam non majorem sed duplici titulo accipiendam, nempe meritorum præcedentium et præsentis dispositionis (Bannez, Sylvius, Contenson, etc). Hæc sententia quæ nomen tantum servat reviviscentiæ, rejicienda est.

2ª Sententia tenet præcedentia merita gratiæ habitualis et gloriæ reviviscere secundum mensuram præsentis dispositionis cum qua justificatur ; ita ut si quis ante peccatum merita habuerit ut viginti, et resurgat per contritionem ut quatuor, gratiam et jus ad gloriam recipiat ad octo gradus, quatuor ob præsentem contritionem, quatuor ob præcedentia merita (Valentia, Gonet, etc). Nituntur a) auctoritate S. Thomæ dicentis p. 3. q. 89, a 2, quod « pœnitens quandoque resurgit in majori gratia, quandoque in æquali, quandoque vero in minore. » et b) Conc. Trid. Sess. 6, cap. 7 docentis gratiam infundi « *secundum propriam cujusque dispositionem.* »

3ª Sententia docet merita præcedentia seu gratiam cum virtutibus, et jus ad gloriam semper reviviscere in eodem gradu et in eadem quantitate, prout erant ante peccatum, qualiscumque sit dispositio quacum justificatur pœnitens. In hac sententia pœnitens semper resurgit in majori gratia, quia præter gratiam deperditam quæ ex integro reviviscit, aliam accipit vi præsentis contritionis vel absolutionis.

Hæc sententia quam propugnat Suarez, probabilior est et probatur : *a)* Argumenta allata ad probandam reviviscentiam, demonstrant eam esse totalem, nec ejus gradum restringunt juxta mensuram dispositionum ; *b)* præsens contritio pœnitentis non concurrit ad reviviscentiam meritorum tamquam illorum causa aut dispositio ad illa, sed tantum ut removens prohibens, seu ut sublatio impedimenti efficaciæ meritorum.

Hoc autem impedimentum removetur per quamcumque dispositionem quæ sufficiens sit ad justificationem. Quo sublato impedimento, merita præterita quæ semper manent in acceptatione divina, solumque ex parte subjecti impedita erant, totam suam vim et efficaciam recuperant.

Nota. a) Absque fundamento opinati sunt quidam solam gratiam sanctificantem restitui operibus meritoriis de condigno correspondentem, non vero eam quam quis primum per contritionem perfectam, vel ex opere operato sacramentorum sibi acquisivit.

b) Reviviscentia meritorum provenit ex Dei bonitate et misericordia, quatenus voluit ut merita non penitus extinguerentur per peccatum, sicut absolute delentur demerita per pœnitentiam ; posita tamen hac gratuita reviviscentia, meritis reviviscentibus justi in statu gratiæ decedentis, ex justitia debetur vita æterna. Cf. Suarez, *de Revivisc. merit.*

43. Quartus effectus sacramenti pœnitentiæ est *gratia actualis sacramentalis.*

Ex generali doctrina de sacramentis notum est sacramenta pro diverso ad quem instituta sunt fine, distinctos habere effectus. Gratia scilicet sanctificans ita per singula sacramenta confertur, ut specialem habeat ordinem ad actualia gratiæ auxilia tempore opportuno conferenda, quibus finis sacramenti proprius obtineatur. Quamquam autem gratiæ illæ actuales non ita sacramentis sint alligatæ, ut sine illis obtineri nequeant, et de facto non obtineantur, v. g per ferventem orationem, utilissima tamen etiam in hunc finem est sacramenti susceptio, quia gratiæ actuales vi suscepti sacramenti collatæ (et ideo sacramentales dictæ) per se uberiores sunt et intensiores quam alias datæ essent.

In specie vero vi sacramenti pœnitentiæ, opportuno tempore conceduntur gratiæ actuales *ad efficacius peccata detestanda, ad futura vitanda, et ad satisfaciendum pro*

præteritis peccatis. Cf. Suarez, in q. 62, d. 7, s. 3, et De Lugo, d. 10, s. 3.

44. Quintus effectus est *conscientiæ pax ac serenitas cum vehementi spiritus consolatione*, quæ interdum in viris piis et cum devotione hoc sacramentum percipientibus, consequi solet reconciliationem cum Deo. (Conc. Trid. Sess. 14, cap. 3). Specialis hæc conscientiæ pax tum ex defectu fervoris tum aliis ex causis impediri potest, et a Deo etiam ad probationem ferventis animæ subtrahi.

—

APPENDIX

DE REMISSIONE PECCATORUM VENIALIUM.

45. Potestas remittendi peccata se extendit ad peccata *venialia*, non ita potestas retinendi ; nam sacramentum pœnitentiæ non est medium necessarium ad illorum remissionem, ut enim docet Trid., venialia « *taceri citra culpam, multisque aliis mediis expiari possunt.* » Antequam hæc media assignentur, sequentia ex doctrina S. Thomæ p. 3, q. 87 hic opportune notanda veniunt circa peccatorum venialium remissionem.

1° Peccatum veniale ex lege Dei ordinaria non remittitur sine pœnitentia formali vel virtuali seu, ut ait S. Th., ad 2, dicendum quod *peccatum veniale nunquam remittitur sine aliquali actu pœnitentiæ virtutis, explicito scilicet vel implicito.* » Probatur ex S. Script. generatim requirente pœnitentiam ad remissionem peccatorum ; et suadetur ipsa ratione, quia conveniens est ut voluntaria Dei offensa etsi levis non remittatur absque voluntaria ejus retractatione.

Nota contritionem et pœnitentiam esse formalem et explicitam quando adest dolor et detestatio peccati commissi, virtualem vero et implicitam quando ipus aliquis affectus

in Deum induceret in dolorem et detestationem peccati, si hoc memoriæ occurreret.

2° Nullus consequitur remissionem venialis peccati, nisi vel justus sit vel tunc justificetur. Ratio est quod inimicus Dei indignus est cui levis offensa condonetur. Quare peccatum veniali remitti non potest sine mortali conjuncto (S. Th. q. 87, a. 4). Contra peccatum mortale remitti potest sine veniali, tum quia gratia sanctificans per quam formaliter remittitur mortale non repugnat veniali, et quia contritio haberi potest de mortali quin simul habeatur de veniali.

3° Unum veniale remitti potest sine alio veniali, quia contritio haberi potest de uno veniali et non de alio diversæ speciei aut conditionis.

4° Ad remissionem venialis peccati non requiritur nova infusio gratiæ habitualis. Ratio est cum S. Th. l. c. «quia unumquodque tollitur per suum oppositum; peccatum autem veniale non contrariatur habituali gratiæ neque enim tollit aut diminiut eam.» Peccata tamen venialia nunquam remittuntur sine infusa gratia quam sacramenta efficiant aut actus supernaturales mereantur per quos justus consequitur venialium remissionem. Hanc tamen justus non meretur de condigno (De Lugo *de Pœnit.* d. 9, s. 2).

46. *Quænam sunt media quibus peccata venialia remittuntur?*

R. *a)* Contritio aut charitas perfecta remittit ex opere operantis ea peccata venialia quæ formaliter aut virtualiter detestatur. Requiritur igitur aliquis fervor charitatis vel contritionis, hæc enim consistere potest cum venialibus, quia non quilibet actus charitatis aut contritionis excludit affectum ad venialia. S. Th. q. 79, a. 4, ad 1, et q. 87 a. 1, ad 3.

b) Sacramenta pœnitentiæ, baptismi et extremæ onctionis ex opere operato remittunt venialia. Eucharistiæ eadem

tribuitur efficacia (S. Th. p. 3, q. 97, a. 4), et probabilius cæteris sacramentis (1). Ad hunc effectum requiritur contritio formalis saltem imperfecta in sacramento pœnitentiæ; in cæteris vero sacramentis sufficit virtualis inclusa in pio aliquo motu in Deum habente repugnantiam cum venialibus peccatis.

c) Juxta plures Doctores (2), quælibet contritio imperfecta quam justus habet de venialibus sufficit ad illorum remissionem. Alii vero id negant (3), quia consequeretur peccata venialia nunquam per sacramentum pœnitentiæ remitti. Dicendum tamen videtur dari posse contritionem imperfectam quæ peccata venialia remittat, secus enim-illorum remissio difficilior esset quam mortalium extra sacramentum, quia ad utraque remittenda requireretur contritio aut charitas perfecta, hæc autem difficilius se extendit ad venialia etiam excludenda quam ad sola mortalia. Dicunt igitur plures ad venialium remissionem sufficere contritionem imperfectam, si fervens sit contritio aut per alia pia opera adjuvetur (4).

d) Qui tenent contritionem imperfectam sufficere ad remissionem venialium, etiam docent justum per virtutum actus suos supernaturales peccato veniali repugnantes ejusque complacentiam excludentes, obtinere illius remissionem

---

(1) Suarez Vasquez, Henriq., allique theologi communius cum S. Th. q. 87, a, 3.

(2) Caj. Valent, Suarez, etc.

(3) Vasquez, Soto, Layman, Becanus De Lugo, etc.

(4) Cf. De Lugo de Pœn. d. 8, s. 2, qui ibidem docet non semper remitti peccata venialia, posita quacumque attritione, nisi per fervorem vel alia pia opera adjuvetur. « Qualis autem et quanta dispositio exigatur a Deo ad remissionem singulorum venialium nos scire non possumus, sed conari debemus ad habendam vel contritionem (perfectam) vel attritionem in sacramento, vel attritionem ferventem et intensam extra sacramentum, et adjungere alia pia opera : quis enim scit, an pro aliquo venialium genere, Deus extra sacramentum velit simul cum attritione aliqua alia opera, jejunium v. g., eleemosynam vel humilem petitionem veniæ a proximo aut aliquid simile. »

(Suarez q. 87, d. 11, s. 3). In patrocinium hujus sententiæ affertur S. Thom q. 87 a 1, scribens: « Sequitur quod requiratur quædam virtualis displicentia, puta *cum aliquis hoc modo fertur in Deum et res divinas ut quidquid sibi occurreret quod eum ab hoc motu retardaret displiceret ei, et doleret se hoc commisisse.* »

e) Sacramentalia quæ late heic sumuntur pro quibusdam rebus et actionibus sacris ab Ecclesia institutis vel in ea adhiberi solitis, ut v. g. unctiones non sacramentales, benedictio Episcopi, aqua lustralis, oratio in ecclesia consecrata, cineres benedicti, oratio dominica, eleemosyna, confessio generalis, tunsio pectoris etc. vim habent ad remittenda venialia, non quidem immediate et ex opere operato, sed mediate tantum et ex opere operantis, mediante scilicet pœnitentia formali vel virtuali quæ eis conjungitur, et ad quam agendam illa excitant et impetrant a Deo gratiæ actualis auxilia. S. Th. q. 87, a. 3.

f) Peccata venialia quibuscum justus moritur, remittuntur per actum charitatis aut contritionis perfectæ quem anima corpore soluta illico de illis elicit. Ita communius theologi cum S. Th. q. 7 de Malo, a. 11. Cf. Suarez *de Pœnit.* d. 9 s. 14. Ille tamen actus qui a Deo acceptatur ad remissionem culpæ non est meritorius gratiæ et gloriæ, quia anima est extra statum viæ, nec etiam meretur remissionem pœnæ.

PARS SECUNDA

De actibus pœnitentis.

Solus homo qui post baptismum commisit peccatum, est subjectum capax sacramenti pœnitentiæ. Tres autem actus requiruntur ad Sacramentum pœnitentiæ, nimirum *contritio, confessio* et *satisfactio,* quæ etiam vocantur partes materiales sacramenti (n. 14-15). De his singillatim disputandum.

CAPUT I.

DE CONTRITIONE.

Contrio pars est sacramenti maxime necessaria, quæ etiam rationem habet dispositionis ad effectum sacramenti requisitæ, qui tanto major est quanto dispositio ferventior.

Considerabimus contritionem 1° in se, seu quatenus est actus virtutis pœnitentiæ, 2° in sacramento pœnitentiæ, seu quatenus est pars sacramenti.

ART. I.

De contritione in se ut est actus virtutis.

Contritio quæ est præcipuus actus virtutis pœnitentiæ, distinguitur in *perfectam* et *imperfectam.* Antequam de utraque disseratur, tractanda est quæstio prævia de *virtute pœnitentiæ* (Cf. S. Th. p. 3. q. 85).

§ I

De virtute pœnitentiæ.

Dicendum est I de natura virtutis pœnitentiæ, II de necessitate actus pœnitentiæ.

47. I. Pœnitentia quæ a *pœna* derivatur et græce *metanoia* dicitur, ex usu biblico et ecclesiastico non solum novæ vitæ propositum et inchoationem, prout Lutherus contendebat, sed etiam detestationem et dolorem de peccato commisso et satisfactionem per opera pœnalia complectitur. Conc. Trid. Sess. XIV, cap. 3 actus pœnitentiæ revocat ad *contritionem*, *confessionem* et *satisfactionem*. Sola contritio pertinet ad essentiam pœnitentiæ secundum quod est virtus, et definitur a Conc. Trid.: « *animi dolor ac detestatio de peccato commisso cum proposito non peccandi de cætero.* » Satisfactio ut distinguitur a contritione non est essentialis virtuti pœnitentiæ; confessio requiritur jure divino ad pœnitentiam sacramentum.

Pœnitentia supernaturalis sumitur pro *virtute* et pro *actu pœnitentiæ*. Quamvis actus pœnitentiæ ab habitu infuso non elicitus, stricte loquendo dici nequeat actus virtutis pœnitentiæ, sic tamen ex usu communi vocatur, quia sub influxu gratiæ actualis vicem habitus supplentis exercetur ex motivo virtutis pœnitentiæ.

Virtus pœnitentiæ aliquo sensu dici potest virtus *generalis*, quatenus contritio de peccatis concipi potest ex motivo formali cujuslibet virtutis, sic, v. g. charitas, obedientia, gratitudo, spes ex proprio suo motivo detestari possunt omnia peccata, quatenus opponuntur bonitati Dei per se dilecti, voluntati Dei legiferæ ac beneficæ, et beatitudinis assecutionem impediunt vel retardant.

Communis tamen est sententia dari virtutem pœnitentiæ *specialem* a cæteris virtutibus distinctam, quæ detestatur peccata ob proprium motivum formale distinctum ab objecto formali aliarum virtutum. Quod ita demonstrat S. Thomas (3. q. 85, a. 1.): « Species habituum distinguuntur secundum species actuum; et ideo ubi occurrit specialis actus laudabilis, ibi necesse est ponere specialem habitum virtutis. Manifestum est autem quod in pœnitentia invenitur specialis ratio actus laudabilis, scilicet *operari ad destructionem peccati in quantum est offensa Dei,*

quod non pertinet ad rationem alterius virtutis. Unde necesse et ponere quod pœnitentia est virtus specialis. » Et a. 3 : « Pœnitentia non habet quod sit virtus specialis ex hoc solo quod dolet de malo perpetrato (ad hoc enim sufficeret charitas), sed ex eo quod pœnitens dolet de peccato commisso, *in quantum est offensa Dei cum emendationis proposito. Emendatio autem offensæ contra aliquem commissæ non est per solam cessationem offensæ, sed exigitur ulterius quædam recompensatio.* »

48. Ad mentem igitur S. Thomæ pœnitentia ut est virtus specialis definiri potest « *habitus a Deo infusus inclinans ad detestationem et dolorem de peccato commisso in quantum est offensa Dei, cum emendationis proposito.*

Dicitur 1° habitus *infusus*. Infunditur immediate a Deo simul cum gratia sanctificante, *sine nobis principaliter operantibus, non tamen sine nobis dispositive cooperantibus per aliquot actus.* (3. q. 85 a. 5). Actus supernaturales quibus peccator ad pœnitentiæ virtutem et justificationem ordinarie disponitur ac perducitur, sunt actus *fidei, timoris pœnarum, spei, dilectionis* Dei quo peccatores Deum tanquam omnis justitiæ fontem diligere incipiunt, *pœnitentiæ* adversus peccata per odium aliquod et detestationem (Conc. Trid. Sess. VI, cap. 3; S, Th. ibid. a. 5). Timor pœnarum utilis dicitur a Trid. et proinde necessarius non est. Cæteri actus implicite contineri possunt in actu supernaturali pœnitentiæ seu contritionis.

Dicitur 2° inclinans ad dolorem et detestationem peccati in *quantum est offensa Dei cum emendationis proposito.* His ultimis verbis indicatur motivum seu objectum formale : virtus enim specialis pœnitentiæ de peccatis dolet eaque detestatur *quia sunt offensa et injuria Dei* qui jus essentialiter habet ut sibi honor a creatura rationali deferatur suaque voluntas fiat. Hanc offensam et injuriam intendit *emendare*, i. e. *abolere, compensare* per actus suos, inter quos præcipuus est contritio. « Dolor pœnitentis est dis-

plicentia et reprobatio facti præteriti *cum intentione removendi sequelam ipsius, scilicet offensam Dei et reatum pœnæ.* » (a. 1. ad 2). Notandum enim est post actum peccati et donec remissum fuerit, manere *reatum culpæ* et *pœnæ*, manet enim moraliter injuria quam Deo intulit et quæ a Deo semper imputatur donec condonatum sit peccatum. Unde manet in peccatore condignitas et meritum ad sustinendam inimicitiam et odium Dei, si peccatum fuerit mortale, ejusque saltem displicentiam, si veniale fuerit. Hunc reatum culpæ comitatur reatus pœnæ in peccati vindictam. Primarius finis virtutis pœnitentiæ est destructio culpæ, secundarius vero est destructio omnis reatus pœnæ.

Hinc intelligitur quomodo a Theologis dicatur motivum seu objectum formale virtutis specialis pœnitentiæ esse *debitum offensam et injuriam Dei expiandi et compensandi*, vel esse debitum servandi jus Dei illæsum, illudque peccato læsum reparandi per aliquam compensationem.

Infertur virtutem specialem pœnitentiæ esse virtutem non theologicam, sed *moralem ;* ejus enim objectum formale non est aliqua Dei perfectio quam immediate attingat, sed honestas quæ reperitur in reparatione juris divini per peccatum læsi. Reducitur ad *justitiam commutativam* ; pœnitentia enim commutationem quamdam exhibet pro offensa Deo illata, offerendo aliquam compensationem et satisfactionem. Quia tamen homo non potest Deo reddere æquivalens seu « sufficiens simpliciter sed solum secundum acceptationem superioris » (S. Th. q. 85, a. 3), ideo pœnitentia deficit a perfecta justitia, et est virtus annexa justitiæ seu illius *pars potestativa.*

49. Ex dictis de virtute pœnitentiæ tum generali tum speciali infertur :

1° Objectum materiale pœnitentiæ est *a)* peccatum personale tum actuale tum habituale — *b)* peccatum olim commissum et jam remissum — et *c)* ex consequenti peccatum quod adhuc committi potest. « Actus ejus (pœni-

tentiæ) proprius et principalis scilicet contritio, secundum suam speciem respicit tantum peccatum præteritum, sed ex consequenti respicit peccatum futurum » (S. Th. in IV D. 16, a, 2). Contra objectum materiale pœnitentiæ rigorose loquendo non est peccatum originale vel alienum, quia non est inductum propria pœnitentis voluntate ; de eo tamen potest esse dolor et displicentia.

2° Subjectum proximum pœnitentiæ est viator peccati reus vel capax. Subjectum vero proximum seu facultas in qua subjectatur, est *voluntas* rationalis, hæc enim elicit formales pœnitentiæ actus, v. g. odium et detestrationem peccati, animi dolorem, intentionem delendi offensam Dei, etc. Præter hos actus qui dicuntur actus *eliciti* pœnitentiæ, quia voluntas pœnitens eos immediate per seipsam producit, dantur actus *imperati* pœnitentiæ, qui ab alia virtate eliciuntur, quosque imperat voluntas pœnitens ad finem et ex motivo pœnitentiæ. Sic autem imperari possunt actus omnium virtutum qui utiles sunt ad veniam peccatorum consequendam et ad illa expianda.

50. Præcipuus actus pœnitentiæ est contritio, seu « *animi dolor et detestatio de peccato commisso cum proposito non peccandi de cætero.* » (Conc. Trid.)

Dicitur *a) Animi dolor et detestatio.* Detestatio est reprobatio peccati qua voluntas se a peccato avertit et desiderat illud nunquam fuisse commissum (1). Cum illa detestatione sponte in subjecto capaci conjungitur dolor voluntatis seu tristitia rationalis (2). Hunc dolorem præ-

(1) Contritio flandrice dicitur *berouw* quam vocem sic exponit Weiland : u *Rouw* duidt aan eene diepe smart over een eigen gepleegd misdrijf. *Berouw* eene volheid van smart, waarin de wensch bijzonderlijk doorstraalt dat de daad niet geschied ware, en de zucht om zé te herstellen en de herhaling daarvan te vermijden.

(2) Sancti in cœlo detestantur peccata a se olim commissa, de iis tamen non dolent, quia doloris sunt incapaces propter statum beatitudinis.

sertim si intensus sit, facile consequi potest dolor sensibilis, sive passio tristitiæ quæ subjectatur in appetitu sensitivo, ad contritionem tamen necessario non spectat, nec requiritur. Signum esse potest doloris spiritualis, non tamen certum nec necessarium ; nam ratione complexionis corporalis, tristitia sensibilis oriri potest ex displicentia inefficaci vel ex alia causa, et abesse potest quamvis voluntas sincere doleat.

Disputant DD. in quo primario consistat contritio seu pœnitentiæ actus, an in detestatione, an vero in dolore, et de ordine inter duos illos actus quos Conc. Trid. memorat et ad contritionem requirit (S. Alph. n. 435). Verum, ut advertit Ballerini (Gury, n. 440), « Parum id refert ; nec verendum est, ut alterutrum desit. Mutuo enim se supponunt, et alterum alteri necessario adjungitur. Quippe, ut ait S. Alph., qui suum detestatur peccatum, vellet nempe se non peccasse ; hic necessario de ipso dolet, et rursum qui de peccato dolet, illud necessario detestatur. »

Dicitur *b*) de *peccato commisso*, propria nempe pœnitentis voluntate. Indicatur objectum materiale contritionis. Debet peccatum considerari in suo esse morali, quatenus oppositionem aliquam habet cum Deo ; unde non sufficit considerare peccatum prout præcise opponitur regulæ rationis in ordine ad convictum humanum, nam per hujusmodi dolorem peccator non convertitur ad Deum.

Dicitur c) *cum proposito non peccandi de cætero.* Qui enim offensam Dei detestatur, indifferens esse nequit quoad peccata futura committenda vel evitanda : quare si quis eo momento de futura sua vita cogitet, sponte concipiet formale propositum deinceps peccatum vitandi. Si vero de ea non cogitet, propositum in ipsa dolorosa peccati detestatione includitur. Cf. Lugo *de Pœnit.* d. 13, s. 5.

Contritio supernaturalis dicitur *perfecta*, si concipitur ex motivo charitatis theologicæ, *imperfecta* vero seu attritio,

si concipitur ex motivo spectante ad virtutem specialem pœnitentiæ, vel ad aliam virtutem a charitate distinctam (1).

51. II. *De necessitate pœnitentiæ.*

Quær. *An et qualis pœnitentia necessaria sit ad remissionem peccatorum mortalium ?*

R. 1° In actuali providentiæ ordine ad remissionem peccatorum mortalium necessitate medii et præcepti divini necessarius est pœnitentiæ seu contritionis actus. Prob. *a)* ex Conc. Trid. Sess. XVI. cap. 4 : « *Fuit autem quovis tempore ad impetrandam veniam peccatorum hic contritionis motus necessarius* » cf. ib. cap. 1). *b)* S. Scriptura et Patres pœnitentiam exhibent et prædicant ut conditionem necessariam ad remissionem peccatorum et ad salutem (2). Id confirmat ratio theologica cum S. Th. q. 86, a. 2 : *Offensa peccati mortalis procedit ex hoc quod voluntas hominis est aversa a Deo per conversionem ad aliquod bonum commutabile : unde requiritur ad remissionem divinæ offensæ, quod voluntas hominis sic immutetur, ut convertatur ad Deum cum detestatione conversionis prædictæ et proposito emendandi.*

2° Requiritur contritio saltem imperfecta cum sacramento baptismi vel pœnitentiæ (v. intra sub Art. II), vel contritio perfecta una cum voto baptismi vel sacramenti pœnitentiæ (v. n. 25 et 54) eaque contritio *per se* debet esse *formalis* seu explicita ; testimonia enim quæ probant

---

(1) Contritio perfecta a scholasticis frequenter dicitur simpliciter *contritio*, imperfecta vero *attritio*, metaphora deducta a rebus corporeis quæ atteri dicuntur, dum in varias partes non adeo minutas dividuntur, conteri vero, dum in minutissimas partes aut in pulverem solvuntur. Cf. S. Th. Suppl. q. 1, a, 1 et 2. Nomen attritionis circa finem sæc. XIII usurpari cœpit.

(2) Luc. XIII, 3. *Si pœnitentiam non egeritis, omnes simul peribitis.* Ezech. XVIII, 20 sqq. Joel II, 12. — S. Greg. M. *Hom.* 20 declarat « *peccatorem fugere non posse iram venturam, si nunc ad pœnitentiæ lamenta non recurrat.* »

necessitatem pœnitentiæ vel contritionis, in sensu proprio intelligenda sunt, ideoque de formali pœnitentiæ actu. Dicitur tamen *per se*, nam *per accidens* sufficit contritio perfecta *virtualis* quæ includitur in actu charitatis perfectæ, in quantum ille actus votum continet contritionis et de facto illam excitaret, si peccata memoriæ occurrerent; moraliter enim impossibile est, ut quis perfectæ charitatis actu diligat Deum et simul advertens sua peccata quorum nondum pœnitentiam egit, ea non formaliter detestetur. De tempore quo præceptum divinum obliget ad sacramentum pœnitentiæ vel ad contritionem perfectam, cf. n. 27 et 55.

3° Ex præcepto divino pœnitentiæ non tenetur homo in hac vita Deo satisfacere ex opere operantis pro *pœna temporali* quæ, remissa culpa, sæpe exsolvenda superest. Per accidens tamen teneri potest ad actus externos pœnitentiæ, si moraliter necessarii videantur ad vitandum peccatum; satisfactio autem sacramentalis ex jure divino pertinet ad sacramenti pœnitentiæ integritatem, et ex præcepto implenda est.

§ II.

De contritione perfecta.

52. Dicendum I de natura contritionis perfectæ, II de illius efficacia, III de præcepto contritionis perfectæ eliciendæ.

Præmittitur doctrina Conc. Trid. cui tota innititur tractatio de contritione. Tradita definitione contritionis generice sumptæ, quod sit *animi dolor* etc. eam distinguit Conc. Sess. XIV, cap. 4, in contritionem *perfectam* et *imperfectam*, et utriusque motivum et efficaciam declarat his verbis: « Docet præterea (sancta Synodus) etsi contritionem hanc aliquando *charitate perfectam* esse contingat, *hominemque Deo reconciliare priusquam hoc sacramentum actu suscipiatur*, ipsam nihilominus reconciliationem ipsi contritioni *sine sacramenti voto*, quod in illa includitur,

non esse adscribendam. Illam vero contritionem *imperfectam*, quæ *attritio* dicitur, quoniam vel *ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennæ et pœnarum metu communiter concipitur*, si voluntatem peccati excludat cum spe veniæ, declarat, non solum non facere hominem hypocritam et magis peccatorem, verum etiam donum Dei esse, et Spiritus sancti impulsum, non adhuc quidem inhabitantis, sed tantum moventis, quo pœnitens adjutus, viam sibi ad justitiam parat. Et quamvis sine sacramento pœnitentiæ per se ad justificationem perducere peccatorem nequeat, *tamen eum ad Dei gratiam in sacramento pœnitentiæ impetrandam disponit.* »

Contritio igitur perfecta distinguitur ab imperfecta, *a)* ratione *motivi* seu *objecti formalis*, et *b)* ratione *efficaciæ*, perfecta enim justificat extra sacramentum realiter susceptum (v. n. 54), imperfecta vero solum disponit ad justificationem in sacramento obtinendam.

53. I. *De natura contritionis perfectæ.*

Contritio perfecta definiri potest : *Animi dolor et detestatio de peccato commisso cum proposito non peccandi de cætero, concepta ex motivo charitatis theologicæ, seu supernaturalis amoris Dei summe boni propter se dilecti.*

Contritio, ut sit perfecta, debet esse 1° *supernaturalis* tum ex parte *principii*, procedens nempe ex gratia actuali præveniente et adjuvante, tum rationi *motivi*, quatenus divina bonitas lumine fidei apprehenditur.

2° Debet esse *appretiative summa* seu *super omnia*, quatenus peccatum in quantum divinæ bonitati oppositum, existimatione intellectus majus malum existimamus quam cætera omnia mala, illudque affectu rationali voluntatis præ omnibus malis aversamur et detestamur, qualiscumque demum sit intensio seu ardor illius contritionis.

3° Debet esse *universalis* saltem quoad mortalia, i. e. complecti debet omnia gravia saltem peccata ante commissa quoad detestationem, et quævis gravia pro futuro quoad

propositum. Contritio perfecta est perfectior, si venialia etiam complectatur.

Quum contritio perfecta ab imperfecta præsertim distinguatur ratione proprii sui objecti formalis seu motivi, de hoc quædam hic addenda sunt.

Contritio perfecta *charitate* perfecta est, motivum autem charitatis est bonitas Dei absoluta qua nempe Deus est in seipso summum bonum, infinite perfectus ; contritio ergo perfecta detestatur peccatum prout opponitur bono ipsius Dei, seu absolutæ Dei bonitati propter se amabili (1).

Potest autem contritio dupliciter ex charitate procedere, scilicet : *a)* si quis actu formali Deum diligens quia est in se summe bonus, hinc peccata, quia ejus bonitati per se amabili opponuntur, detestatur ; vel *b)* si ex motivo charitatis peccata detestatur, quin actum formalem charitatis eliciat, quia ex consideratione divinæ bonitatis per se amabilis immediate movetur ad detestandum peccata illi opposita. Ordinarie tamen duplex actus intervenit, prior quo formaliter amatur Deus, posterior quo voluntas formaliter detestatur peccata ; nec desunt qui existiment non dari detestationem peccati ex motivo charitatis, absque formali dilectionis actu. Cf. Suarez, d. 4, s. 2.

Communis sententia tenet contritionem perfectam elici non posse ex motivo virtutis supernaturalis quæ, licet non sit charitas theologica, Deum tamen solum respicit, v. g. ex motivo pœnitentiæ, religionis, gratitudinis, et obedientiæ. Contritio tamen ex motivo harum virtutum elicita disponit et facile perducit ad contritionem perfectam ex motivo divinæ bonitatis absolutæ conceptam. Cf. S. Alph. l. 6, n. 436.

---

(1) Ex tractatu de charitate notetur ab omnibus admitti quod bonitas divina *collective* sumpta prout communis est Dei naturæ et omnibus ejus attributis, sit objectum formale charitatis. Sic autem apprehendimus Deum summe bonum et perfectum in omni perfectionum genere. Quæstio vero est disputata utrum divina bonitas *præcisive* spectata, seu divina attributa seorsim sumpta sub communi ratione *bonitatis et perfectionis* sint objectum formale charitatis. Cf. Gury-Ballerini n. 441.

54. II. *De efficacia contritionis perfectæ.*

Prænota. Aliqui ad contritionem perfectam justificantem requirebant contritionis intensionem vel summam (Adrianus), vel majorem quovis alio dolore circa creaturas (P. Soto), vel saltem in magno aliquo gradu quem Deus novit (Juenin, C. Lupus, etc.). — Soto ad contritionem perfectam requirit aliquam temporis durationem a Deo definitam. — Putarunt aliqui contritionem perfectam non semper justificare, sed aliquando tantum, ut in articulo mortis (Baius), vel in aliis quibusdam necessitatis adjunctis (Estius). — Hisce prænotatis, vindicatur propositio sequens:

Contritio perfecta 1) *peccatorem justificat ante susceptum sacramentum baptismi vel pœnitentiæ, non tamen sine illius voto, idque* 2) *efficit semper ac continuo, denique* 3) *satis est contritionem esse appretiative summam.*

Prima pars ad doctrinam catholicam spectat, ut liquet ex doctrina Trid. (v. n. 52.) et ex damnatis a Pio V et a Greg. XIII propositionibus Baii quæ asserebant charitatem perfectam et contritionem cum charitate perfecta conjunctam sine actuali susceptione sacramenti, posse stare cum peccato mortali, illamque non remittere peccata mortalia extra casum necessitatis vel martyrii. Probatur etiam ex S. Script. quæ perfectæ charitati et contritioni promittit ac tribuit peccatorum remissionem (1), ex Catech. Rom. qui docet hanc doctrinam populo fideli esse prædicandam (p. 2, n. 34, 42) et ex communi consensione scholæ cum S. Th. Supp. q. 5, a. 1.

Dictum est: *non tamen sine illius* (sacramenti) *voto*; nam sacramentum pœnitentiæ lapsis in peccatum mortale post baptismum, necessarium est in re vel in *voto*, sicut baptismus nondum regeneratis (v. n. 25).

Secunda et tertia pars propositionis probatur tum ex communi theologorum doctrina, tum ex eo quod S. Scriptura, Patres, Conc. Trid. aliaque Sedis Apostolicæ do-

(1) Ezech. 18, 21; 33, 12; 1 Joan. 3, 14; 4, 7.

cumenta, nullam in efficacia contritionis perfectæ exceptionem faciunt, nullam temporis durationem aut determinatam intensionem in actu contritionis justificantis expostulant. Unde S. Th. Suppl. q. 5, a. 3 ait : « *Quantumcumque parvus sit dolor, dummodo ad contritionis rationem sufficiat, omnem culpam delet.* »

Quod vero spectat actus intensionem, hæc actui accidentalis est, ex applicatione et conatu potentiæ erga objectum oriunda. In specie vero non requiritur intensio *summa;* non enim datur intensionis gradus qui superari nequeat. Nec requiritur intensio *comparative major* intensione doloris quem quis habet de aliis malis ; nam inde sequeretur dolorem de peccatis qui hodie sufficeret ad remissionem peccatorum, cras non fore sufficientem. Nec denique requiritur *determinatus aliquis gradus* soli Deo cognitus ; nunquam enim posset homo cum probabilitate judicare se satisfecisse præcepto contritionis aut charitatis, quando justificatio ex opere operantis consequenda est.

SCHOLION. Contritio perfecta est dispositio proxima quæ ex benigna Dei ordinatione infallibiliter ex *opere operantis* justificationem peccatoris impetrat seu de *congruo* meretur. Dicitur de *congruo ;* nam justificatio est donum gratuitum quod non cadit sub merito *de condigno ;* hoc enim meritum præsupponit gratiam sanctificantem.

Effectus contritionis perfectæ ex opere operantis, præter remissionem peccatorum et gratiam sanctificantem, sunt etiam remissio pœnarum, recuperatio virtutum et reviviscentia meritorum. De iis effectibus dictum est supra n. 36-42 quatenus ex opere operato causantur per sacramentum pœnitentiæ.

55. *De præcepto eliciendi contritionem perfectam.*

Prænota. Præceptum divinum contritionis perfectæ obligare potest *per se,* seu ratione sui solius et ex motivo pœnitentiæ, vel *per accidens,* seu ratione præcepti alterius virtutis quod sine contritone rite impleri nequit (v. n. 26).

Præceptum contritionis perfectæ cum Deo reconciliativæ non obligat, si peccator cum Deo reconciliatur per sacramentum pœnitentiæ cum contritione imperfecta (v. n. 27). Hisce præmissis,

Quær. *Quo tempore seu quandonam obligat præceptum divinum contritionis perfectæ?*

R. 1° Præceptum divinum contritionis perfectæ reum peccati mortalis obligat *per se*, *a*) in probabili mortis vel amentiæ perpetuæ periculo, si sacramentum pœnitentiæ suscipi nequit. Quare impœnitentia finalis est speciale peccatum. Confessus autem cum contritione imperfecta non amplius tenetur ad actum perfectæ contritionis eliciendum. Communior est sententia (v. S. Alph. l. n. 437 ; Gury t. 2, n. 445). Maxime tamen infirmis commendanda est et servanda praxis frequenter eliciendi actus contritionis et virtutum theologicarum ad securius et sanctius mortem obeundam.

b) Juxta plures obligat *per se* ne actus contritionis ad finem vitæ vel etiam longo tempore differatur : et alii quidem censent differri non posse ultra sex menses, alii vero annum aut etiam triennium concedunt. Plures autem cum S. Alph. l. 6, n. 436 docent non satis constare de prædicta obligatione *per se*, illamque probabiliter non urgere extra periculum mortis. Ad praxim quod attinet, obligationi si exstet, satisfieri videtur per confessionem annuam debite peractam.

c) Communis sententia docet præceptum contritionis *per se* non obligare statim ab admisso peccato, etiam si opportunitas sit continuo id præstandi. Probatur ex communi usu et consensu fidelium et confessariorum et ex præcepto Ecclesiæ annuam solum præcipientis confessionem. Testimonia Scripturæ quæ afferuntur ad astruendam hanc obligationem, ut Eccles. 5, 8, et similia loca apud Patres occurrentia, intelligi debent de consilio quod sane vehementer urgendum est, vel de affectu actuali ad peccatum quem statim deponere tenetur peccator.

R. 2° Præceptum divinum contritionis obligat *per accidens*, *a)* Si quis sibi conscius peccati mortalis sacramentum vivorum suscipere debet aut ex officio saltem ministrare. Tunc enim tenetur confiteri cum contritione saltem imperfecta, vel perfectam contritionem elicere. Ante Eucharistiæ susceptionem per se tenetur confiteri nec per se sufficit conteri (v. n. 27).

b) Si vehemens tentatio superari non potest nisi elicito actu contritionis. Verum hic casus per se loquendo non est practicus ; ad vincendam enim quamcumque tentationem sufficit auxilium gratiæ, nullum autem est principium quo probetur tale auxilium non concedi peccatori non perfecte contrito (Suarez, *de sac. pœnit.* d. 15, s. 6).

c) Multorum est sententia eaque juxta De Lugo probabilior, præceptum divinum per accidens obligare ne *diu* differatur conversio ad Deum per contritionem, quia secus proximum adest periculum incidendi in nova peccata. Etenim status peccati mortalis diu protractus suo quasi pondere trahit ad nova peccata actualia ; unde S. Th. 1. 2. q. 109, a. 9 ait. « *Sine gratia sanctificante, quod diu maneat* (homo) *absque peccato mortali, esse non potest.* » Diuturnam porro dilationem alii restringunt ad hebdomadam vel mensem, alii vero extendunt ad annum. De Lugo censet diuturnitatem non posse una eademque regula pro omnibus determinari, et attendendam esse variam hominum infirmitatem ac propensionem ad peccatum, necnon tentationum et occasionum vehementiam ac durationem. Nec desunt qui cum Suarez existiment contritionem et recuperatum statum gratiæ vix posse credi adeo necessarium ad vitanda peccata, ut gravis inde oriatur obligatio.

Ad praxim igitur quod attinet, gravis et determinata obligatio non est fidelibus imponenda, nec pœnitentes desuper sunt interrogandi, eo vel magis quod hanc obligationem non advertant, et quod dilatio pœnitentiæ non esset peccatum distinctum a violato præcepto alterius vir-

tutis ob neglectam pœnitentiam (1). Sed instantissime fideles et pœnitentes excitandi sunt ad promptam reconciliationem cum Deo post admissum peccatum lethale, et sedulo deterrendi a periculosissima dilatione conversionis (2).

d) Juxta nonnullos, in casu publicæ necessitatis pro qua cives Deo supplicare tenentur, et prius ipsi reconciliari, quo certius eorum preces exaudiantur. Sed, ut advertit Suarez, l. c. « raro obligabitur homo ad apprehendendum hoc medium tanquam necessarium, cum oratio videatur sufficere, quæ non tam nititur in justitia orantis quam in misericordia Dei, qui peccatores etiam exaudit, præsertim, quia particularis persona semper potest præsumere esse in communitate plures justos propter quos exaudiat Deus simul orantes peccatores. »

e) Quando ex præcepto eliciendus est actus charitatis ; is enim practice separari non potest a formali contritione, si peccata memoriæ occurrant ut detestanda ac delenda (3).

56. SCHOLION. Cum necessitate contritionis modo explicata cohæret quæstio : *an circa eadem peccata contritio semel tantum in vita habenda sit ?*

R. Per se loquendo sufficit semel conteri de eisdem peccatis, adeoque post eorum remissionem nova de illis peccatis non est elicienda contritio, nisi eadem peccata absolutioni subjiciantur. Frequentia tamen actuum pœnitentiæ regulariter suadenda est ad certiorem et pleniorem remissionem peccatorum obtinendam. S. Th. q. 84, a. 8, dicendo quod pœnitentia durare debeat usque ad finem

---

(1) Cf. de hac quæst. Suarez *de Pœnit.* disp. 15, s. 6 ; De Lugo *de Pœnit.* disp. 7, s. 11, et disp. 15, s. 4 ; S. Alph. l. 6, n. 437 ; Gury-Ballerini t. 2, n. 444.

(2) Huc faciunt testimonia plurima S. Script. Eccles. v, 8-8 ; Matth. XXIV, 42, XXV, 11, sqq. ; Luc. XIII, 7 ; XII, 20, et multa testimonia Patrum quæ passim occurrunt in libris concionalibus.

(3) De præcepto eliciendi actum charitatis v. tract. *de virtutibus theologicis*, et Gury t. 1 n. 218 sq.

vitæ, significare vult semper in interiori pœnitentia quasi virtualiter perseverandum esse, nunquam retractando illam per contrarium actum.

§ III.

De contritione imperfecta.

57. Contritio imperfecta definiri potest *animi dolor ac detestatio de peccato commisso cum proposito non peccandi de cætero, concepta ex motivo supernaturali a charitatis motivo distincta.*

Conc. Trid. docet 1) contritionem imperfectam communiter concipi *ex consideratione turpitudinis peccati* vel *ex gehennæ et pœnarum metu*; 2) illam si voluntatem peccandi excludat cum spe veniæ, esse actum bonum ac supernaturalem, qui 3) peccatorem ad Dei gratiam in sacramento pœnitentiæ impetrandam disponit (v. n. 51).

Heic perpendenda sunt I motiva contritionis imperfectæ, ejusque II bonitas supernaturalis; de ejus autem sufficientia ad sacramentum pœnitentiæ postea dicetur.

58. I. *De motivis contritionis imperfectæ.*

Conc. Trid. dicendo illam communiter concipi *ex turpitudine peccati* et *ex metu gehennæ et pœnarum*, alia motiva non excludit; sed illam partitionem adæquatam censet Suarez; in peccato enim aliud considerari nequit quam *culpa* et *pœna*.

1° *Turpitudo peccati* in ordine ad Deum et ex motivo supernaturali consideranda, repeti potest ex rebellione, inobedientia, irreverentia, ingratitudine erga Deum et Christum Redemptorem, quæ peccato insunt. Si in peccato consideres ejus oppositionem cum Deo quatenus est summe bonus et amabilis propter se, habetur contritio perfecta, ad quam facile conducit contritio imperfecta concepta ex motivo spei, religionis, obedientiæ, gratitudinis vel ex alio motivo supernaturali Deum et Christum Redemptorem aliquomodo attingente.

2. *Metus gehennæ* complectitur pœnam *damni*, seu amissionem beatitudinis æternæ, et pœnam *sensus* a Deo vindice infligendam. Ex alterutro concipi potest contritio imperfecta. Quum vero dolor ob amissam beatitudinem æternam fundetur in amore illius beatitudinis, patet contritionem ex isto motivo conceptam facile reduci ad contritionem quæ concipitur ex amore spei seu castæ concupiscentiæ quo diligitur Deus ut est nobis summe bonus, seu propter bonitatem ejus respectivam ad hominem.

3. *Metus pœnarum* comprehendit pœnas non tantum purgatorii, sed etiam juxta communiorem sententiam, pœnas hujus vitæ, quatenus fide apprehenduntur ut divinæ peccatorum punitiones, saltem si ex ista pœnarum consideratione deprehendatur et timeatur justitia Dei vindicativa etiam post hanc vitam exercenda. (Cf. Suarez *de Pœnit.* disp. 5, s. 2. n. 15; S. Alph. l. 6, n. 443; Gury n. 452).

Ad amissionem beatitudinis æternæ, vel juxta alios, ad pœnas spirituales, pertinet quod per peccatum mortale amittantur gratia et amicitia Dei, virtutes supernaturales et jus ad cœlum, per venialia autem reddatur quis indignus multis gratiis actualibus, et speciali favore vel protectione Dei, singulari gloria, etc. Ex his igitur ac similibus motivis supernaturalibus concipi potest contritio imperfecta.

59. *De bonitate supernaturali contritionis imperfectæ.*

Quæstio præsertim respicit contritionem conceptam ex metu gehennæ et pœnarum, quæ formidolosa et servilis attritio interdum appellatur, et a novatoribus ut actus malus traducebatur (2). Contra quos vindicatur propositio sequens :

---

(1) Cf. De Lugo *de Pœnit.* disp. 5, s. 9.

(2) Lutherus docebat contritionem ex solo timore pœnæ conceptam esse actum malum, tum quia fit sine charitate, tum quia adjunctam habet voluntatem peccandi, ideoque facere hominem magis peccatorem et hyprocritam ; et non posse hominem detestari peccatum nisi

Attritio concepta ex metu gehennæ et pœnarum cum spe veniæ et proposito non peccandi de cætero, est actus bonus et supernaturalis.

Constat ex doctrina Trid. Sess. XIV, cap. 4, et can. 5, et Sess. VI, can. 5, et Sess. VI, can. 8; et ex propos. 14 et 15 Quesnelli damnatis ab Alex. VII, et prob. 1° ex *S. Scriptura* quæ timorem vindictæ divinæ commendat, et exhibet tamquam donum Dei, ut efficaciter oppositum peccato ac utilem ad virtutis consecutionem (Luc. XII, 5; Ap. XIV, 7; Ps. CXVIII, 120; Prov. VIII, 13; Eccl. I, 27,). Prob. 2° *Ex Patribus,* inter quos S. Aug., *in Ps.* CXVIII, n. 8, ad illud: *Beati omnes qui timent Deum*, sic scribit: « Ille timor nondum castus præsentiam et pœnas timet, timore facit quidquid boni facit, non timore amittendi bonum illud, sed timore patiendi illud malum,.... timet ne mittatur in gehennam; bonus est iste timor, utilis est. » Et Serm. 18 *de Verb. Apost.*: « Modo cum dicis mihi, gehennam timeo, ardere timeo, in æternum puniri timeo; quid dicturus sum? Male times? Vane times? Non audeo, quandoquidem ipse Dominus dixit... *Eum timete qui habet potestatem*, ... plane time, nihil melius times; nihil est quod magis timere debeas. » Et alibi tradit timorem quasi locum præparare charitati, illumque comparat *medicamento vulneranti et putredinem tollenti,* quam sequatur *charitas* tamquam *sanitas,* et setæ *quæ sicut introducit linum quando aliquid suitur,* ita timor *intrat, ut introducat charitatem* (Tract. 9. *in Ep. Joan.* n. 4.). *Prob.* 3° *ratione*

---

propter amorem justitiæ quam proinde homo prius diligere debet. Baius, Jansenius. Quesnellus, Pistorienses docebant timorem gehennæ sine charitate solum cohibere ab actu externo peccati non vero ab actu interiori, nec voluntatem peccandi excludere, illiumque non esse bonum ac supernaturalem: contendebant quippe opera a charitate dominante non profecta esse vitiosa, quia a vitiata cupiditate emanabant et ad Deum tamquam finem supernaturalem per charitatem non referebantur.

theologica desumpta ex natura attritionis. Etenim objectum ejus materiale seu peccatum est actui proportionatum, cum odium et detestationem mereatur; attritionis motivum formale seu timor gehennæ est ordinatus et secundum rationem, oritur enim ex amore suæ incolumitatis non tamquam finis ultimi, sed tamquam rei per charitatem referibilis ultimo in Deum ut finem ultimum; et sane hujusmodi timor intenditur a lege vindicativa, quæ ideo pœnas minatur ut timeantur; effectus etiam bonus est, emendatio scilicet vitæ. Cf. Suarez, *de Spe*, d. 1, s. 4.

60. Ut objectionibus satisfiat, sequentia notentur:

1) Timor *servilis* est ille quo quis fugit peccatum propter pœnam a Deo infligendam, et servilis dicitur quia servi solent obedire ob timorem pœnæ. Timor servilis dicitur *serviliter servilis* quando quis abstinet a culpa propter timorem pœnæ sed cum affectu præsenti ad peccatum si pœna abesset. Hujusmodi timor malus est et *contrarie* opponitur charitati. Timor servilis est *simpliciter servilis*, quando propter pœnam peccatum timetur et excluditur, sine affectu peccandi si pœna abesset. Hic timor solum *negative* opponitur charitati, quatenus timor ille non est actus charitatis, sed ideo non fit malus; necesse enim non est omnem actum fieri ex charitate (1). Metus salutaris gehennæ et pœnarum est timor simpliciter servilis.

2) Attritio conjunctam non habet voluntatem conditionatam peccandi si gehenna non existeret; nam hujusmodi voluntas esset peccaminosa et metu gehennæ excluditur. Unde damnata est prop. Quesnelli: *Timor non nisi*

(1) S. Th. 22, q. 19, a. 2 adhuc distinguit timorem *filialem* quo quis timet malum culpæ seu peccatum quatenus est Dei summo boni offensa, contemptus et injuria; timor ille pertinet ad charitatem. Per timorem *initialem* intelligit timorem filialem imperfectum quo timetur malum seu offensa Dei simul et malum pœnæ, primario tamen culpa et secundario pœna.

manum cohibet, cor autem tamdiu peccato addicitur quamdiu ab amore justitiæ non ducitur. »

ART. II.

De contritione ut est pars Sacramenti.

Contritio quæ generice sumpta est *animi dolor ac detestatio de peccato commisso cum proposito non peccandi de cætero*, dividitur in *perfectam* et *imperfectam* seu *attritionem*. Inquirendum est I quænam contritio requiratur et sufficiat ad sacramentum pœnitentiæ; deinde dicendum II de qualitatibus contritionis, III de proposito non peccandi requisito ad sacramentam pœnitentiæ, demum IV de relatione contritionis ad sacramentum pœnitentiæ.

§ I.

De contritione requisita et sufficienti.

61. Ad sacramentum pœnitentiæ requiritur 1) *contritio formalis* 2) *quæ tamen non debet esse perfecta*, sed 3) *sufficit imperfecta* seu *attritio, quamvis ex metu gehennæ ac pœnarum concepta, si voluntatem peccandi excludat cum spe veniæ.*

Prob. 1ª pars. Requiritur contritio, hæc enim semper necessaria est ad remissionem peccatorum (n. 48), et *formalis* esse debet seu *explicita* ; contritio enim quæ a Trid. definitur *dolor ac detestatio* etc., est pars Sacramenti pœnitentiæ et pertinet ad quasi materiam Sacramenti (n. 14).

Hinc improbabilis est sententia nonnullorum opinantium valere sacramentum si recipiatur cum solo actu amoris Dei vel alio pio motu voluntatis excludente affectum peccati, quin tamen adsit formalis et explicita contritio (1).

Prob. 2ª pars. Non requiri contritionem perfectam,

(1) Snarez, disp. 20, S. 1.

est fidei proximum (1) et prob. *a)* ex ipsa institutione sacramenti ad justificationem peccatoris, atqui si contritio perfecta semper prærequireretur, nunquam sacramentum istum effectum haberet, quia ex doctrina Tridentina contritio perfecta justificat priusquam sacramentum pœnitentiæ suscipiatur ; *b)* ex doctrina Patrum, juxta quos morientium salus ita ab absolutione pendere potest, ut defectu hujus absolutionis quandoque damnentur ; quod falsum esset, si perfecta contritio semper prærequireretur ad absolutionem.

Prob. 3ª pars ex eo quod contritio perfecta non sit necessaria.

Quod autem sufficiat illa contritio imperfecta seu *attritio* quæ concipitur ex turpitudine peccati vel etiam imperfectior quæ concipitur ex metu gehennæ et pœnarum et *attritio servilis* dicitur, ex Trid. colligitur. Etenim *a)* Conc. Trid. contritioni perfectæ quæ pœnitentem justificat ante realem sacramenti susceptionem, opponit attritionem ex turpitudine peccati vel *ex gehennæ et pœnarum metu* conceptam, de qua, *si voluntatem peccandi excludat cum spe veniæ*, sic loquitur : « Et quamvis sine sacramento pœnitentiæ per se ad justificationem perducere peccatorem nequeat, tamen eum *ad Dei gratiam in Sacramento pœnitentiæ impetrandam disponit.* » Ergo Conc. censet hanc attritionem esse dispositionem proximam et sufficientem ad justificationem per sacramentum obtinendam ; nullam enim mentionem facit ulterioris dispositionis, et attritioni

(1) Suarez, l. c. Perrone tract. *de Pœnit.* cap. II. — Veteres nonnulli scholastici (P. Lombardus, Gabriel, etc.) existimarunt contritionem perfectam semper necessariam esse ad remissionem mortalium, etiam in Sacramento pœnitentiæ. Quidam hanc sententiam mitigantes docuerunt perfectam contritionem esse quidem per se necessariam, sed quandoque sufficere attritionem, si nemque pœnitens se putet perfecte contritum, eo quod sacramentum tunc efficiat, ut actus ex attritione transeat in contritionem, vel perficiendo eumdem actum, vel efficiendo ut homo ex actu imperfecto transeat ad perfectum (Henricus, Cajetanus, Ferrariensis). De mente scholasticorum circa præsens argumentum, cf. Palmieri, *de Sac. Pœnit.* th. 16.

tribuit eam disponendi vim in sacramento quam non habet extra illud : atqui extra sacramentum attritio est dispositio remota ; ergo in sacramento est proxima. *b)* Conc. Trid. ibid. ex bonitate supernaturali attritionis infert falso scriptores catholicos fuisse calumniatos, quasi tradiderint sacramentum pœnitentiæ absque bono motu suscipientium gratiam conferre : quæ illatio supponit sufficientiam attritionis a Conc. memoratæ. Cf. De Lugo, d. V, s. 9 ; S. Alph., l. VI, n. 40.

c) Mens Patrum Tridentinorum quæ colligitur ex doctrina in cap. 4 expressa, confirmatur consensu theologorum qui sæc. XVI floruerunt post actam Sess. XIV. And. Vega, theol. Conc Trid., l. XIII *de Justif.* c. 24, scribit : « Absolutio potest primo justificare, videlicet cum quis sine tali dolore (h. e. propter Deum) et cum *solo dolore de peccatis propter gehennam vel alia mala evitanda*, aut propter alias similes causas ad confessionem accedit. » Antonius Cordubensis, theol. Conc. Trid., in *Quæstionario theol.* l. 1, q. 2, opin. 3, ait : « Igitur talis attritus utiliter et fructuose confitetur et virtute sacramenti justificatur ; nam non potest decretum Trid. aliter intelligi, cum in ultimis verbis expresse dicat, quod in sacramento et non extra, illa attritio ad gratiam obtinendam disponit. » Cf. Toletus, *in Summa S. Th.* 3, q. 55, a. 5 ; Bellarm., *de Pœnit.* l. 2, c. 18 ; Valentia, in 3, d. 8, q. 8 ; Suarez, d. 20, s. 1. Quare *d)* attritionem a Trid. memoratam sufficere, probatur communi consensu theologorum. (S. Alph. l. 6, n. 440 sq.) An isti attritioni adjungi debeat aliquis initialis amor Dei, in seq. §. disputabitur.

§ II.

De qualitatibus contritionis in sacramento requisitæ.

62. Contritio sive perfecta sive imperfecta ad Sacratum pœnitentiæ sufficiens, debet esse 1° *vera* seu *realis*

2° *supernaturalis*, 3° *summa*, seu *super omnia*, 4° *universalis* saltem relate ad peccata gravia. Præterea 5° debet *excludere voluntatem peccandi* et 6° conjunctam habere *spem veniæ*. Quæstio autem apud theologos est disputata utrum contritioni imperfectæ seu attritioni adjungi debeat amor aliquis initialis Dei.

Contritio debet esse 1° *vera* seu *realis*, i. e. animo seu voluntate vere concepta et simul externo aliquo signo manifestata (v. n. 14); est enim pars sacramenti et dispositio insupplebiliter requisita. Proinde non sufficit contritio mere exterior vel mere existimata sed reipsa non existens in voluntate (1).

2° Contritio debet esse supernaturalis *a)* ratione *principii*, seu *gratiæ actualis excitantis et adjuvantis* ex qua et cumqua elicitur. De fide est, ut constat ex Trid. Conc. Sess. VI, can. 3, ubi anathemate percellitur qui dixerit « sine præveniente Spiritus S. inspiratione atque ejus adjutorio hominem credere, sperare, diligere aut *pœnitere* posse sicut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur. » *b)* ratione *motivi*; hoc enim ad Deum aliquomodo referri debet et fide theologica apprehendi. Communis est sententia, et probatur ex eo quod media ad justificationem debeant esse supernaturalia, et ex prop. 57 damnata ab Innoc. XI (2): « Probabile est sufficere attritionem naturalem, modo honestam. »

Hinc dolor de peccato, quia repugnat rationi aut convictui humano, vel quia ex illo sequitur dispendium famæ aut bonorum temporalium, non est vera contritio sufficiens ad sacramentum pœnitentiæ, sed præbere potest *occasionem*, qua posita, gratia et motivum supernaturale moveant voluntatem ad salutarem contritionem. Idem dicendum de quavis calamitate mere temporali. Cf. Ben. XIV. *de Syn. diœc.* l. VII, c. 13.

---

(1) Cf. Suarez *de sac. pœnit.* d. 20, s. 2.

(2) Cf. Viva, *Damnatorum ihesium theologica trutina.*

Motivum supernaturale contritionis perfectæ est bonitas Dei absoluta, seu amor Dei qui dicitur benevolentiæ et charitatis (v. n. 53). Motiva supernaturalia contritionis imperfectæ sunt : *a)* bonitas Dei relativa ad hominem, seu amor Dei qui dicitur spei et castæ concupiscentiæ ; *b)* turpitudo peccati in ordine ad Deum fide percepta ; hæc autem turpitudo repeti potest ex motivo virtutis universalis quæ læsa fuit, v. g. obedientiæ Deo debitæ, religionis, gratitudinis, timoris Dei, etc, quibus omnia peccata opponuntur ; vel etiam, juxta quosdam (Gury-Ballerini n. 449), ex motivo virtutis particularis, v. g. temperantiæ, quæ peccata sibi opposita detestatur. Verum, quum peccatum considerandum sit in ordine ad Deum, contritio deducta ex motivo particularis virtutis, præscindere non potest a consideratione legis divinæ quæ violata fuit. *c)* Amissio beatitudinis æternæ ; *d)* metus gehennæ et pœnarum. De quibus motivis cf. superius dicta n. 58.

Contritio 3° debet esse *appretiative summa* seu *super omnia* ; voluntas nimirum ex prævia appretiatione seu existimatione intellectiva peccati qua *summi mali*, peccatum affectu rationali aversari et detestari debet præ cæteris malis quæ peccatum non sunt, ita ut velit perdere potius aut pati omnia quam denuo peccare. Ratio est, quod vera contritio debeat excludere omnem affectum ad peccatum, omnemque voluntatem peccandi.

Non requiritur *a)* ut contritio sit intensive summa, aut maxima, vel comparative major dolore circa alia objecta, vel ad aliquem gradum determinata (1) ; attamen expedit ut pœnitens conetur intensam habere contritionem, tum

(1) Intensio contritionis hanc jam in sua essentia constitutam, et est quædam ejus qualitas accidentalis, orta ex vehementiori facultatis ad objectum applicatione et hujus in illum influxu. Cum autem objecta sensibilia magis permoveant quam spiritualia, et facultates etiam sensitivæ vehementius applicari possint suis objectis quam rationales, amor vel dolor sensibilis intensior esse solet amore et dolore rationali. Cf. S. Th. *Suppl.* q. 3, a 1.

ut certior sit de contritione, tum ut majorem sacramenti fructum percipiat. Nec requiritur, *b)* imo periculosa esse potest comparatio explicita inter peccatum et varia mala in particulari considerata, ut experiatur pœnitens an vellet illa potius subire quam peccatum admittere ; sufficit enim virtualiter et implicite ad id esse paratum si necesse esset ad vitandum peccatum ; quæ virtualis dispositio continetur in ipsa sincera contritione quæ peccata detestatur super omnia alia detestabilia in generali, et quæ hic et nunc excludit omnem voluntatem peccandi in posterum. Quare importunæ comparationes inter peccatum et mala sensibilia quæ menti se obtrudunt, rejiciendæ sunt et superandæ cogitatione Deum efficaci auxilio tempore opportuno adfuturum. Præterea si maximum aliquod incommodum perferendum postea esset, peculiaris, tunc sperari poterit Dei assistentia (1).

Contritio 4° debet esse *universalis* saltem quoad *peccata mortalia*, ita nimirum ut complectatur omnia peccata mortalia commissa nondum remissa (et quævis peccata excludat pro futuro). Ratio est, quod nullum peccatum remittatur sine contritione, et unum peccatum mortale sine alio remitti nequeat. Non requiritur ut hæc universalis extensio sit *explicita* et *formalis*, per actus contritionis distinctos circa singula peccata, vel per unum actum contritionis circa singula peccata distincte recogitata ; sed sufficit extensio universalis *implicita* et *virtualis*, per unum v. g. actum contitrionis cujus motivum universale complectitur omnia peccata nondum remissa, etiam memoriæ non occurrentia ; v. g, si quis dolet de peccatis ex amore Dei,

---

(1) Cf. S. Alph. l. 6. n. 4 433 ; Gury-Ball. n. 450. De illa quæst. ita scribit S. Th. *Quodl.* 1. a 9 : « Contritus tenetur *in generali* velle pati magis quamcumque pœnam quam peccare, sed *in speciali* descendere ad hanc pœnam vel ad illam non tenetur ; quinimo *stulte* faceret, si quis seipsum vel alium sollicitaret super hujusmodi particularibus pœnis. Manifestum est enim, quod sicut delectabilia plus movent in particulari considerata quam in communi, ita terribilia plus terrent si in particulari considerentur. »

ex metu divinæ justitiæ vindicativæ, ex motivo religionis, gratitudinis, vel obedientiæ Deo debitæ (1).

Quod vero spectat peccata *venialia*, contritio non debet esse universalis, et extendi ad omnia venialia commissa; unum enim remitti potest sine alio, et contritio potest esse de uno et non de alio, saltem si specialis quædam malitia in uno præ alio reperiatur. In particulari autem contritio versari potest *a)* circa unam alteramve speciem venialium, v. g. contra charitatem; *b)* circa unum aliquod veniale in quo gravior aliqua malitia reperitur, cæteris venialibus non communis; *c)* circa venialia plene deliberata, *d)* juxta plures, circa frequentiam et multitudinem venialium (2). Vel etiam versari potest *e)* circa negligentiam in vitandis semi deliberatis. Cf. infra n. 68.

Contritio debet 5° excludere voluntatem peccandi; repugnat enim voluntatem detestari peccatum commissum, et simul velle peccatum in futurum committere. Quare Conc. Trid. declarat contritionem esse dolorem ac detestationem de peccato commisso *cum proposito non peccandi de cætero.*

Debet contritio 6° esse *cum spe veniæ;* pœnitens enim quærit reconciliationem cum Deo per sacramentum pœnitentiæ cum contritione susceptum.

63. Manet quæstio acriter quondam inter theologos disputata (3): *an amor aliquis initialis Dei adjungi debeat attritioni, ut hæc sufficiat pro sacramento pœnitentiæ?*

---

(1) Censent aliqui attritionem etiam universalem esse, si concepta sit ex pluribus motivis particularibus virtutum, quæ saltem simul sumpta se extendant ad omnia peccata, etiam oblita (Gury-Ball. n. 449). Practice tamen consulenda est contritio ex motivo universali, ut certa sit extensio contritionis ad omnia peccata nondum remissa.

(2) De Lugo *de Pœnit.* d. 14, s. 4; S. Alph. l. 6, n. 449.

(3) Rejecta necessitate contritionis perfectæ, plures theologi contenderunt dilectionem inchoatam seu amorem Dei quem vocant initialem, absolute requiri; eo potissimum moti argumento, quod Conc. Trid.

Resp. 1° Attritioni pro sacramento pœnitentiæ sufficienti adjungi non debet amor Dei benevolus seu benevolentiæ. Nam *a)* silet Trid. Conc. de necessitate hujus amoris, ubi Sess. XIV cap. 4 naturam et efficaciam attritionis declarat. *b)* Amor Dei benevolus, quamvis in gradu remisso, si appretiative est super omnia, est charitas perfecta, et contritio ex hoc amore profecta est perfecta, ideoque justificat pœnitentem ante susceptionem sacramenti. Si vero amor Dei benevolus non est super omnia, vix nomen amoris Dei meretur, nec ex eo concipi potest contritio super omnia et efficax ad quælibet peccata vitanda. *c)* Cum sæc. XVII scholastici plures acrius inter se contenderent num attritio quæ concipitur ex metu gehennæ, excludens voluntatem peccandi cum spe veniæ, requirat insuper aliquem actum dilectionis Dei, Alex. VII, Decreto lato 5 Maii 1667, præcepit cunctis ac singulis fidelibus, ut *non audeant alicujus theologicæ censuræ alteriusve injuriæ aut contumeliæ nota taxare alterutram sententiam, sive negantem necessitatem aliqualis dilectionis in præfata attritione ex metu gehennæ concepta, quæ hodie inter scholasticos communior videtur, sive asserentem dictæ dilectionis necessitatem, donec ab hac Sancta Sede fuerit aliquid hac in re definitum.* Ex quo Decreto colligere saltem licet sententiam negantem necessitatem initialis dilectionis Dei satis habere certitudinis ut ad praxim

---

Sess. VI, cap. 6 inter actus quibus adulti se disponunt ad justificationem per baptismum, recenseat actum quo *Deum* « *tanquam omnis justitiæ fontem diligere incipiunt* ». Cæterum non conveniunt circa naturam istius initialis dilectionis: Quidam thologi sæc. XVII sub influxu doctrinæ jansenianæ requirebant amorem Dei benevolentiæ quo Deus super omnia propter se diligitur actu tamen remisso, et ideo *contritionistæ* dicuntur. Hunc amorem Dei initialem contendebant esse charitatem imperfectam quæ extra sacramentum baptismi vel pœnitentiæ non habebat vim justificandi nisi forsan in casu necessitatis. Nonnulli cum C. Pallavicini requirebant amorem quidem benevolentiæ sed non super omnia. Alii demum postulabant amorem qui dicitur *spei* seu *concupiscentiæ* quo Deus ut summe bonus erga nos, super omnia diligitur.

deduci queat : secus, hanc sententiam non permisisset Ecclesia, ne pœnitentiæ sacramentum exponeret periculo nullitatis cum tanto animarum detrimento ; nam damnavit Innoc. XI hanc propositionem 1m : « Non est illicitum in sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore sacramenti, relicta tutiore, nisi id vetet lex aut conventio aut periculum gravis damni incurrendi. »

Obj. Conc. Trid. Sess. VI, cap. 6, inter actus prævios justificationi per baptismum (v. n. 48), recenset actum quo peccatores *incipiunt Deum diligere tanquam omnis justitiæ fontem ;* atqui non minor dispositio requiritur ad justificationem per sacramentum pœnitentiæ ; ergo.

Resp. *a)* Verba Trid. Conc. intelligenda videntur de charitate perfecta ; agitur enim ibidem de ea dispositione quæ ad justificationem etiam cum solo voto baptismi sufficit. *b)* Patres qui putabant ad attritionem sufficientem cum sacramento pœnitentiæ aliquem dilectionis actum esse necessarium, non provocarunt ad Sess. VI, nec ipse Pallavicinus pro sua sententia ex illa argumentum quæsivit. *c)* Plures verba Trid. intelligunt de amore spei (1).

R. 2° Nec attritioni adjungi debet actus *formalis* amoris

---

(1) Cum in conc. Trid. ageretur de doctrina circa motum attritionis pro sacramento pœnitentiæ necessariæ, propositum fuit sequens schema : « Illam vero contritonem, quam theologi attritionem vocant, quod imperfecta sit, et solum vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennæ et pœnarum metu, qui servilis timor dicitur, concipiatur, si voluntatem peccati excludat, et dolorem qualemcumque de commissis peccatis exprimat, statuit hæc S. Synodus et declarat... *sufficere ad sacramenti hujus constitutionem*, ac donum Dei esse et Spiritus S. impulsum verissimum, non adhuc quidem inhabitantis, sed tantum moventis, quo pœnitens adjutus, cum sine aliquo dilectionis in Deum motu esse vix queat, viam sibi ad justitiam munit, et per eum ad Dei gratiam facilius impetrandam disponitur. » Porro in hoc schemate expuncta fuere verba « *cum sine aliquo dilectionis motu esse vix queat* » et hæc alia verba postea addita : « *cum spe veniæ.* » Expuncta pariter fuere verba : « *sufficere ad sacramenti constitutionem.* » Sed eadem idea in Decreto exponitur.

Dei, qui dicitur spei ; nam Conc. declarans naturam attritionis, nullam hujusmodi actus mentionem facit ; qui etiam non refertur in catechistica instructione a Benedicto XIII pro Statu Pontificio præscripta ; ibidem enim traditur quod ille *qui non habet attritionem cum firmo proposito saltem implicito amplius non peccandi, remissionem peccatorem non obtinet.*

3° Sufficit igitur ad sacramentum pœnitentiæ initialis ille amor qui implicite et virtualiter continetur in ipsa attritione quæ voluntatem peccandi excludit cum spe veniæ. Spes namque veniæ et odium peccati implicite oriuntur ex amore beatitudinis et pacis cum Deo : « *Ex hoc*, ait. s. Th. 1, 2, q. 40 a. 7, *quod per aliquem speramus nobis posse provenire bona, movemur in ipsum tanquam in bonum nostrum, et sic incipimus eum amare.* » Quinimo attritus ex metu gehennæ, quamvis adhuc careat amore formali benevolo, hunc tamen in præparatione et quasi virtualiter et inchoative habet, tum in proposito deinceps mandata Dei, ideoque maximum dilectionis mandatum servandi, tum in ipsa detestatione peccati seu offensæ Dei quamvis ex solo metu gehennæ ; nam, ut ait Viva in prop. 15m, ab Alex. VIII damnatam : « Qui odit alicujus malum, aliqualiter illum amat amore veluti negativo, nolendo scilicet illi malum ; esto non velit illi positive bonum condistinctum a carentia talis mali, » Cf. S. Alph., l. VI, n. 442.

Quum illud initium amoris in vera attritione semper contineatur, necesse non est in explicatione attritionis expresse memorare initialem amorem Dei (eene beginnende liefde Gods).

64. COROLL. 1m. Pœnitens confessus cum sola attritione, etsi tantum ex metu gehennæ concepta, potest absolvi. Et cum rudibus quidem et magnis peccatoribus urgenda sunt motiva istius attritionis. Confessarius tamen pœnitentes, quatenus id fieri potest, excitet ad nobiliorem,

imo ad perfectam contritionem. « In promptu itaque habeat selectissima et efficacissima ad contritionem excitandam motiva, eaque magni spiritus fervore et qua valet dicendi gratia, pœnitenti, quando opus videbitur, proponat. » (Past. Brug, *Ordo ministrandi sac. pœnit.* 53 VII, Cf. et VIII et IX.)

COROLL. 2m. Effatum apud scholasticos frequenter occurrens, pœnitentem in sacramento pœnitentiæ ex *attrito fieri contritum,* intelligendum est *æquivalenter*, ipsum nimirum gratiam et sanctificationem consequi virtute sacramenti, perinde ac si vere esset perfecte contritus ; non autem ac si inesse incipiat aliquis actus qui sit proprie contritio ex Dei super omnia dilecti amore procedens (Tapperus *in defens. in art.* 4).

65. Quaer. *An ad salutarem sacramenti pœnitentiæ susceptionem, præter attritionem etiam requirantur actus expliciti fidei et spei?*

R. Non requiruntur actus *expliciti* fidei et spei, nisi actibus contrariis fidem et spem amisisset ; sed sufficiunt illi fidei et spei actus qui in supernaturali contritione et in accessu ad sacramentum pœnitentiæ *implicite* et *exercite* continentur (S. Alph. l. b. n. 439 ; Gury, n. 445). Cæterum, suadendum est suscepturis sacramentum pœnitentiæ, ut se præparent per illos actus quos memorat Conc. Trid. ubi describitur processus justificationis a peccatis (v. n. 48) ; utque ideo humili prece divinum auxilium implorent, debite conscientiam examinent, et per actus fidei, spei, timoris divinæ justitiæ, et charitatis sese disponant ad actum contritionis qui semper formaliter et explicite eliciendus est.

§ III.

De proposito non peccandi de cætero.

66. *Propositum non peccandi de cætero* quod Trid. Conc. ad contritionem requirit, non consistit in promis-

sione aut voto specialem inducente fidelitatis aut religionis obligationem, quodque per se imprudenter exigeret confessarius, sed consistit in deliberata voluntate non amplius peccandi.

Propositum illud pertinet ad essentiam contritionis ad justificationem disponentis, ut liquet ex Tridentina definitione contritionis; sed disputatur an propositum debeat esse *formale* et *explicitum*, quod actu distincto a dolore et detestatione concipitur, an vero sufficiat *virtuale* et *implicitum*, in dolore et detestatione inclusum et actu formali non conceptum. Duplex quæstio est tractanda: I an ad sacramentum pœnitentiæ requiratur propositum formale et explicitum, II quænam debeant esse qualitates propositi.

67. Quær. I. *An ad sacramentum pœnitentiæ rite suscipiendum requiratur propositum explicitum?*

Resp. S. Alph. l. 6, n. 450 tres refert sententias. *Prima* semper requirit propositum *explicitum* et *formale*; quia Eug. IV in Decreto et Conc. Trid. in definitione contritionis expresse memorant *propositum non peccandi de cætero*. *Secunda* sententia tenet sufficere propositum *virtuale* in efficaci detestatione inclusum. *Tertia* distinguit et requirit propositum *explicitum* si pœnitens ad futurum attendit; secus, sufficere dicit *virtuale*. S. Alph. existimat duas ultimas sententias esse probabiliores, primam tamen opinatur esse probabilem, et ideo illam tanquam tutiorem sequendam dicit ante factum.

Contra Ballerini-Gury n. 463 censet secundam sententiam esse communem apud theologos et moraliter certam. Argumenta sunt: *a)* Conc. Trid. Sess. XIV, cp. 4 de attritione loquens, solum exigit ut *voluntatem peccandi excludat*; atqui attritio super omnia voluntatem peccandi excludit. *b)* Catech. a Ben. XIII approbatus et præscriptus pro Statu Pontificio sic ait: « si pœnitens non habet dolorem saltem imperfectum seu attritionem cum firmo proposito *saltem* implicito amplius non peccandi, confessio invalida est.

Conclusio practica. 1a Si contritio concepta sit *ex motivo universali* omnia peccata mortalia complectente, propositum virtuale sufficit, dum pœnitens ad futurum non advertit. Proinde confessiones sic institutæ reiterandæ non sunt (1).

Restringitur conclusio ad contritionem *ex motivo universali* conceptam ; quia si concepta est *ex motivo proprio alicujus virtutis*, tunc requiritur propositum formale ; quia, juxta communiorem sententiam, propositum non peccandi de cætero sese extendere debet ad quævis peccata saltem gravia in futuro possibilia, secus ac dolor et detestatio quæ solum respicere debent peccata olim commissa (2). Porro in contritione quæ ratione sui motivi particularis non extenderetur nisi ad peccata olim commissa nondum remissa, virtualiter contineri nequit propositum vitandi peccata specie ab iis distincta. Quum igitur propositum universale virtuale tunc, juxta plures, non adsit, necesse est ut formale concipiatur. Cf. n. 63.

2a. Si pœnitens ad futurum advertit, requiritur per se propositum formale.

Ratio præcipua est, quia prætermissio propositi formalis in illo casu, per se loquendo arguit defectum veri et efficacis doloris ac detestationis ; vix enim fieri potest ut, stante actuali cogitatione de futuro et de possibilitate peccandi, vera detestatio peccati non exserat explicite propositum non peccandi quod in ea includitur. « Unde ait Lacroix, *de Pœnit.* n. 897, « si quis, dum contritionem

---

(1) S. Alph. n. 450 existimat reiterandas esse confessiones etsi bona fide peractas sine proposito explicito. Fatetur tamen patronos primæ sententiæ huic conclusioni refragari. Ipse S. D. alibi tenet confessionem non esse reiterandam nisi moraliter certo constet illam fuisse invalidam (Lib. 6, n. 505).

(2) S. Alph. l. b. n. 451, sententiam de necessaria extensione propositi ad quælibet gravia peccata, docet omnino tenendam esse contra aliquos qui tenent sufficere extensionem propositi ad peccata gravia commissa, modo desit affectus erga omnia alia.

elicit, cogitet de proposito, et hoc omittat, communiter signum est quod habeat dolorem parum efficacem ; si enim esset efficax, per se loquendo determinaret ad formale odium peccati etiam pro futuro. Quod si positive excluderet propositum, certum est dolorem non fore efficacem, uti etiam non est in illo qui non vult deserere occasionem proximam peccandi. »

Nota. Tum in cathedra tum in confessionali insistendum est ut pœnitentes concipiant explicitum propositum ; cum enim unus ex præcipuis finibus pœnitentiæ sit correctio et emendatio vitæ præteritæ, ad hunc finem assequendum nullus actus aptior est quam intentio et definitum propositum obtinendi illum finem. Deinde sæpe ex proposito concrete et formaliter existente, judicare poterunt confessarius et pœnitens veram adesse contritionem : ideo sedulo exigendum est propositum explicitum a pœnitentibus præsertim habituatis et rudibus.

68. Quær. II. *Quænam debeant esse qualitates propositi ad sacramentum pœnitentiæ requisiti ?*

Resp. 1° Propositum relate ad peccata *mortalia* debet esse *a) firmum, b) efficax, c) universale.*

Propositum debet esse *a) firmum*, i. e. pœnitens habere debet voluntatem *absolutam* deinceps abstinendi a gravi peccato non obstante quocumque incommodo. Sed observant Doctores, « non debere confessarium proponere pœnitenti omnes difficultates quæ in vitandis peccatis occurrere possunt ; quia constitueret illum in manifesto periculo non solum non habendi propositum efficax in futurum, sed etiam denuo peccandi. Satis ergo est ut proposita in genere fœditate peccati, Dei bonitate et periculo damnationis æternæ, etc., pœnitens concipiat generale propositum nunquam iterum peccandi mortaliter » Suarez, *de Pœnit.* d. 32, s. 2. Cf. n. 62.

Infertur, ad sacramentum non sufficere simplicem

velleitatem non peccandi. Firma voluntas dicit: *Volo*, non vero: *Vellem*.

Propositum debet esse *b*) *efficax*, seu seria requiritur voluntas adhibendi media necessaria ad peccatum jam non committendum, v. g. vitandi occasiones proximas, etc.

Sufficit ut propositum sit firmum et efficax *affective*, seu ut hic et nunc præsens adsit absoluta voluntas non peccandi, cum qua voluntate quamdiu stabit, consistere nequeat voluntas relabendi. Non vero requiritur ut sit firmum et efficax *effective*, seu ut constans sit voluntas et cum effectu conjuncta. Relapsus enim seu reincidentia in peccata non arguit per se insufficientiam prioris propositi, sed voluntatis mutabilitatem et pœnitentis fragilitatem; attamen relapsus *facilis* seu sine resistentia, et *absque vehementiori et extraordinaria tentatione*, et *cito* subsequens confessionem, prioris et præsentis propositi firmitatem in suspicionem adducere potest. De qua re recurret dicendi locus ubi de absolutione recidivorum agetur.

Ex dictis consequitur cum firmo et efficaci proposito componi posse *a) timorem* pœnitentis ne relabatur, et *b) persuasionem* confessarii de ejus relapsu; hæc enim niti possunt non judicio de inefficacitate præsentis propositi, sed judicio intellectus cognoscentis fragilitatem pœnitentis et voluntatis ejus inconstantiam et mutabilitatem. Quamquam vero stricte loquendo *c)* ipsa *pœnitentis persuasio de certo relapsu* non excludat firmitatem actualis propositi, existimat tamen S. Alph. l. 6 n. 451, eam esse suspectam, si pœnitens *certo credat* se relapsurum; quia fieri non potest, ut *firmiter* proponat emendationem, qui sciens Deum suam gratiam non denegare facienti quod in se est, nihilominus certo credit se relapsurum. Hinc talis pœnitens priusquam absolvatur, ad spem emendationis est adducendus (l. VI, n. 451.) Hæc persuasio pœnitentis interdum aliud non est quam magnus timor; sed quandoque etiam oriri potest ex latente actuali affectu ad peccatum, et tunc prodit defectum firmitatis et efficaciæ affectivæ.

Pœnitentes qui timent aut etiam prævident relapsum, excitandi sunt ad firmum actuale propositum, et ad media a peccatis præservativa adhibenda, tum habitualiter, tum pulsante tentatione, et erigendi sunt spe divini auxilii quo confortante omnia possunt, quodque sibi orantibus et vigilantibus concessum iri certo sperare debent ; præterea erigendi sunt hac consideratione, quæ præsertim refertur ad habituatos in blasphemia, imprecationibus, pravis cogitationibus, quod ab eis solum expostuletur propositum non amplius peccandi cum plena advertentia plenoque consensu.

Propositum debet esse *c*) *universale*, tum ratione ratione temporis, tum ratione peccatorum. Unde debet esse propositum vitandi omnia et singula peccata non solum definito tempore sed ad semper (cf. n. 67).

2° Propositum relate ad *venialia* quæ sola absolutioni subjiciuntur, debet esse *firmum et efficax* (1), sed non requiritur ut sit universale quoad omnia peccata venialia commissa et nondum remissa, sed sufficit ut propositum firmum et efficax respiciat vel *a*) speciem quamdam venialium, vel *b*) venialia in quibus gravior aliqua malitia

(1) Circa propositum relate ad venialia, hæc notat Layman : « Propositum vitandi venialia necesse non est tam firmum et efficax esse, ita ut eo perseverante tam efficaciter moveatur homo ad declinandas peccati occasiones propinquas et adhibendi media quæ tum ad peccata, tum ad peccatorum occasiones vitandas aliquo modo necessaria videntur, sicut moveri debet ex vero proposito vitandi mortalia ; cum enim peccatum mortale longe gravius animæ malum sit quam veniale, ideo homo multo majorem conatum adhibere tenetur ad vitanda mortalia quam venialia ; consequenter verus pœnitens firmius et efficacius propositum concipere debet ad mortalium quam ad venialium declinationem. Ex quo ulterius sequitur, facilius absolvi posse relabentes sæpius in eamdem speciem peccati peccati venialis quam mortalis ; quod frequens ille relapsus non ita sit indicium defectus doloris ac propositi ad eorum remissionem necessarii : quia provenire potest ex frequentia occasionem a quibus removendis facilius aliquis excusari potest quam a remotione occasionum ad peccatum mortale. » (*De Sac. Pœnit.* tib. X, n. 19.)

reperiatur, vel *c*) venialia plenius deliberata, vel *d*) juxta De Lugo, frequentiam et multitudinem venialium ; quamvis certo consultius sit elicere dolorem et propositum de aliquibus peccatis determinatis, præsertim de gravioribus, cum simultaneo proposito nunquam peccandi mortaliter. Sufficit etiam *e*) propositum adhibendi diligentiam ad vitanda aut minuenda peccata venialia semideliberata.

Lehmkuhl de doctrina affirmante dolorem et propositum versari posse circa frequentiam venialium ita scribit : « Hæc doctrina conferre potest ad sedandos scrupulos circa confessiones *peractas*, quas pœnitens qui in gravia peccata labi non consuevit, timet ne sine sufficienti dolore et proposito fecerit. Verum *ante factum* in praxi restringenda potius hæc doctrina est ad dolorem et propositum circa peccata semideliberata et subreptionis ; in illis enim culpa ipsa proxime consistit in ea *negligentia*, quod homo non conatur melius sibi attendere et motus inordinatos, quantum possit, supprimere et prævenire. Neque tamen ab omnibus ejusmodi peccatis sese immunem servabit. Quare tunc plane sufficit, majore diligentia eorum numerum velle diminuere.

Ceterum qui ita puram conservat conscientiam, ut solas semideliberatas culpas contrahat, facili negotio dolorem maximum et sufficientissimum de culpis commissis suscipit. Qui autem sine emendatione semper in easdem culpas deliberatas relabitur, satis ostendit se dolorem et propositum nimis infirmum habuisse. Quare aut melius sibi caveat de concipiendo dolore et proposito circa unum alterumve peccatum notabilius, aut peccatum gravius præteritæ vitæ subjungat, de quo sincerum dolorem et propositum concipiat ; aliter absolutionem recipere nequit. » (Lehmkuhl, Th. mor. t. 2, n. 294). Cf. s. Alph. *Praxis Conf.* n. 71.

Quær. *An peccet confitens venialia sine contritione ?*

R. 1° Graviter peccat, si sola venialia confessus de nullo contritionem habeat, nisi inadvertentia inculpabili excusetur. Ratio est, quia sacramentum suo frustrat effectu.

2° Si præter peccata de quibus dolet, pœnitens peccata venialia de quibus non dolet, confiteatur ob humilitatem, vel ad meliorem directionem vel ab alium bonum finem, nullum est peccatum.

3° Si venialia de quibus non dolet, confitetur cum aliis peccatis de quibus dolet, eaque omnia subjicit absolutioni, veniale est peccatum, eo quod materia partialis inepta cum materia apta miscetur. Verum sæpe nullum erit peccatum, quia pœnitens ad hunc doloris defectum aut ad defectus ejusdem inordinationem non advertit, vel quia omnis displicentia non abest, licet hæc non satis efficax sit. Qua de re difficile sæpe est omnem deceptionem vitare (Gury-Ballerin. n. 446).

69. SCHOLION. *De Sacramento pœnitentiæ valido sed informi.*

Quar. *An sacramentum pœnitentiæ possit esse validum*, seu valide suscipi, quia nulla pars essentialis deest ; et *simul esse informe*, seu sine effectu gratiæ sanctificantis ?

R. 1° Sacramentum pœnitentiæ non potest esse validum et informe *ratione confessionis* : hæc enim vel formaliter integra est vel non ; si prius, sufficit ad validum et formatum seu fructuosum sacramentum ; si posterius, sacramentum erit invalidum, quia deest pars essentialis.

2° Nec validum et informe potest esse ratione contritionis intrinsece sufficientis ; si v. g. contritio sit mere existimata, vel non sit supernaturalis et super omnia ; tunc enim invalidum erit sacramentum, quia deficit pars essentialis.

3° Disputatur pro casu quo attritio supernaturalis bona fide non est universalis, seu non extenditur ad omnia peccata mortalia a pœnitente commissa et nondum remissa ; ut si v. g. pœnitens reus gravis odii et furti, de furto dolet ob turpitudinem injustitiæ, de odio autem non dolet quia illius est immemor vel inadvertenter de illo non dolet. Quo casu multi ac gravissimi DD. (Suarez,

Lugo, Thomistæ plures, s. Alphonsus ut probabilius, n. 444), tenent sacramentum esse *validum et informe*. Ratio pro valore est, quod adfuit confessio formaliter integra et attritio sufficiens ad subsistentiam sacramenti. Informe tamen est, quia datur obex gratiæ propter defectum attritionis de peccato odii ; cum enim unum peccatum mortale remitti non possit sine alio, et peccatum odii remitti non possit, quia deest dispositio ad illius remissionem necessaria, sequitur nec ipsum furti peccatum per absolutionem remitti. Recedente autem illo obice, reviviscit sacramentum pœnitentiæ et effectum suum habet. Inferunt postea confitenda solum esse peccata quæ in susceptione sacramenti validi sed informis non fuerunt rite confessa.

Altera sententia cum Vasquez (*de Pœnit.* q. 92, a 2), docet sacramentum pœnitentiæ non posse esse validum simul et informe. Etenim *a*) Conc. Trid. (sess. XIV, cap. 3 et 4) non distinguit inter contritionem quæ est dispositio ad gratiam, et inter contritionem quæ est pars sacramenti. *b*) Attritio concepta ex motivo virtutis particularis nititur in lege seu voluntate Dei supremi legislatoris, et proinde implicite seu extendit ad omnia peccata gravia. *c*) Ad veram attritionem de peccatis mortalibus commissis, requiritur propositum universale quoad futurum ; si desit hoc propositum universale, attritio non est sufficiens ad valorem sacramenti ; si adsit, motivum propositi erit uuiversale, et proinde odium peccati qnod est principium propositi, erit etiam universale, quælibet gravia peccata implicite complectens, et consequenter sacramentum validum erit simul et formatum.

Locus s. Th. Suppl. q. 9, a. 1, quo Thomistæ suam sententiam confirmare volunt, obscurus est et intelligi potest de confessione ficta quæ apud eumdem confessarium iterari non debet. Præterea ibid q, 28, a. 8 innuit sacramentum pœnitentiæ non posse esse validum et informe.

§ IV.

De relatione contritionis ad sacramentum pœnitentiæ.

70. Contritio referri debet ad sacramentum pœnitentiæ, et cum confessione et absolutione ita moraliter connecti ut ex iis unum efficiatur sacramentum. Hinc quæritur 1° an contritio elici debet in ordine ad sacramentum, seu ex intentione sacramentum suscipiendi ; 2° quomodo coexistere debet cum confessione et absolutione ; 3° an iterari debet contritio pro absolutione super peccatum inculpabiliter oblitum quod statim post receptam absolutionem exponit pœnitens ut ab eo absolvatur.

71. Quær. 1° *An contritio elici debet ex intentione sacramenti pœnitentiæ suscipiendi ?*

R. Sententia communior et longe probabilior negat, modo contritio formaliter vel virtualiter referatur ad absolutionem ; quod fit non solum *a*) quando antecedenter contritio elicitur ex intentione confitendi et absolutionem recipiendi, ut communiter fit, vel *b*) quando contritio de peccatis concepta movet ad confessionem, sed etiam *c*) si contritio ante concepta sine intentione confessionis, postea in confessione significatur et refertur ad absolutionem, absque nova elicita contritione. Hæc sententia a S. Alph. habetur ut probabilior, ab aliis ut moraliter certa ; quia necessitas intentionis eliciendi contritionem in ordine ab absolutionem, nullo probabili fulcitur argumento. Conc. enim Trid. silet de hujusmodi intentione, et contritio vere habita et a sacerdote assumpta est pars sacramenti, non vero intentio illam excitandi in ordine ad suscipiendum sacramentum (1). S. Alph. tamen censet sententiam de necessitate hujusmodi intentionis esse probabilem, quia alias contritio non esset

(1) Cf. De Lugo *de Sac. Pœnit.* d. 14, n. 37—40 ; Gury-Ball. n. 447 ; Lehmkuhl, *de Pœnit.* n. 230.

actio sacramentalis, ideoque hanc sententiam ait omnino in praxi tenendam. Ceterum in hac sententia sufficit intentio implicita, quæ eo ipso habetur quod contritio elicitur in pia præparatione ad confessionem.

72. Quær. 2° *Quomodo contritio coexistere debet cum confessione et absolutione?*

R. 1° Contritio non debet præcedere aut comitari confessionem peccatorum. Est sententia communior et practice tuta, quæ probatur ex trita confessariorum praxi qui juxta Rit. Rom. ad contritionem pœnitentes sacramentaliter confessos sollicite excitant, nec obligant post dolorem tunc conceptum ad repetendam confessionem quæ absque prævia contritione prius facta fuisset. (1)

Ad objectionem quod confessio debeat esse *sacramentalis*, *dolorosa*, et *sensibilis*, reponitur : *a*) confessio sacramentalis et satis dolorosa est eo quod fiat ex animo absolutionem a peccatis recipiendi; præterea quasi informatur dolore post eam ante absolutionem elicito. *b*) Contritio fit satis sensibilis tum per petitionem et expectationem veniæ, tum per ipsam confessionem antecedentem quæ sacerdoti et judici facta, indicat contritionem aut præviam aut concomitantem aut mox subsecuturam.

Practice semper curandum est ut contritio præmittatur confessioni, ne postea præ distractione aut præoccupatione omittatur.

R. 2° *a)* Contritio debet ante absolutionem perfici, nec sufficit ut eam subsequatur. Forma enim absolutionis debet afficere materiam proximam essentialem, et a peccatis absolvi non potest peccator nisi de iis contritionem habeat. Monet De Lugo « ne in praxi quis audeat sequi aliquorum sententiam, quod sufficiat dolor si eliciatur sub absolutione,

(1) Solent tamen quidam confessarii pœnitentem ad dolorem prius excitatum admonere ut de omnibus peccatis confessis sese iterum generaliter accuset. Cf. Gury n. 447, et Past. Brug. *de Sac. Pœnit.*

modo ante finem absolutionis finiatur ; quia sacramentum sic facile exponitur periculo nullitatis. »

b) Quamquam consulendum sit ut contritio antea elicita perduret actu et physice sub absolutione, sufficit tamen illam antea elicitam moraliter perseverare ; sacramentum enim pœnitentiæ ad modum judicii institutum, distantiam permittit inter actus prævios et sententiam judicialem. Unde valori absolutionis non obstat, si pœnitens sub illius prolatione plene sit distractus vel usu sensuum et rationis sit destitutus.

Ad quæstionem *quanto temporis spatio contritio moraliter perduret ad valide suscipiendum sacramentum pœnitentiæ*, non conveniunt DD ; alii enim, supposito semper quod non fuerit retractata per actum contrarium, aut per subsequens mortale peccatum, dicunt illam moraliter perdurare per annum, alii per mensem, alii per plures dies, alii solum per plures horas. In hanc rem ita habet S. Alph. : « Ego non dubito asserere, quoties confessio derivat ex peccatorum dolore, semper virtualiter perseverare dolorem saltem per unum aut alterum diem » (1). Cæterum, in praxi consulitur ut actus contritionis renovetur ante absolutionem.

73. Quær. 3° *An iterari debet contritio pro absolutione super peccatum inculpabiliter oblitum quod statim post absolutionem confitetur pœnitens ?*

Resp. Juxta sententiam communem iterari non debet contritio, si fuerit universalis, quia moraliter adhuc perseverat et refertur ad novam absolutionem (2). Quæ sen-

---

(1) L. VI, n. 446 ; H. Apost. t. XVI, n. 20. Cf. Gury-Baller. t. 2, n. 447.

(2) Cf. Gury-Ball. n. 448, ubi examini subjicit sententiam S. Alph. et animadversiones Vind. Alphons. Ibi quoque refert sententiam C. De Lugo et plurium DD. qui tenent renovandam non esse contritionem quando iteratur confessio eorumdem peccatorum, si prior contritio non retractata moraliter perseveret. Sed practice exigenda est nova contritio, quia facile deerit unio moralis inter contritionem

tentia etiam valet pro moribundo qui propter instans mortis periculum absolvendus est post auditum unum alterumve peccatum, et dein prosequi potest suam confessionem. S. Alphonsus tamen l. 6, n. 448, censet oppositam sententiam ut tutiorem esse sequendam, quia contritio non perseverat in ordine ad secundam absolutionem, ideoque pro novo sacramento nova contritio elicienda est. Hæc sententia in praxi consulenda est, eo vel magis quod actus contritionis facillime renovetur et magis disponat ad secundam absolutionem.

Praxis illico absolutionem impertiendi super peccata inculpabiliter omissa quæ quis statim confitetur, eamque non differendi ad sequentem confessionem, generatim consulenda est si agitur de peccatis mortalibus. Excipe si res sit cum scrupulosis qui iterum iterumque redire solent ; hujusmodi enim in ordinaria sua sequenti confessione absolvantur de oblitis suis peccatis quæ plerumque non nisi dubia et imaginaria sunt.

CAPUT II.

DE SACRAMENTALI CONFESSIONE.

74. Secunda pars materialis sacramenti pœnitentiæ est *confessio* (græce *exomologesis*), quæ definitur: *voluntaria accusatio suorum peccatorum post baptismum commissorum, sacerdoti competenti facta, ad eorum remissionem virtute clavium obtinendam.*

Summa doctrinæ catholicæ a Syn. Trid. Sess. XIV sancitæ circa confessionem, huc præcipue redit :

1° A Christo Domino instituta est sacramentalis

et absolutionem, tum etiam, juxta plures, quia plane novum inchoatur judicium sacramentale. Cf. Lehmkuhl, *de sac. pœnit.* n. 282.

confessio, eaque pro baptizatis jure divino necessaria est. Definitum est can. 6. Cf. cap. 5 et can. 8.

2° Hæc confessio integra esse debet, seu complecti *omnia et singula peccata mortalia* quorum memoria cum debita et diligenti præmeditatione habeatur, necnon *circumstantias quæ peccati speciem mutant.* Definitum est can. 7. Cf. cap. 5.

3° Licet confiteri venialia peccata (can. 7), eaque recte et utiliter in confessione exponuntur (cap. 5.).

4° Quamquam modus publice confitendi à Christo non sit prohibitus (cap. 5), modus tamen secrete confitendi soli sacerdoti, quem Ecclesia catholica ab initio semper observavit et observat, alienus non est ab institutione et mandato Christi, nec inventum est humanum (can. 6.).

Primum agetur de divina institutione et necessitate confessionis; dein de illius qualitatibus; demum in specie de confessionis integritate.

ARTICULUS I.

De divina institutione et necessitate confessionis.

75. *Confessio sacramentalis omnium et singulorum peccatorum mortalium quæ post baptismum commissa sunt, divinitus instituta est, et ad salutem necessaria.*

Hoc dogma fidei a Conc. Trid. contra novatores Sæc. XVI definitum (1), evincitur ex S. Scriptura et ex traditione.

1° Verbis Christi (Joan. XX, 23) : « *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis : et quorum retinueritis*

(1) Novatores sæculi XVI contendebant confessionem esse institutionem ab Innoc. III, in Conc. Lat. IV inductam. Illam modo *utilem* prædicarunt, modo ut *tyrannidem* et *cruentissimam carnificinam*, ac *tormentum Innocentianum* traduxerunt, conclamantes solam fidem justificare et satis esse quod soli Deo confiteamur. Quibus concinunt hodierni increduli ae libertini. De sc holaAnglicana v. sup. n. 2.

retenta sunt » infertur potestatem sacerdotibus impertitam necessario esse adeundam et per judicialem sententiam exercendam ; hæc autem requirit causæ cognitionem adeoque pœnitentis accusationem (v. sup. n. 2 et 3). Unde « ex divina institutione sacramenti pœnitentiæ, ait Conc. Trid. Sess. XIV. cap. 5, universa Ecclesia semper intellexit, institutam esse a Domino integram peccatorum confessionem, et omnibus post baptismum lapsis jure divino necessariam existere ; quia D. N. J. C., e terris ascensurus ad cœlos, sacerdotes sui ipsius vicarios reliquit tamquam præsides et judices ad quos omnia mortalia crimina deferantur, in quæ Christi fideles ceciderint, quo, pro potestate clavium, remissionis aut retentionis peccatorum sententiam pronuntient. *Constat enim sacerdotes judicium hoc, incognita causa, exercere non potuisse, neque æquitatem quidem illos in pœnis injungendis servare potuisse, si in genere dumtaxat, et non potius in specie, ac sigillatim sua ipsi peccata declarassent.* Ex his colligitur oportere a pœnitentibus omnia peccata mortalia, quorum post diligentem sui discussionem conscientiam habent, in confessione recenseri. »

Probatur II. Ex traditione divina. Hanc enim testatur perpetuus universæ Ecclesiæ consensus, qui probatur A ex testimoniis Patrum et B ex consensu Ecclesia græcæ et orientalis a Romana Ecclesia separatæ.

A. *Ex testimoniis Patrum.*

Sæculo II. *S. Irenæus,* l. 1, *Cont, hær.* c. 6, et 13, de mulieribus a Marco præstigiatore seductis refert, quod « postea ad Dei Ecclesiam reversæ cum reliquo suo errore hoc quoque confessæ sunt, aliæ autem hoc crimen confiteri veritæ a vita Dei desperaverunt. » *Tertullianus, de Pœn.* c. 9, reprehendit eos qui pudoris memores magis quam salutis, verentur manifestare sua delicta, eaque volunt humanæ notitiæ subducere.

Sæculo III. *Origenes* plura habet pro peccatorum necessaria confessione. *Hom. 2, in Levit.* n. 14, scribit :

« Est adhuc et septima, licet dura et laboriosa, per pœnitentiam remissio peccatorum, cum lavat peccator in lacrymis stratum suum, et fiunt ei lacrymæ suæ panes die ac nocte, et cum non erubescit sacerdoti Domini indicare peccatum suum, et quærere medicinam secundum eum qui ait « Dixi : Pronuntiabo adversum me injustitiam meam Domino, et tu remisisti impietatem cordis mei. » Et *Hom.* 2 *in Ps.* 37, ita scribit : « Sicut ii, qui habent intus inclusam escam indigestam aut humoris vel phlegmatis stomacho graviter et moleste immanentis abundantiam, si vomuerint, relevantur ; etiam hi qui peccaverunt ; si quidem occultant et retinent intra se peccatum, intrinsecus urgentur, et prope modum suffocantur a phlegmate vel humore peccati. Si autem ipse sui accusator fiat, dum accusat semetipsum et confitetur, simul evomit et delictum atque omnem morbi digerit causam. Tantummodo circumspice diligentius cui debeas peccatum confiteri. » (1) Cf. *Hom.* 17 *in Lucam.*

S. Cyprianus in libro *de Lapsis*, n. 29, illos sic hortatur : « Confiteantur singuli, quæso vos, fratres dilectissimi, delictum suum, dum adhuc qui deliquit, in sæculo est, dum admitti confessio ejus potest, dum satisfactio et remissio facta per sacerdotes apud Dominum grata est. »

Sæculo IV. *Lactantius*, l. 40 *Institutionum*, cap. 30, agens contra hæreticos, ac nominatim adversus montanistas et novatianos, dicit : « Quia, singuli quique cœtus hæreticorum se potissimum christianos, et suam esse catholicam Ecclesiam putant, sciendum est, illam esse veram in qua est confessio et pœnitentia, quæ peccata et vulnera, quibus subjecta est imbecillitas carnis, salubriter curat. »

S. Ambrosius, l. 2, *de Pœnit.* : « Si vis, inquit, justificari, fatere dilectum tuum ; solvit enim criminum

(1) Hujus homiliæ exstat tantum versio Rufini ; sed nulla est ratio suspicandi illam hoc loco esse interpolatam. Quod si Rufinus eam interpolasset, haberemus testimonium sæc. exeuntis IV vel ineuntis V.

nexus verecunda confessio peccatorum. » De ipso scribit ejus biographus Paulinus, n. 39 : « Quotiescumque illi aliquis ob percipiendam pœnitentiam lapsus suos confessus esset, ita flebat, ut et illum flere compelleret. »

Sæculo V. *S. Joannes Chrysostomos*, in libr. 2, *de Sacerdotio*, pertractans quomodo debeant impii ad meliorem frugem revocari, ait : « Multa quidem arte opus est, ut ægri sacerdotum remediis libenter se subjicere suadeantur. » Addit « non temere oportere ad peccata adhibere pœnam sed ulterius peccantium explorandum esse propositum. Idcirco pastori multa opus est prudentia, ac sexcentis oculis, ut undique animæ statum circumspiciat. »

S. Asterius, Episc. Amasenus, in *Oratione de Pœnitentia*, sub finem exhortans peccatores ad sinceram pœnitentiam, ait: « Tu, cujus animus æger, cur non ad medicum animorum properas ? Cur non ei confitendo morbum ostendis tuum ? .. Afflictionis participem et socium sume sacerdotem ut patrem.... Audacter ostende illi quæ sunt recondita. Animi arcana tamquam occulta vulnera medico detege. Ipse et honoris et valetudinis tuæ rationem habebit. »

S. Hieronymus (*in Eccl.* c. 10) scribit : « Si quem serpens diabolus occulte momorderit, et, nullo conscio, cum peccati veneno infecerit ; si tacuerit, qui percussus est, et non egerit pœnitentiam, nec vulnus suum fratri et magistro voluerit confiteri, magister et frater, qui linguam habent ad curandum, facile ei prodesse non poterunt. Si enim erubescat ægrotus vulnus medico confiteri, quod ignorat medicina non curat. »

S. Augustinus (Serm. in Ps. LXVI, ap. Migne t. 4, col. 809): « Exigit confessionem, ut liberet humilem ; ad hoc damnat non confitentem, ut puniat superbum. Ergo tristis esto antequam confitearis, confessus exsulta, jam sanaberis. Conscientia tua saniem collegerat, apostema tumuerat, te requiescere non sinebat ; adhibet medicinale ferrum in confessione tribulationis: tu agnosce medici manum; confitere, exeat in confessione et defluat omnis sanies. »

Sæculo VI. *Joannes Jejunator*, Patriarcha Const., librum pœnitentialem ad usum Ecclesiæ Orientalis conscripsit, in quo sacerdos pœnitentem sic alloquitur: « Spiritualis fili, ego confessionem tuam primario et præcipue non recipio, nec tibi absolutionem concedo, sed per me Deus... peccatorum tuorum confessionem suscipit, et per nostram vocem horum remissionem dispensat et largitur, sicut per propriam vocem ipse declaravit, cum ita dixit: *Quæcumque ligaveritis*, etc. Revela igitur et declara coram sanctis Angelis *nihilque me cela eorum quæ a te clam facta sunt*, velut si Deo occulta cordium cognoscenti confiteris .. Licet enim hoc pudendum et probrosum tibi videatur, opera probris et pudori obnoxia revelare, attamen eximie et accurate tibi persuasum esto per præsentem pudorem te a futuro liberari, et mandatis obediendo, non modo indulgentia, sed etiam coronis te dignum fieri. »

B. Divina institutio et necessitas confessionis probatur *ex consensu Ecclesiæ græcæ et orientalis schismaticæ et hæreticæ*. Apud Græcos enim jam a sæc. IX et apud Monophysitas et Nestorianos a sæculo jam V ab Ecclesia Romana separatos, viget doctrina et praxis confessionis divinitus institutæ et necessariæ, ut constat ex eorum synodis, libris euchologicis et scriptoribus (1). Ergo jam sæc. IX imo V universa Ecclesia hoc dogma theoretice

(1) Cf. Renaudot, *Perpetuité de la foi*, t. 5, Asseman, *Biblioth. Orientalis*; Denziger, Ritus *Orient.* t. 1. Ita synodus Hierosol. a. 1672 inter septem sacramenta recenset sacramentum pœnitentiæ « *in quo et secreta includitur confessio.* » Scriptor Nestorianus Bar-Salibæus vergente sæc. VII, edidit librum, in quo tractat de modo quo pœnitens confiteri debeat peccata sua coram sacerdote, et quomodo a sacerdote absolvendus sit, et quæ ipsi pœnitentia sit injungenda. In illo libro hæc leguntur : « Pœnitens vero aperto capite, dextrum genu flectat, manibus ad pectus complicatis, oculisque in terram defixis, confiteatur absque rubore, et nihil omnino abscondat ab eo, sed aperiat cogitationes suas et quidquid ab eo gestum fuerit. »

et practice profitebatur ; nam nec græci nec monophysitæ et nestoriani a Latinis, aut isti ab illis novum confessionis dogma contra antiquam suam fidem recipere potuerunt. Restat igitur ut omnes confessionis dogma hauserint ex illa Ecclesia sæc. V in qua ante schisma et hæresim vinculo unius fidei conjuncti erant. Ex quo etiam colligitur illud dogma esse originis *apostolicæ* et *divinæ*. Etenim, *a)* Ecclesia Christi assistente Spiritu Sancto, infallibilis est in sua doctrina et fide. *b*) Immutatio doctrinæ Apostolicæ a sæculo I usque ad sæc. V per introductionem novi dogmatis de confessione peccatorum, a priori et historice apparet impossibilis, si attendas *a)* confessionem omnium peccatorum necessario instituendam, esse difficillimam et humanæ superbiæ repugnantem, *b*) Ecclesiam Christi, inde ab initio semper pro suæ fidei regula habuisse doctrinam ab Apostolis traditam et inviolate per subsequentes pastores consentientes conservatam, omnemque novitatem in fide abhoruisse et repulisse ; et insuper *c*) nullam unquam per quinque priora sæcula motam fuisse controversiam et obortam concitationem circa doctrinam confessionis ; quæ certe mota et oborta fuisset, se quis humana auctoritate tentasset introducere novum dogma contra fidem antiquam apostolicam et divinam. His attentis, manifestum est dogma practicum de confessione peccatorum divinitus instituta et ad salutem necessaria, repetendam esse ab ipsa doctrina Christi Apostolis et per eos Ecclesiæ tradita per eamque conservata.

Ex argumentis allatis liquet quam inverecunde assertum sit a novatoribus sæc. XVI confessionem sacramentalem in Conc. Lat. IV sub Innocentio III, a. 1215 primum institutam fuisse. « Neque enim, ait Conc. Trid., per Lateranense concilium Ecclesia statuit, ut Christi fideles confiterentur, quod jure divino institutum et necessarium intellexerat, sed ut præceptum confessionis saltem semel in anno, ab omnibus et singulis, cum ad discretionis annos pervenissent, impleretur. »

76. *Convenientia institutionis confessionis* suadetur multiplici ratione :

1° Cum superbia sit radix omnium peccatorum, conveniens fuit ut Deus ad remittenda peccata institueret tale remedium quo hæc comprimeretur. Quid vero aptius cogitari potest ad ipsam hominis superbiam conterendam, quam si pœnitens sacerdotibus, qui et ipsi homines sunt, teneretur peccata sua omnia detegere, quamvis arcana, quamvis turpia ? 2° Verecundia confitendi etiam occulta cordium, mirum in modum homines revocat a peccatis in posterum committendis : quod satis patet ex experientia, et sæpius fassi sunt adversarii. 3° Confesso suapte natura medium est aptum ad sananda vulnera peccati. Sicut adhibetur medicus ad sanandos morbos corporis, ita pariter anima ægrota indiget consiliis viri prudentis, cui proinde necesse est ut manifestet sua peccata. Præterea confessio supponit examen conscientiæ, quo nihil aptius ad peccatum removendum et ad virtutes acquirendas. Insuper ipsa confessio est quædam satisfactio, et peccati reprobatio. 4° Argumentum convenientiæ duci etiam potest ex aliis multis utilitatibus ex confessione obvenientibus : auferuntur scandala, dimittuntur injuriæ, sedantur inimicitiæ, dissolvuntur contractus iniqui, reparantnr injustitiæ, multaque impediuntur mala quibus pax et tranquillitas publica graviter quandoque turbaretur. Unde ipsi protestantes, ut Leibnitz et alii citati apud Feller, fassi sunt nullum aptius frenum excogitari posse ad homines a vitiis refrænandas (1).

77. *Quibusdam objectionibus satisfit.*

---

(1) Claus. Harnis protestans sic alloquitur Regem Borussiæ : « Nescirem Majestati tuæ majori fervore rem aliam magis commendare quam confessionem, etenim Ecclesia nullum medium efficacius illa habet ad christianos continendos in timore Domini qui est basis timoris, obsequii et subjectionis quam regi suo subditi debent. Error hac in re includit germina perduellionis et tronos minatur. » (Eph. Evang. Berlin a. 1829, n. 81).

1) Objicitur ex S. Chrysostomi testimonio, sufficere peccata soli Deo confiteri; hæc enim inter alia habet in Hom. 5 *de incomprehensibili* n. 7: « Quamobrem etiam atque etiam hortor, rogo et oro, ut frequenter Deo confiteamini. Non te in theatrum conservorum tuorum duco, neque hominibus peccata revelare cogo; conscientiam tuam expande coram Deo, ostende ipsi vulnera, et ab eo medicamenta postula. » R. 1° S. Joan. Ch. alibi docet necessitatem confitendi sacordoti (v. n. 75), nec dissentire potuit ab aliis Ecclesiæ Patribus quibuscum in eadem fidei professione vivebat; ergo alio sensu intelligendus est in verbis objectis et in aliis similibus locis. 2° Intelligi autem potest vel *a)* de culpis venialibus aut jam remissis; vel *b)* de confessione primum Deo facienda quæ disponat peccatorem ad remissionem peccatorum mortalium per confessionem sacerdoti factam; vel *c)* de confessione secreta facta sacerdoti tanquam ministro ac legato Dei.

2) Objicitur silentium Apostolorum de præcepto et usu confessionis.

R. *a)* Est argumentum negativum quod nullam vim habet contra argumentum positivum ex verbis Christi (Joan. XXI) pro necessitate et institutione confessionis. *b)* S. Scriptura non est unicus fons revelationis. *c)* Plures confessionem sacramentalem vident indigitatam in Act. Apost. 19, 18; et Jac. 5, 16.

3° *Obj* Nectarius Patriarcha Constantinopolitanus, Chrysostomi immediatus prædecessor, confessionem in ecclesia sua abrogavit, ut testantur Socrates et Zozomenus. Quod etiam fecerunt ejus exemplo alii Episcopi orientales, ut testatur Nicephorus. Atqui nunquam id fecissent, si confessio fuisset jure divino præcepta; ergo.

Resp. Nectarius non sustulit confessionem sacramentalem secretam, sed tantum publicam pro peccatis occultis prohibuit, idque occasione gravis alicujus scandali ex publica confessione cujusdam mulieris, quæ ulterius quam par erat, in confitendo progressa, palam se accusaverat occulti

flagitii cum diacono in ipso templo commissi. Quod autem addit Zozomenus eumdem Nectarium reliquisse uniuscujusque conscientiæ, ut ad communionem accederet, vel non accederet, non debet sic intelligi quasi permiserit ut peccatores, nulla confessione præmissa, communicarent, sed tantum vult eum sustulisse morem arcendi aliquos a communione, donec fecissent confessionem et pœnitentiam publicam sibi impositam a presbytero pœnitentiario, qui sæc. III in quibusdam civitatibus ad id erat constitutus, ut audita secreta pœnitentium confessione, discerneret quænam peccata ad aliorum ædificationem expianda essent confessione et pœnitentia publica, priusquam ad communionem accederent. (1)

78. Quum confessio necessaria sit quatenus est pars sacramenti, sequitur illam eodem modo et tempore necessariam esse et præscriptam quo sacramentum pœnitentiæ (v. supra nn. 24-34).

ARTICULUS II.

De conditionibus seu qualitatibus confessionis.

79. S. Th., suppl. q. 9, a. 4, sexdecim recenset conditiones confessionis, quæ a Magisiris assignantur hisce versibus :

Sit simplex, humilis confessio, pura, fidelis
Atque frequens, nuda, discreta, libens, verecunda,
Integra, secreta, lacrymabilis, accelerata,
Fortis et accusans, et sit parere parata.

Plures ex enumeratis conditionibus fere inter se coincidunt, et non sunt stricte necessariæ, sed confessionis spectant perfectionem et convenientem usum.

Confessio debet esse 1° *simplex*, seu sine admixtione

(1) Cf. Dissert. in Hist. Eccl. Ex D. Jungmann t. 2, Diss. VIII.

rerum quæ ad confessionem peccatorum non pertinent. Unde in *Instructionibus confess. Diæc. Brug.* § 2, legitur : « Sedulo caveat confessarius ne in confessione misceantur quæ ad eam non sunt necessaria, nisi quatenus ad salutarem instructionem evidenter pertinent; pœnitens reliqua etiam narrare volens silere jubeatur. »

2° *Humilis*, tum interne tum etiam externe; ita ut verba, habitus, totaque pœnitentis externa compositio humilitatem denotent; unde quatenus fieri potest, genibus fit flexis, et milites arma deponere solent.

3° *Pura*, seu ex recta intantione, v. g. placendi Deo, gratiam acquirendi. peccati vitandi, in virtute proficiendi, etc. Sacramentum irritum est, si confessio fit ad finem graviter peecaminosum; secus, si finis sit solum venialiter malus, quamquam tunc venialiter peccetur.

4° *Fidelis*, seu *verax* et *sincera*, ideoque sine mendacio et hypocrisi.

5° *Nuda*, absque simulatione et verborum ambagibus.

6° *Discreta*, seu prudens, propria peccata congruo modo declarando, aliena vero non revelando.

7° *Frequens*, juxta pœnitentis conditionem et confessarii judicium; nam frequens confessio efficax est remedium contra relapsum in gravia præsertim luxuriæ peccata.

8° *Libens*, seu voluntaria et non coacta.

9° *Verecunda*, ita ut pœnitens interius de fœditate animæ erubescat et ejus sermo pudorem et modestiam conjuncta habeat.

10° *Integra*, omnia et singula mortalia complectens.

11° *Secreta*, seu soli sacerdoti facta et ideo *auricularis* dicitur. Hæc conditio non requiritur ex necessitate sacramenti aut ex præcepto divino ; non vetuit enim Christus, ut ait Trid. cap. 5, « quin aliquis in vindictam suorum scelerum et sui humiliationem, cum ob aliorum exemplum, tum ob Ecclesiæ offensæ ædificationem, delicta sua publice confiteri possit : non est tamen hoc divino præcepto mandatum, nec satis consulte humana allqua

lege præciperetur, ut delicta, præsertim secreta, publica essent confessione aperienda. » Quare confessio *secreta* primordiis Ecclesiæ in usu fuit et unanimi Patrum consensu commendata. Quod autem spectat disciplinam Ecclesiæ quoad confessionem publicam, advertendum est Ecclesiam universalem aut Romanam nunquam injunxisse publicam confessionem criminum occultorum, aut peccatores occultos obligasse ad publicam pœnitentiam peragendam, aut pro quovis peccato mortali publicam pœnitentiam imposuisse.

12° *Lacrymabilis*, seu cum vero dolore animi conjuncta, et non mere historica narratio.

13° *Accelerata*, nempe non adeo dilata post peccatum. Quæ dilatio maxime perniciosa est post peccata luxuriæ.

14° *Fortis*, in superando v. g. timorem quo pœnitens interdum concutitur in manifestandis peceatis gravioribus et turpioribus. Monet autem S. Bonav. plurimum conferre si primum ea peccata aperiantur quæ majore rubore pœnitentem afficiunt.

15° *Accusans*, seu peccata sua submittens judici, eaque non excusans, vel solum historice narrans.

16° *Parere parata* confessario injungenti pœnitentiam et remedia contra relapsum necessaria.

Ad confessionem præcipue requiritur ut sit *integra* ideoque *fidelis*, seu vera et sincera. De quo art. seq. dicetur.

80. Præterea confessio sacramentalis debeat esse *oralis* seu *vocalis* et *sacerdoti præsenti facta*. De quo sequentes statuuntur conclusiones.

1° *Ad valorem sacramentalis confessionis, necesse non est illam fieri propria pœnitentis voce*. Constat ex praxi Ecclesiæ absolvendi moribundos et alios qui gravem ob causam nutibus aliisve signis aut per interpretem confitentur. Unde decretum Florent *oris confessionem* requirendo, nihil aliud intelligit quam externam peccati manifestationem quæ quoniam ore fieri consuevit, *oris* confessio dicitur.

2° *Ex praxi tamen universali Ecclesiæ, confessio regulariter propria oris locutione fieri debet.* Convenientissima est hæc praxis, quia hujusmodi confessio distinctius explicat conscientiam et cum majore humiliatione conjuncta est.

Dicitur *regulariter* ; ab hac enim obligatione excusat *impossibilitas* sive *physia*, sive *moralis*, v. g. vocis defectus, idiomatis ignorantia, gutturis angor, pectoris oppressio, etc., et etiam, juxta plures, *vehemens verecundia* puellæ in confitendis peccatis luxuriæ (S. Alph. l. 6, n. 429). Idem sentit Tamburini de scrupuloso qui putat scripto posse melius se explicare (S. Alph. l. 6. n. 429). Consulitur ut pœnitens confessioni scriptæ a præsente confessario lectæ, adjungat, si possit, generalem accusationem voce factam peccatorem quæ scripta fuerunt. Existimat De Lugo (Disp. 15, n. 80) obligationi per se vocaliter confitendi semper satisfieri per confessionem scriptam cui adjungitur oralis istius modi accusatio generalis. Hoc tamen fidelium usui adversatur et non nisi ob justam causam fieri debet.

3° *Confessio præsenti confessario facienda est, et facta absenti per litteras aut nuncium, non solum illicita, sed etiam invalida est.* Constat ex decreto Clementis VIII qui sequentem propositionem : *licere per litteras seu internuntium confessario absenti peccata sacramentaliter confiteri et ab eodem absente absolutionem obtinere*, « ad minus uti falsam, temerariam et scandalosam » damnavit ac prohibuit ; præcepitque « ne deinceps ista propositio publicis privatisve lectionibus, concionibus et congressibus doceatur, neve unquam tamquam aliquo in casu probabilis defendatur, imprimatur aut ad praxim quovis modo deducatur. »

Paulus V. d. 4 Jul. 1605 in Cong. S. O. declaravit hoc decretum etiam in sensu diviso, h. e. de confessione vel de absolutione seorsim valere (1) Animadvertendum

(1) Aliqni thĕologi contenderant in propositione damnata a Clemente VIII particulam *et* non esse divisive, sed complexive et copulative

ex vi illius decreti talem confessionem non solum *illicitam* sed etiam esse *invalidam* ; quia si in aliquo casu esset valida talis confessio vel absolutio, non potuisset prohibitione Pontificia reddi illicita in universum pro omni casu ; nam sicut leges ecclesiasticæ non obligant cum gravissimo damno temporali aut periculo vitæ corporalis, sic multo minus obligare possunt cum gravissimo detrimento spirituali et periculo damnationis æternæ. Unde si aliquis tentatis omnibus viis, non posset habere confessarium præsentem, non posset prohiberi, quod ei absenti confiteretur jamjam moriturus, si hujusmodi confessio valida esset. » (Lugo *de Sac. Pœnit.* Disp. 17 nn. 63-64).

4° *Valide et licite absolvitur moribundus sensibus destitutus qui ante adventum confessarii, per alios desiderium confitendi ostendit.* Constat ex Rit. Rom. a Paulo V post decretum Clementis VIII approbato, ubi hujusmodi moribundus dicitur absolvendus. Ipse Clemens VIII vivæ vocis oraculo declaravit se suo decreto non intendere casum quo moribundus sensibus destitutus quem adstantes absolutionem antea petiisse testantur, absolvendus esset. Quomodo hæc doctrina cum Clementis decreto componatur, vario modo a theologis explicatur. (Cf. Bucceroni, *de moribundorum absolutione et assistentia).*

5° *Confessio scripto aut per internuncium facta sacerdoti absenti et dein generali modo renovata coram*

---

sumendam, adeoque solum prohiberi ut totum sacramentnm, absolutio nimirum et confessio, inter absentes perificiatur, sed salvo Decreto posse absolvi absentem qui præsenti sacerdoti sua peccata confessus erat, vel saltem absolvi posse præsentem qui confessario *absenti* per litteras aut internuntium confessus fuerat, Clemens VIII rejecit interpretationem de complexiva tantum damnatione propositionis et Paulus V interpretationem hujus decreti a Suarez traditam ex ejus commentario amoveri jussit. De quo vide *Suaresii opuscula sex inedita,* quæ edidit Illust. D. J. B. Malou, Episc. Brug.; et Bucceroni, de moribundorum absolutione et assistentia. Romæ 1890.

eodem præsente, valida est, et ob justam causam etiam licita. Hæc enim absolutio datur non vi confessionis factæ absenti, sed vi confessionis coram præsente confessario renovatæ, qui, cum supponatur peccatorum adhuc conscius, de omnibus judicare potest. Cf. s. Alph. nn. 420 et 502.

ARTICULUS III.

De integritate sacramentalis confessionis.

81. Integritas confessionis consideratur relate ad materiam remotam sacramenti, et distinguitur in *materialem* et *formalem*. Confessio *materialiter integra* est confessio omnium peccatorum mortalium nondum directe remissorum, quoad eorum numerum, species, et circumstantias necessario exprimendas. Confessio *formaliter integra* est confessio peccatorum quæ quis hic et nunc confiteri potest et debet; seu, ut ait Suarez, de quibus nulla intercedit excusatio.

Hinc confessio potest esse, *a)* integra formaliter et non materialiter; *b)* integra materialiter simul et formaliter; *c)* integra materialiter et non formaliter, v. g. si reticetur id quod erronee existimatur peccatum grave.

Integritas materialis est quidem de *necessitate præcepti divini*, adeoque *per se* requisita quando haberi potest et nulla ratio excusat. Verum, quia ista integritas sæpe est *moraliter* et non raro *physice* impossibilis aut non debita, ideo non semper est de *necessitate sacramenti*, ad cujus valorem requiritur et sufficit integritas formalis; hæc autem semper est *de necessitate sacramenti*.

Agendum igitur I de integritate materiali confessionis; II de causis excusantibus a materiali integritate, seu de formali integritate; III de mediis ad procurandam integritatem necessariis.

§ I.

De integritate materiali confessionis.

82. Quædam in hac quæstione certa sunt et ad catholicam doctrinam pertinent, quædam vero controversa. Certum est ex doctrina catholica, omnia et singula peccata mortalia quoad speciem et numerum eorumque circumstantias speciem mutantes, esse confitenda. Controvertitur utrum præceptum divinum obliget ad confitendum circumstantias mere aggravantes et peccata dubia.

Quæstio prima erit de doctrina catholica circa integritatem materialem confessionis; secunda de circumstantiis aggravantibus; tertia de circumstantiis in particulari, quarta demum de peccatis dubiis.

QUÆSTIO PRIMA. *Doctrina Catholica de materiali integritate confessionis.*

83. *Confessio materialiter integra*, seu *confessio omnium peccatorum mortalium quorum conscientia habetur, quoad eorum speciem et numerum et circumstantias speciem mutantes, necessaria est ex præcepto divino per se obligante.*

Propositio ad doctrinam catholicam spectat, ut constat ex Trid. Sess. XIV Can. 6, 7, et cap. 5 ubi hæc doctrina colligitur ex judiciali potestate quæ in sacramento pœnitentiæ exercetur (v. n. 75).

Dicitur: Ex præcepto divino *per se* obligante; quia *per accidens* dari potest justa causa excusationis ab hoc præcepto, manente tamen obligatione peccata justam ob causam prætermissa postea confitendi, ubi hæc causa excusans cessaverit.

Notandum est ad integritatem materialem requiri ut omnia et singula peccata mortalia simultanee declarentur, i. e, in una eademque confessione; qui enim, ait Conc. Trid. « *scienter aliqua retinent, nihil divinæ bonitati per sacerdotem remittendum proponunt.* »

84. *Distinctius explicatur extensio objectiva integritatis materialis.*

Integritas materialis jure divino *per se* præscripta, complectitur I. peccata mortalia post baptismum commissa et nondum directe remissa, tam interna quam externa; II. eorum numerum et III. speciem, nec non IV. circumstantias speciem mutantes.

Sub I. Dicitur peccata 1° *mortalia*; nullum enim datur præceptum divinum, nec ecclesiasticum universale per se obligans ad confessionem venialium (v. n. 9).

Dicitur 2° peccata *mortalia post baptismum commissa*; peccata enim ante commissa sunt materia baptismi non vero sacramenti pœnitentiæ (n. 8).

Quod vero spectat peccata commissa *inter baptismum dubium et baptismum postea sub conditione repetitum*, illa sunt ex integro confitenda et per absolutionem sub conditione (v. g. si es capax, vel si peccata post baptismum commissa sunt) remittenda post baptismum sub conditione collatum. Constat ex decreto S. Congr. S. R. U. Inq. quæ ad postulatum Episcoporum Angliæ: « *An debeat confessio a neoconversis in Anglia exigi, et an confessio debeat esse integra,* repondit a. 1868 ad utramque dubii partem: « *Affirmative, et dandum esse decretum latum sub feria V die* 14 *Junii* 1715 (1). Porro in neoconversorum receptione, si baptismus sub conditione iterandus sit, sequens ordo servandus est ex decreto S. C. S. R. U. Inq, 20 Julii 1859: 1° *Recipitur abjuratio, seu fidei professio* (sola fidei catholicæ professio exigenda est ab adolescentibus, qui annum 14 nondum attigerint, ab aliis vero insuper formalis sectæ ad quam pertinuerint abjuratio, ut constat ex eadem S. C. 20 Nov. 1878). 2° *Confertur*

(1) In quo Decreto ad casum cujusdam neoconversi in Germania, de cujus baptismi valore dubitabatur, a S. C. O. decretum fuit: *Carolum Ferdinandum Wippermann esse rebaptizandum sub conditione, et collato baptismo, ejus præteritæ vitæ peccata confiteatur et ab iis sub conditione absolvatur,*

baptismus sub conditione. 3° *Instituitur confessio sacramentalis cum absolutione conditionata.*

Anno tamen 1875 eadem S. C. declaravit, quod neo conversi ante iterationem baptismi possint « prius audiri sacramentaliter quoad eorum culparum accusationem. Deinde post collationem baptismatis sub conditione, confessarius iterum reassumptis per summa capita, cum pœnitente, iis de quibus jam accusationem fecerit, absolvat eum sacramentaliter pariter sub conditione. » Si igitur confessarius distincte adhuc memor esset omnium peccatorum, sufficeret post baptismum summaria confessio de omnibus peccatis prius expositis.

Si quis peccata inter priorem et posteriorem baptismum commissa, tempore intermedio bona fide confessus fuit, non amplius ea confiteri debet, quia jam remissa sunt vel per sacramentum pœnitentiæ rite susceptum, si prior baptismus validus fuerit, vel per secundum baptismum, si prior invalidus fuerit.

Dicitur 3° peccata mortalia *nondum directe remissa;* omnia enim peccata mortalia absolutioni sacramentali subjici debent, quamvis alio modo jam remissa forent (v. n. 79). Peccata autem directe seu per absolutionem remissa non sunt per se materia necessaria confessionis. Per accidens tamen potest dari obligatio illa denuo confitendi, *a)* ratione voti aut præcepti particularis ecclesiastici, v. g. in ordine religioso ; *b)* si circumstantia omissa debite explicari non potest, nisi declaretur peccatum jam confessum, v. g. circumstantia incestus prætermissa in confessione fornicationis.

Dicitur 4° peccata tam *interna* quam *externa* ; id enim manifestum est ex Trid. Proinde externus peccati actus, quamquam suam malitiam hauriat ex interna voluntate, in confessione est declarandus ; actum enim internum in ratione peccati complet et cum eo unum totale peccatum constituit In actu externo peccaminoso per se subintelligitur peccatum internum.

85. Quær. *An confitendus est effectus in se graviter malus ex actu peccati postea subsecutus,* v. g. mors ex propinato veneno, etc. ?

Resp. 1°. Effectus malus confitendus non est, si nullo modo prævisus fuit; tunc enim non est voluntati imputabilis ad culpam.

2° Confitendus est effectus malus ex peccato secutus, si prævisus fuit et actuali libertati adhuc substat, ut si voluntas eum impedire adhuc potest; tunc enim potius est actus externus peccati libere positus.

3° Si vero effectus, dum sequitur, non amplius substat libertati actuali, seu non amplius potest impediri, tunc sive præterita mala voluntas retractata fuerit, sive non, effectus secutus *per se* non necessario est confitendus et sufficit confiteri causam graviter culpabilem intenti vel saltem prævisi effectus postea subsecuti, v. g. mortis ex propinato veneno, abortus ex mediis adhibitis, pollutionis nocturnæ ex delectatione venerea vespere habita. Interdum tamen *per accidens* confitendus est ratione reservationis vel censuræ (1), vel etiam ratione directionis necessariæ, quia v. g. pœnitens interrogatur et monendus est de restitutione facienda. Est sententia probabilis quam defendit Lugo, et ratio est, quia ille effectus solum dependet in suo esse a voluntate præcedente et nullo modo a voluntate præsente, et consequenter effectus hic et nunc non est voluntarius et liber. Contra, plures cum S. Alph. censent effectum confitendum esse, nisi antea præterita mala voluntas retractata fuerit (Cf. l. IV, 149, et V, 10). Cæterum monet Lugo regulariter *expedire*, « quod effectus consequuuti dicantur, atque ideo non esse impediendos pœnitentes, sed relinquendos in hoc usu ; quia hoc modo explicatur melius malitia actus præcedentis et intelligitur melius status pœnitentis, et an habeat obligationem ali-

(1) Const. *Apost. Sedis,* excommunicati dicuntur procurantes abortum *effectu secuto,* et in nostra diœcesi procuratio abortus directe voluntaria, *effectu secuto,* est casus reservatus.

quam restituendi, an incurrerit censuram, casum reservatum etc. » *De Sac. pœnit.* disp. 15, n. 460).

86. Dicitur II confitendam esse *speciem* peccati mortalis.

Prænota. Species *moralis* peccati, de qua Conc. loquitur, seu malitia *specifica* actus, practice desumitur ex virtute quæ læditur et ex modo quo virtus læditur per actum spectatum in objecto, fine et circumstantiis. Actus igitur physice unus potest habere plures malitias specie diversas, si nempe læduntur diversæ virtutes vel plura præcepta lata propter motivum speciale diversæ virtutis et honestatis. Peccata autem inter se specie morali distinguuntur, si opponuntur diversis virtutibus, vel diverso modo eidem virtuti, vel diversis præceptis latis ex motivo diversæ virtutis vel honestatis (1).

Quær. *Quo modo species moralis peccati confitenda sit ?*

Resp. Peccatum mortale confitendum est *per se* in specie sua *infima* ; nec sufficit illud confiteri in specie *subalterna*, v. g. peccatum contra castitatem ; diversis enim modis speciem peccati diversificantibus potest lædi castitas ; unde damnata est ab Alexandro VII propositio 25 : « Qui habuit copulam cum soluta, satisfacit confessionis præcepto dicens : commisi cum soluta grave peccatum contra castitatem, non explicando copulam. » Nec a fortiori sufficit confiteri speciem genericam peccati, v. g. simpliciter grave peccatum.

Dictum est *per se* ; nam si quis speciem infimam confiteri non potest propter oblivionem aut aliam causam, confiteri potest speciem subalternam, vel etiam genericam, si aliter fieri non potest ; sed manet obligatio confitendi postea speciem infimam peccati.

---

(1) Cf. s. Alph. *Theol. mor.* l. v. n. 30 sqq. *Theol. Mor. fund.* (Auct. Th. Bouquillon) n. 387-389 ; A. Ballerini, *Opus theologicum morale, de Peccatis*, n. 220-243 ; Haine, *Theol. mor.* t. I. *de Peccatis*, Q. 26, 27.

Heic notari potest species peccatorum et circumstantias speciem mutantes exprimendas esse a pœnitente et inquirendas a confessario juxta capacitatem pœnitentis et conscientiam quam *peccando* habuit ; malitia enim ignorata tempore peccati admissi non contrahitur : sufficit tamen confusa apprehensio gravioris malitiæ.

87. Ad integritatem confessionis exprimi debet III *peccatorum mortalium numerus*. Præ oculis igitur habeantur principia theologica de numerica peccatorum distinctione. (1)

Quær. *Quo modo declarandus est numerus peccatorum ?*

Resp. 1° Numerus peccatorum *certus* declarari debet, si certo cognoscatur. — Qui numerum mala fide minuit aut auget, graviter peccat et sacrilege confitetur ; ideoque confessionem repetere tenetur et verum numerum confiteri. Exaggeratio tamen numeri ordinarie fit bona fide ex scrupulositate vel inquieto securitatis studio ; unde ex hoc capite raro aderit peccatum formale. Qui bona fide numerum minorem declaravit, suum errorem postea corrigere tenetur. Qui vero numerum bona fide exaggeravit, non tenetur postea errorem corrigere ; verus enim numerus in majori continebatur et remissus est.

2° Si certus numerus, debito facto examine, non reperitur, exprimi debet *approximativus* adjecta particula *circiter* vel *plus minusve*. Quæ particula variam latitudinem habet pro majori vel minori numero peccatorum. Juxta plures, numerus *circiter quinquies* indicat 4-6 ; *circiter decies* indicat 8-12 ; *circiter vigesies* indicat 16-24 ; *circiter trigesies* indicat 25-35 ; *circiter centies* indicat 90-110 (Gury n. 478 ; Lehmkuhl n. 305). Qui postea reperit numerum certum, non tenetur excessum in confessione declarare, quoties non notabiliter excedit numerum approximativum quem confessus est, i. e. si numerus certus comprehen-

(1) Cf. s. Alph. l. V, n. 35 sqq. Bouquillon, op. cit. n. 273 ; Haine, op. cit. 228-31.

ditur in latitudine numeri approximativi. Ceterum si numerus ad 100 accedit, consultius inquiritur de lapsibus per dies, hebdomadas, menses, etc., ut illico dicetur.

3° Quando peccata frequentissima fuerunt, præsertim post diuturnam confessionis dilationem, satis et melius erit si pœnitens, quantum moraliter fieri potest, exponat *spatium temporis quo mansit in consuetudine peccati specifice declarati* (v. g. fornicationis, adulterii, pollutionis, odii, blasphemiæ, delectationis venereæ etc.), et *frequentiam peccatorum accidere solitam per diem, hebdomadam aut mensem.* Cf. S. Alph. *Praxis Confessarii,* n. 20, ubi addit : « Post duas vel tres interrogationes non debet angi confessarius, si ei judicium quod facit videtur esse nimis confusum ; nam ex conscientiis implicatis et confusis moraliter impossibile est majorem claritatem sperare. » Summa rei tunc est ut moraliter cognoscatur præsens status pœnitentis, quod obtinetur sine mathematica peccatorum enumeratione, quæ tunc impossibilis est. Potius studeat confessarius hujusmodi consuetudinarios confirmare in proposito peccata futura cavendi, quam seipsum et pœnitentem in accurato numero inutiliter perquirendo torquere. Cf. Sporer, *de Pœnit.* n. 451. Confessarius facile intelliget consuetudinarios in peccato externo luxuriæ v. g. concubinarios, meretrices etc., sæpius aut fere continue et quavis data occasione inhæsisse pravis colloquiis, cogitationibus et desideriis.

Nota. Consuetudinarii qui hoc modo confessi sunt, non tenentur postea supplere seu repetere peccata, quamvis in particulari recordentur hujus vel illius peccati in hoc vel illo loco, cum hac vel illa persona commissi, quia in præcedente confusa confessione fuerunt sufficienter intellecta a confessario, qui potuit de iis et de eorum numero formare morale judicium, atque ideo de omnibus directe absolvit. Excipe tamen, si specialis fortassis occurrat circumstantia quæ nullo modo ne in confuso quidem indicata fuit, vel si postea occurrat tanta multitudo peccatorum ut

notabiliter excedat numerum prius expositum : quod tamen vix moraliter accidere potest, si prius mediocris diligentia, adjuvante confessario, adhibita fuit. Cf. Lugo, disp. 16 s. 14.

Quæ hactenus dicta fuerunt de confitendis specie et numero peccatorum, respiciunt peccata mortalia quæ nondum directe sunt remissa ; quod enim *venialia* attinet, hæc non debent declarari in confessione cum sint materia libera ; et si quis velit ea confiteri, non tenetur eorum numerum declarare ; si tamen aliam materiam non subjiciat absolutioni, tenent Layman, Suarez, aliique, quod extra necessitatem pœnitens unum saltem veniale confiteri debeat secundum speciem, si fieri possit, ut sacramentum congruentius et certius administretur. De confessione venialium infra ex professo tractabitur.

88. Dictum est IV confitendas esse *circumstantias speciem mutantes* peccatorum mortalium.

Prænotandum. Circumstantia, a verbo *circumstare*, ait S. Th., l. 2, q. 7, a. 1, « dicuntur quæcumque conditiones sunt extra substantiam actus et tamen attingunt aliquomodo actum humanum. Unde circumstantiæ actuum humanorum eorum accidentia dicenda sunt. » Numerantur septem hoc versiculo : *Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando* ; seu *circumstantiæ personæ agentis objecti, loci, medii, finis, modi, temporis* (1).

Circumstantiæ peccatorum, seu conditiones accidentales actus peccaminosi, triplicem in eum possunt habere efficientiam : vel enim 1° malitiæ primariæ quam actus habet ex suo objecto, addunt malitiam moralem specialem seu diversæ speciei moralis, et dicuntur circumstantiæ *mutantes speciem moralem* vel simpliciter *mutantes speciem*. Malitia specialis addita vel est *mortalis*, v. g. in fornicatione personæ sacræ aut conjugatæ ; vel *venialis*, v. g. in peccato gravi ob vanam gloriam commisso. Vel 2° circumstantia mutat spe-

(1) Cf. S. Th. l. 2, q. 7, a. 8.

ciem *theologicam*, efficiendo nimirum ut peccatum ex suo objecto veniale fiat mortale, v. g. grave damnum intentum in furto objective levi ; et tunc vocatur etiam circumstantia *in infinitum aggravans* ; vel efficiendo ut mortale ex objecto fiat leve, v. g. defectus plenioris deliberationis, parvitas materiæ in his quæ ex genere suo sunt peccata gravia, ut in detractione, furto etc., et tunc vocatur circumstantia *in infinitum minuens*. Vel 3° Circumstantia malitiam primariam ex objecto desumptam auget vel minuit intra eamdem speciem, nullam diversam malitiæ speciem nec moralem nec theologicam inferendo. Hujusmodi circumstantiæ dicuntur *aggravantes* et *minuentes*. Porro, sunt *notabiliter* aggravantes, si circumstantia per se sufficeret ad mortale peccatum, v. g. quantitas maxima in furto gravi, diuturna mora in odio. Juxta alios tamen in materiis distinctis a materia quantitativa, circumstantia dicitur notabiliter aggravans, quando excedit modum ordinarium peccandi, v. g. si odium protrahatur per hebdomadas aut menses. Circumstantiæ minuentes sunt *notabiliter* minuentes, si diminutum sufficeret ad grave peccatum, ut si homicidium sit solum indirecte voluntarium ; et *leviter* minuentes, si actui solum demunt levem malitiam. De his circumstantiis in quæst. secunda agetur.

89. Quær. *Quænam circumstantiæ speciem mutantes sint confitendæ ?*

Resp. 1°. Confitendæ sunt circumstantiæ speciem *moralem* mutantes *mortaliter*. De fide certum est, ex Trid. Sess. XIV can. 7 ; et cap. 5 additur ratio « quod sine illis peccata ipsa neque a pœnitentibus integre exponantur nec judicibus innotescant (1), et fieri nequeat, ut de

(1) Sane nova additur species per circumstantiam, quando ratio malitiæ quæ accedit ex circumstumstantia est diversi ordinis seu diversæ speciei malitia objecti. Ita s. Th. l. 2, q. 7, a. 4. « Quandocumque aliqua circumstantia respicit specialem ordinem rationis vel pro vel contra, oportet quod circumstantia det speciem actui morali vel bono vel malo. »

gravitate criminum recte censere possint, et pœnam quam oportet, pro illis pœnitentibus imponere. » Dicitur : *mortaliter* ; nam confitendæ non sunt, si levem dumtaxat malitiam addunt ; ut enim ait Lugo : « quod per se non erat materia necessaria, nec etiam erit talis, licet conjungatur cum peccato mortali. »

2° Confitendæ sunt circumstantiæ speciem *theologicam* mutantes, si sint *in infinitum aggravantes,* seu quando de veniali faciunt mortale. Si vero sint in *infinitum minuentes*, seu de mortali faciunt veniale vel nullum peccatum, tunc confitendæ solum sunt, si pœnitens actum ipsum quem confiteri non tenetur, velit nihilominus confiteri.

Corollarium. Si quis oblitus est confiteri circumstantiam mutantem speciem necessario exprimendam, tenetur postea illam confiteri ; nam specialis malitia ex illa circumstantia resultans solum per accidens remissa fuit, et ideo clavibus subjici debet ut per se remittatur. Circumstantia omissa confitenda est cum repetitione peccati jam confessi, si ejus malitia separatim explicari non potest, v. g. circumstantia incestus, adulterii omissa in fornicatione jam confessa ; secus, sine illa repetitione, v. g. circumstantia violati voti omissa in confessione ebrietatis. Cæterum plerumque non potest propria malitia circumstantiæ in sua specie infima explicari, nisi ut conjuncta alteri peccato (1).

QUÆSTIO SECUNDA. *De circumstantiis mere aggravantibus et minuentibus.*

90. 1° Non sunt confitendæ circumstantiæ leviter solum aggravantes vel minuentes peecatum mortale. Certum est apud omnes.

2° Circumstantiæ peccatum mortale notabiliter minuentes, illud tamen relinquentes in malitia gravi, non

(1) Suarez, *de Sac. pœnit.* disp. 22, s. 2 ; Lugo, disp. 16, s. 3 Berardi, *Praxis Confess.* n· 1041.

sunt necessario confitendæ. Communis est sententia; quia non variant notabiliter judicium confessarii et potius pertinent ad excusationem quam ad accusationem. Cf. Suarez, disp. 22, s. 3.

3° Controvertitur an *confitendæ sunt circumstantiæ peccatum grave in sua specie notabiliter aggravantes.*

Duplex datur sententia. Prima *affirmat* cum Suarez, Sylvio, Cajetano, Billuart etc. (v. s. Alph. l. 6, n. 468) his innixa argumentis: 1) Rationes quas affert Trid. pro necessitate confitendi circumstantias speciem mutantes, urgent quoque pro circumstantiis notabiliter aggravantibus. 2) Catech. Rom. *(de pœnit.* n. 63) sic habet: « Neque vero solum peccata gravia narrando explicare *oportet*, verum *etiam* illa, quæ unum quodque peccatum *circumstant*, et pravitatem *valde augent* vel minuunt. » 3) Peccatum circumstantiis notabiliter aggravatum pluribus mortalibus peccatis æquivalet.

Nota tamen aliquos suam sententiam restringere ad circumstantiam *quid*, quæ afficit objectum peccati, ut v. g. in materia furti, in quo exprimendam dicunt quantitatem quæ notabiliter excedit quantitatem simpliciter requisitam ad furtum grave.

Secunda sententia absolute docet *per se loquendo confitendas non esse circumstantias peccatum mortale in sua specie aggravantes.* Hanc tenet s. Thom. (1) et cum De Lugo, Vasquez, Lessio aliisque multis s. Alph. (n. 468) tanquam probabiliorem amplectitur. Rationes inter alias sunt: 1) Conc. Trid. non alias memorat circumstantias confitendas, præter eas quæ speciem peccati mutant; ergo

---

(1) In 4, d. 16, q. 3, a. 2: « *Quidam dicunt, quod omnes circumstantias, quæ aliquam notabilem quantitatem peccato addunt, confiteri necessitatis sit, si memoriæ occurrant. Alii vero dicunt, quod non sint de necessitate confitendæ, nisi circumstantiæ quæ ad aliud peccati genus trahunt, et hoc probabilius est, sed addendum est quæ ad aliam speciem peccati mortalis trahunt; cujus ratio est quod venialia non sint de necessitate confessionis.* »

implicite negat præceptum ad alias extendi, si quidem accuratam vult tradere doctrinam de omnibus ad sacramentum pœnitentiæ necessariis. 2) Christus solum præcepit confessionem peccatorum; ille autem qui explicat species et numerum peccatorum, vere et proprie confitetur sua peccata. 3) Non datur regula certa ad dignoscendas circumstantias notabiliter aggravantes, ut patet ex dissidiis theologorum; atqui non præsumitur Deum voluisse imponere obligationem multis obnoxiam perplexitatibus.

Dictum est circumstantias notabiliter intra eamdem speciem aggravantes non esse confitendas *per se*; nam certum est apud omnes, illas interdum *per accidens* confitendas esse, ob rationem integritati extrinsecam, v. g. ratione *censuræ* aut *reservationis*, vel ratione *directionis necessariæ*, quia nimirum confessarius ad rite inplendum suum munus judicis ac medici interrogare debet de circumstantia v. g. *consuetudinis* (1), *quantitatis* in furto, valde *notabilis durationis* in peccatis ob quam prudenter credatur illa fuisse numero multiplicata.

Argumentis sententiæ oppositæ non desuut congrua responsa (v. Lugo, disp. 16, s. 3.; s. Alph. l. 6, n. 468).

Ad argumentum deductum ex Cat. Rom. docentis in confessione explicanda esse etiam illa quæ unumquodque peccatum grave circumstant et *pravitatem valde augent* vel *minuunt*, respondetur: *Dist.* quæ *augent* peccatum trahendo illud ad aliam speciem moralem, vel *minuunt* continendo illud in eadem specie et impediendo ne alia inducatur, *conc.*, quæ augent vel minuunt in eadem specie, *subdist.*, explicanda sunt per accidens, *conc.*, per se, *neg.*

Concluso practica. 1° Pœnitens non tenetur confiteri nec confessarius tenetur perquirere circumstantias notabiliter aggravantes in eadem specie, nisi *per accidens* id

---

(1) Ab Innoc. XI damnata est proposito 58: « *Non tenemur confessario interroganti fateri peccati alicujus consuetudinem.* »

necessarium sit. Lex enim illas confitendi vere dubia est et vim obligandi non habet Nec urget hic prohibitio sequendi opinionem probabilem de valore sacramenti, relicta tutiore (1), nam non agitur de valore sacramenti, sed tantummodo de legis obligatione.

2° Regulariter expedit, ob majorem animæ pacem et humilitatis exercitium, exprimere circumstantias notabiliter aggravantes, præterquam in materia luxuriæ ; in hac enim confessarius illa solum per se interrogare debet et potest quæ necessaria sunt ad servandam legem certam integritatis, et ad judicium ferendum de pœnitentis dispositione et curatione ac de peccati reservatione

QUÆSTIO TERTIA. *De circumstantiis in particulari.*

91. Ex dictis de integritate ad confessionem requisita, constat maximi referre ut confessarius noscat quænam circumstantiæ mutent speciem moralem peccatorum mortalium. Hæc quæstio diffunditur per varios tractatus in quibus disputatur de virtutibus et de vitiis oppositis. Heic quasdam circumstantias frequentius occurrentes indicabimus.

Septem recensentur circumstantiæ quæ peccati speciem mutare possunt vel illud intra eamdem speciem aggravare, nimirum circumstantiæ: *quis*, *quid*, *ubi*, *quibus auxiliis*, *cur*, *quomodo*, *quando*.

Ad praxim vero duo notanda sunt. 1) Malitia specialis ex circumstantiis non contrahitur et per consequens confitenda non est, quando illa circumstantia non advertitur a persona peccante vel specialis illius malitia inculpabiliter a peccante ignoratur (v. n. 86). 2) Quando probabile est aliquam circumstantiam non mutare speciem sed solum aggravare intra eamdem speciem, non potest imponi obligatio illam ratione integritatis confitendi.

---

(1) Ab Innoc. XI damnata est proposito : « *Non est illicitum in sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore sacramenti, relicta tutiori.* »

92. Circumstantia *quis* denotat conditionem accidentalem seu qualitatem personæ peccantis, v. g. sacerdotem, matrimonio vel voto ligatum, etc.

1° In peccatis *luxuriæ*, *a)* circumstantia *voti castitatis* addit malitiam specie distinctam infidelitatis contra virtutem religionis. *b)* Circumstantia *professionis religiosæ*, et *ordinis sacri* insuper addit malitiam distinctam sacrilegii. Eadem autem est malitia sacrilegii in utroque casu (1) *c)* Circumstantia *matrimonii* addit malitiam specie distinctam injustitiæ ergo compartem et fornicationem reddit adulterium.

2° In peccatis *scandali*, circumstantia *quis*, in parocho qui suis parochianis, in magistro qui discipulis pro educatione commissis, in parentibus qui prolibus suis grave præbent scandalum, mutat speciem moralem distinctam addendo malitiam violati sui muneris. Circumstantia vero simplicis sacerdotii aut confessarii peccantis cum suo pœnitente est solum aggravans, nisi prævideatur contemptus religionis aut peccatum referatur ad administrationem sacramenti pœnitentiæ.

3° Ad circumstantiam *quis* refertur *consuetudo*, et est solum *aggravans*; quare confitenda non est, nisi eam cognoscere debeat confessarius ad suum judicis et medici munus explendum, vel consuetudo voluntaria retenta sit causa culpabilis peccatorum materialium. In praxi tamen semper consultum est peccati consuetudinem declarare.

93. Circumstantia *quid* respicit conditionem accidentalem materiæ vel personæ circa quam versatur peccatum; v. g. ejus qualitatem, quantitatem. Heic etiam pertiuent effectus subsecuti (v. n. 80).

1° In peccatis *furti*, *a*) qualitas *rei sacræ* est circumstantia mutans speciem et exprimi debet. *b)* Quantitas

(1) S. Alph. l. 3, n. 47, existimat eamdem malitiam sacrilegii adesse in violatione voti simplicis extra professionem religiosam. Sed communior sententia negat et sacrilegium stricte dictum non invenit in violatione voti hujusmodi simplicis (Gury-Ball. t. I. n. 286).

vero rei ablatæ in furto gravi est circumstantia solum aggravans. Quare juxta plures, si pœnitens furtum grave confitetur, quantitas confitenda non est ; exprimi tamen solet et de illa plerumque inquirit confessarius, et, juxta s. Alph. « ut plurimum inquirere debet... ad hoc ut sciat quomodo se gerere debeat circa absolutionem impertiendam et obligationem restitutionis imponendam. » (l. 6, n. 468).

2° In peccatis *luxuriæ*, circumstantia *qualitatis* personæ quacum vel ad quam peccatum committitur, est circumstantia mutans speciem adeoque confitenda ; si persona est vel *a) voto castitatis* ligata, vel *b) Deo sacra* per professionem religiosam aut ordinem sacrum vel *c) consanguinea* aut *affinis*, vel *d) conjugata* ; etenim additur malitia specie distincta infidelitatis contra religionem sub *a*, vel sacrilegii sub *b*, vel incestus contra reverentiam sanguini debitam sub *c*, vel adulterii contra fidem conjugii sub *d*.

Probabile tamen est, juxta s. Alph. incestus inter consanguineos et affines specie non differre, et omnes incestus inter consanguineos et affines esse ejusdem speciei, excepto tamen incestu in primo gradu lineæ rectæ. Quare in cæteris gradibus, sufficit confiteri incestum, nec gradus declarandus est, nisi reservatio adesset vel censura (1) ; quia gradus propinquior probabiliter inducit tantum circumstantiam aggravantem.

Nota. 1° In istis peccatis luxuriæ, si utraque persona peccans sit voto ligata vel sacra vel consanguinea aut affinis vel conjugata, pro utraque duplicatur malitia specialis. 2° Malitia specialis circumstantia *quid*, contrahitur non solum per luxuriam consummatam, sed etiam per actus non consummatos, per tactus v. g. impudicos, vel per desiderium actus venerei. Aspectus tamen turpes et delec-

(1) S. Alph. l. 3, nn. 448-449 ; l. 6, nn. 469-470 ; Gury-Ball. t. 2, n. 486. Sed notandum in nostra diœcesi reservari *incestum cum consanguineis in* 1° *vel* 2° *gradu, et cum affinibus in* 1° *gradu.*

tationes morosæ non contrahunt malitiam circumstantiarum objecti, si non feruntur in objectum tanquam vestitum hisce circumstantiis, v g. in personam quatenus est voto ligata etc. ; secus, illam contrahunt (1).

3° In peccato gravis *odii*, circumstantia *qualitatis* censetur speciem mutans ratione *pietatis læsæ*, si gravi odio habentur parentes, avi, uxor, maritus, nepotes (kleinkinderen), affines in primo gradu lineæ rectæ, vel, saltem si agatur de desiderato malo valde gravi, frater aut soror. Propinquitas autem in aliis gradibus haberi potest ut simpliciter aggravans. Cf. Gury-Ball. t. 2. n. 493.

94. Circumstantia *ubi* significat accidentalem qualitatem loci, quod sit v. g. sacer (2), publicus. — Circumstantia *quibus auxiliis* refertur ad media sive inanimata sive animata ad peccatum adhibita.

1° Ratione *loci sacri*, *a)* gravia peccata luxuriæ consummatæ contrahunt malitiam mortalem sacrilegii *b)* Disputatur an actus externi graviter mali luxuriæ non consummatæ mortalem illam malitiam contrahant ; verior est sententia, ait Lugo, quod actus qui habent pollutionis periculum illam contrahant. *c)* Peccata interna probabilius non contrahunt malitiam mortalem sacrilegii, nisi adsit desiderium peccata luxuriæ externa perpetrandi in loco sacro (3).

2° Ratione loci *publici*, peccatum accipit malitiam scandali, si commissum sit coram personis quæ inde sumunt occasionem aut periculum peccandi.

3° Quod spectat circumstantiam *quibus auxiliis: a)* media seu instrumenta inanimata quibus quis utitur ad peccatum, non mutant ejus speciem, nisi ea specialem habeant deformitatem, ut si rebus sacris vel superstitiosis utatur.

---

(1) Cf. Waffelaert, *De Temperantia*,. nn. 192, 208.

(2) Locus sacer ille dicitur qui publica Ecclesiæ auctoritate cultui divino est dedicatus, ut templa, cæmeteria, sacella publica.

(3) Lugo, *de Pœnit*. d. 16, nn. 464 sqq. ; s. Alph. l. 3. nn. 459-462 ; Gury-Ball. t. 1, n. 286.

b) Si uteris cooperatione hominnm quos inducis ad peccatum, habetur matitia scandali et peccatum tum contra charitatem, tum contra virtutem ad cujus violationem proximus inducitur ; attamen si inductio sit ad actum inducenti et inducto communem, v. g. ad fornicationem, probabile est circumstantiam sollicitationis non esse confitendam, nisi facta fuerit per violentiam ; quia accedente alterius consensu, malitia scandali communis est utrique in unum peccatum cooperanti, quamvis culpa major adsit in sollicitante ; et ideo circumstantia sollicitationis satis exprimitur in confessione fornicationis (v. s. Alph. l. 2, n. 46 ; Gury Ball. t. 1. n. 237).

95. Circumstantia *cur* designat finem accidentalem extrinsecum operantis.

1° Si finis ille pravus diversam specie malitiam habet, ut in furto fornicationis causa, hæc circumstantia speciem mutat et confitenda est. 2° Si pravitas finis ejusdem speciei est ac peccatum quod ut medium habetur, circumstantia non mutat speciem, sed potest addere malitiam solo numero distinctam ; si tamen media ejusdem speciei malitiam continentia, cum pravo fine per se ac ordinarie conjuncta esse soleant et ad illum referantur, ut contingit in impudicis actibus non consummatis qui ad fornicationem ex intentione peccantis referuntur, tunc isti actus una cum fornicatione eamdem numero malitiam habent, et proinde non sunt seorsim confitendi, et sufficit confiteri fornicationem. Confitendi tamen forent una cum fine intento, si fornicatio non subsecuta fuerit, vel inter illos actus et fornicationem intercesserit moralis interruptio. Cf. s. Alph. l. 5, nn. 41, 48.

96. Ad circumstantiam *quomodo* refertur modus accidentalis quo peccatum committitur, v. g. violentia, actus intensio, duratio, plena vel semi plena advertentia, conscientia recta vel culpabiliter erronea, etc.

1° Modus *violentiæ* in furto est circumstantia mutans

speciem, illud transferens ad rapinam; item in fornicatione cui tribuit malitiam stupri vel raptus. 2° Modus *vehementiæ* seu *intensionis* quo actus peccantis fertur in objectum pravum, est circumstantia tantum aggravans intra eamdem speciem. 3° Modus *durationis* peccati est tantum aggravans, adeoque non exprimendus, nisi forte contingat quod ob diuturniorem durationem moraliter numero multiplicentur peccata mortalia. 4° Modus peccandi *ex certa scientia* vel *ex ignorantia culpabili*, est circumstantia solum aggravans et per se non necessario exprimenda, nisi ignorantia a gravi peccato aut a censura excuset, aut exponat periculo peccandi in alia specie, v. g. si ignores statum feminæ quacum peccas; tunc enim exponis te periculo adulterii vel sacrilegii.

97. Circumstantia *quando*, seu temporis v. g. *sacri*, ut diei *dominicæ* vel *festivæ*, peccato mortali non addit gravem malitiam specie distinctam contra reverentiam diebus sacris debitam, et in confessione exprimendam, nisi forte fieret in contemptum diei sacræ, aut ex industria ut profanetur dies sacra, vel nisi quædam specialiter prohibeantur ob reverentiam temporis sacri, v. g. ne quis die Parasceves ludos publicos, comædias aut ludicra spectacula exhibeat (cf. Lugo, *de Pœnit.* disp. 16 nn. 515 520 ; S. Alph l. 3, n. 46 et 273).

Notant etiam plures gravissimam esse irreverentiam, si quis statim post communionem grave peccatum pollutionis committeret (S. Alph. l. 3, n. 463).

QUÆSTIO QUARTA. *De peccatis dubiis.*

98. *Prænotanda.* 1) Dubium versari potest 1° circa *admissionem* peccati gravis; v. g. dubium *a)* an positus fuerit actus qui grave peccatum esset (dubium *facti*); *b*) an actus certo positus, sit grave peccatum (dubium *gratis*); 2° circa *declarationem* peccati in præcedenti confes-

sione; 3° circa *aptitudinem* peccati ut absolutioni subjiciatur, v. g. quia peccatum commissum fuit post dubium baptismum.

2) Dubium in hac quæstione a plerisque DD. intelligitur non solum *strictum*, seu suspensio assensus, sed etiam *latum*, seu assensus opinativus cum formidine seu dubitatione circa oppositum (1). Dubium dicitur *negativum* quando mens suspendit assensum, quia ex neutra parte contradictionis occurrunt rationes ad judicandum, vel nonnisi leves ac futiles; *positivum* vero, quando ex utraque parte occurrunt graves vel fere æque graves rationes, vel etiam juxta S. Alph. quando ab una parte occurrit motivum grave sufficiens ad formandam conscientiam probabilem (S. Alph. l. 1, n. 20). His prænotatis,

99. Quær. *An peccata dubia sunt confitenda?*

Resp. 1° Si, præmissa debita inquisitione, persistat dubium circa *admissionem peccati mortalis*, probabilius non datur obligatio illud confitendi, sive dubium sit *positivum*, si nimirum *occurrit gravis seu probabilis ratio contra admissionem peccati*, sive dubium sit *negativum*. — Ratio est quod Conc. Trid. solum præcipit confessionem peccatorum mortalium quorum *conscientiam* habent pœnitentes; atqui dubia conscientia non est conscientia proprie dicta; nam *scientia*, inquit S. Th. q. 2,

---

(1) Discrimen opinionis a dubio sic tradit S. Th. *de verit.* q. 14, a. 1: « Intellectus noster... quandoque non inclinatur magis ad unum quam ad aliud, vel *propter defectum moventium*, sicut in illis problematibus, de quibus rationes non habemus, vel *propter apparentem æqualitatem eorum quæ movent ad utramque partem*; et ista est *dubitantis* dispositio quæ fluctuat inter duas partes contradictionis. Quandoque vero intellectus inclinatur magis ad unum quam ad alterum; sed tamen illud inclinans non sufficienter movet intellectum ad hoc quod determinet ipsum ad unam partem *totaliter*, unde accipit unam partem, tamen semper dubitat de opposita: et hæc est dispositio *opinantis*, qui accipit unam partem contradictionis cum formidine alterius. »

a. 2, est *certa notitia* alicujus rei. Deinde lex dubia non potest per se obligare. Præterea quod spectat dubium negativum, illud spernendum est, et libertas manet in possessione.

Hinc, cum hæc sententia ad minus probabilis sit, pœnitentes non sunt obligandi ad confitendum peccata hoc modo dubia, maxime tamen hortandi, propter animæ pacem et directionem, si non sint scrupulosi.

Dictum est; *si occurrit gravis seu probabilis ratio contra admissionem peccati;* nam communiter tradunt theologi peccatum confitendum esse si gravis et probabilis ratio adsit pro admissione gravis peccati, nulla vero vel levis tantum ratio in contrarium (1). Sane, practice loquendo, in hujusmodi casu, solida ac prudens probabilitas vix non attinget quampiam certitudinem moralem late dictam. Theoretice tamen loquendo, si detur *mera probabilitas* cum formidine de opposito, peccatum manet dubium, et obligatio illud confitendi dubia est, adeoque inefficax ad obligandum (2).

Resp. 2° In dubio circa *declarationem* peccati: *a)* si dubium sit *negativum*, peccatum confitendum est; dubium enim istud est spernendum et lex divina confitendi manet in possessione *b)* Si dubium sit *positivum*. i. e. si gravis et probabilis ratio suadeat peccatum fuisse declaratum, disputatur: *Prima sententia* valde probabilis, cum Suarez Lugo etc., tenet peccatum non esse confitendum; non constat enim de obligatione cui probabiliter jam satisfactum est. Præterea ab æquitate et sensu humano adhorret et nimis durum esset, quod ad opus iterum obligetur qui solida ratione sibi persuadere potest se jam satisfecisse suæ obligationi. *Secunda sententia* tenet peccatum esse confitendum; quia legi certæ non satisfit per impletionem dubiam. S. Alph. repudiata priori sententia

---

(1) Suarez, de *Pœnit.* disp. 22. s. q.; Lugo de *Pœnit.* disp. 16 s. 2, Lehmkuhl *de sac. pœnit.* n.

(2) A. Verhoeven, *Resp. ad Quæst. Ruræmundenses* a. 1871.

cui prius adhæserat, amplexus est secundam sententiam; excipit tamen si agatur de scrupulosis, vel in dubio de confessione peccati jam a longo tempore patrati, si pœnitens diligens fuit in suis peccatis confitendis; quia favet illi præsumptio ex communiter contingentibus petita (l. 6, n. 477). Sententia s. Alph. consulenda est non tamen imponenda, quia prima sententia est practice tuta.

Resp. 3°. In dubio *aptitudinis*, peccata mortalia post dubium peccatum commissa, sacramentaliter sunt confitenda post baptismum sub conditione iteratum. Constat ex decretis S. O. C. (v. supr. n. 84).

100. Ut sententia de confessione peccatorum dubiorum prudenter applicetur, sequenta notanda sunt.

1° Ut dictum est in Resp. 1°, præmittenda est debita inquisitio, proportionnata nimirum capacitati pœnitentis, ad dubium deponendum sibique efformandam conscientiam practice certam. Cum autem in dubio præsertim de gravitate peccati ex parte materiæ, pueri et indocti id vix facere possint, ideo tenentur vel ante confessionem exquirere consilium viri prudentis qui dubium solvat, vel rem submittere judicio confessarii. Unde monet Scavini se nullo modo probare posse illorum agendi rationem qui aperte in catechesibus atque generatim vellet fideles deobligare a confessione peccatorum dubiorum.

2° Dubium de perfecta advertentia et pleno consensu in peccatum objective mortale, sæpe solvi potest ex præsumptione quæ desumitur ex communiter contingentibus et ex habituali statu conscientiæ. Unde *a*) pœnitentes timoratæ conscientiæ vel qui non solent graviter peccare, recte præsumuntur non plene consensisse nec graviter peccasse, nisi de eo certi sint; nam, ut ait Alvarez, impossibile est peccatum grave intrare in animam quæ vehementer ab illo abhoreat quin ab ipsa clare et cito percipiatur. *b*) Pœnitentes laxæ conscientiæ et qui solent plene consentire, in dubio ordinarie obligandi sunt ad

confitendum sua peccata dubia, quia præsumuntur consensisse, quoties non recordantur vere se restitisse. Contra *c)* scrupulosi potius prohibendi sunt a confessione peccatorum dubiorum, tum quia eorum dubia plerumque sunt inania et vani timores, tum quia hujusmodi confessio ipsis nociva est. Quare scrupulosis in hac materia permittitur solum confiteri peccata quæ *certissime* sciunt, ac imo jurare possunt esse mortalia et nunquam antea in confessione fuisse declarata (s. Alph. l. 6, n. 476-477).

3° Generatim omnibus, præterquam scrupulosis, suadenda est confessio peccatorum mortalium dubie admissorum. Confitenda tunc sunt *ut dubia*, illisque adjiciatur peccatum aliquod certum (v. n. 12-13).

Si peccata ut dubia confessa postea deprehendantur esse *certa* peccata mortalia, disputatur an iterum sint confitenda *ut certa* : affirmat S. Alph. cum sententia antiquitus communi ; negat probabiliter Lugo cum pluribus ; quia peccata illa jam fuerunt directe remissa, et quia juxta sententiam communem peccatum quod dubitative inclusum fuit sub particula *plus minusve*, non amplius debet declarari, si postea deprehendatur fuisse certo commissum (1).

101. SCHOLION. *De fidelitate confessionis.*

Fidelitas confessionis includit *veritatem et sinceritatem*, et excludit *I. mendacium* et *II. hypocrisim* seu *simulationem*.

I. *Mendacium* in confessione contingere potest negando verum vel affirmando falsum ; idque vel 1° circa res non pertinentes ad materiam confessionis, vel 2° circa materiam non necessariam confessionis, vel 3° circa ejus materiam necessariam.

---

(1) Quæstionem hanc in utramque partem disputatam vide apud s. Alph. l. 6, n. 278, Lugo *de pœnit.* disp. 16, n. 77 sqq., Gury-Ball. n. 480.

1° Mendacium circa res non pertinentes ad materiam confessionis, *per se loquendo* est tantum veniale peccatum ; gravius tamen quam esset simile mendacium extra confessionem (quia est aliqualis irreverentia contra sacramentum) ; nec irritat absolutionem, si adsit contritio de peccatis confessis. Dicitur *per se loquendo*, quia *per accidens*, si mendacium sit perniciosum et mortale, grave sacrilegium committitur et absolutio est invalida propter indispositionem pœnitentis.

2° Mendacium in materia *non necessaria ad præsentem confessionem et ad præsens sacramentale judicium*, veniale *per se* tantum est peccatum ; nec absolutio redditur invalida, si de aliis peccatis confessis vera contritio habeatur. — Proinde *per se* veniale tantum peccatum est, si accusetur peccatum veniale non commissum, — si negetur peccatum veniale commissum, aut mortale quod jam directe remissum est vel ob justam causam reticeri potest, — vel etiam, juxta multos, si mortale jam directe remissum declaretur ut nondum confessum. Ratio omnium est, quia judex non decipitur in materia necessaria præsentis judicii sacramentalis et absolutionis. Dicitur tamen *per se*, quia *per accidens* peccari mortaliter potest, si *a)* peccatum non commissum velut unica materia subjiciatur absolutioni ; hæc enim tunc irrita est ; vel *b)* si negentur peccata mortalia jam directe remissa, quando confessarius ut judex et medicus de iis aliquid ut necessarium ad præsentem confessionem, jure interrogat, v. g. an adsit consuetudo vel occasio proxima.

3° Mendacium in materia *necessaria ad præsentem confessionem et præsens judicium sacramentale*, est grave peccatum sacrilegii, quia irrita fit absolutio ; sic enim vel tollitur integritas confessionis requisita, vel pervertitur sacramentale judicium in re gravi pertinente ad substantialem causam. Unde grave peccatum est : *a)* negare vel occultare peccatum mortale necessario declarandum ; — *b)* scienter confiteri certa mortalia tamquam dubia, aut vicissim ; —

c) confiteri peccatum mortale non commissum, aut mortalium numerum augere, nisi forte hoc fiat ex scrupulo, ex animi perturbatione aut simplicitate, ut sæpius accidit ; — *d*) peccatum nondum confessum mentiendo confiteri ut jam antea rite confessum, ut communis fere sententia docet contra nonnullos qui hoc mendacium a gravi excusant et habent ut accidentale (1).

102. II. *Hyprocrisis* seu *simulatio* in confessione tripliciter contingere potest : 1° pluribus utendo confessariis quorum uni peccata venialia accusantur, alteri vero mortalia ; 2° in confessione generali non necessaria reticendo aliqua peccata gravia anteactæ vitæ ; 3° non distinguendo inter peccata confessa et non confessa.

1° Si pœnitens uni confessario venialia confiteatur, alteri vero mortalia, *per se* non peccat, si nunquam reticet peccatum mortale confitendum. Ex circumstantiis interdum dijudicanda erit moralitas istius modi agendi : veniale peccatum erit, si pœnitens agit ex vana gloria ; mortale, si ex intentione permanendi in occasione proxima, vel peccandi liberius ; laudabile erit, si ex timore peccatum grave reticendi apud consuetum confessarium, vel ut occultetur complex.

Generatim commendatur stabilitas apud bonum confessarium, ut medium aptum extirpandi pravos habitus et proficiendi in virtute. Caveat tamen confessarius ne unquam vel in minimo lædat libertatem pœnitentis alium adeundi confessarium, quin potius id interdum suadeat et etiam imponat, ut insinuat S. Alph. *in Praxi Conf.* n. 100, v. g. tempore missionis aut alterius occasionis.

2° Non datur obligatio declarandi in confessione generali omnia mortalia a quibus jam olim valide pœnitens fuit absolutus. Venialiter tamen peccabit, si præmittens se velle omnia sua istius modi peccata confiteri, animum tamen habeat quædam reticendi.

---

(1) Cfr. Lugo, disp. 16, n. 46-55 ; Gury-Ball. n. 488.

3° Distinctio inter peccata mortalia confessa et non confessa, quamquam semper maxime suadenda, non est tamen *per se* necessaria ad integritatem confessionis, juxta communiorem sententiam (1). Cum enim peccatum idem sit, sive quis antea illud confessus sit, sive non, nec illa circumstantia variet peccatum, non est cur debeat *per se* necessario explicari. Hinc dicunt graviter non peccare pœnitentem qui nova peccata cum antiquis commiscet, vel qui confessionem generalem instituens, peccata post ultimam confessionem admissa non distinguit ab aliis, etsi de industria id faciat ad tegendum tempus quo peccata commisit, modo, ut plerique exigunt, non mentiatur circa illam temporis circumstantiam; tunc enim, aiunt, celatur peccatum recens commissum, et falso antiquum accusatur (v. n. præc. sub 3°). Dictum est *per se*, nam *per accidens* confitenda est circumstantia temporis aut peccati nondum confessi, *a*) si species peccati aliter a confessario percipi non possit; *b)* si adsit reservatio aut censura ratione peccati non confessi; *c)* propter adjuncta occasionis proximæ vel consuetudinis, quæ confessarius ut judex et medicus noscere debet. Alii censent in confessione semper distinctionem faciendam esse inter peccata gravia confessa et non confessa; quia secus intervenit gravis deceptio in ordine ad ferendum judicium et ad pœnitentiam injungendam (2).

Absolventes quæstionem de fidelitate seu sinceritate confessionis, generatim notamus pœnitentem teneri ad respondendum confessario, circa consuetudinem, peccata jam confessa aliasque circumstantias jure interroganti, ut rite possit explere suum judicis ac medici munus. Sed pœnitens declinare potest responsum et restrictione uti circa res non pertinentes aut non necessarias ad præsentem confessionem; quia sine jure tunc interrogat confessarius (3).

---

(1) Lugo. l. c.; s. Alph. l. 6, n 426; H. A. XVI, 4; Gury-Ball. l. c.; Lehmkuhl. n. 313-315.

(2) Billuart, *de Pœnit. Sac.* diss. VII, d. 2. Sasserath, *de Pœnit.* n. 79.

(3) Cf. Suarez, *de Pœnit.* d. 32, s. 3, n. 5.

§ II.

De causis excusantibus ab integritate materiali, seu de integritate formali.

103. *Præceptum integritatis materialis ob justam causam cessat* seu *suspenditur*, et *sufficit integritas formalis cum onere tamen et obligatione peccata omissa confitendi in sequenti confessione, si causa excusans cessaverit.* — Contat ex praxi Ecclesiæ et ex unanimi DD. doctrina, et suffragatur ratio theologica : Dei enim bonitati et sapientiæ repugnat ad valorem sacramenti adeo necessarii ad salutem, sine exceptione exigere integritatem *materialem* quæ sæpissime non solum moraliter sed etiam physice est impossibilis. Tunc igitur sufficit integritas *formalis* seu *moralis*, i. e. confessio peccatorum quæ et quatenus pœnitens confiteri potest. Varia est latitudo integritatis formalis pro diversitate et gravitate causæ excusantis; hæc enim interdum excusat a confessione distincta cujuslibet peccati, ita ut sufficiat generica confessio peccatorum externo aliquo modo significata, interdum solum ab uno alterove peccato confitendo excusat. Dicitur *cum onere tamen et obligatione peccata omissa confitendi in sequenti confessione, si causa cessaverit* ; tunc enim reviviscit præceptum divinum confitendi omnia mortalia peccata *nondum directe remissa* (v. n. 9-10), quod impleri debet in *sequenti*, i. e. in prima confessione quæ subsequitur sive ex devotione sive ex obligatione præcepti divini vel ecclesiastici, nisi forte tunc etiam causa excusans adsit. Constat ex prop. ab Alex. VII damnata (1). Nec sufficit confiteri peccata omissa, sed ea per absolutionem directe remittenda sunt ; ex divina enim institutione om-

(1) « *Peccata in confessione omissa seu oblita ob instans periculum vitæ aut ob aliam causam, non tenemur in sequenti confessione exprimere.* » Prop. XI. damnata.

nia peccata gravia clavibus sunt subjicienda et judicialiter remittenda.

Ex dictis infertur peccata inculpabiliter omissa non esse confitenda statim vel quam primum fieri potest, præterquam si urgeat periculum mortis. Si tamen pœnitens non scrupulosus illico post absolutionem confiteatur peccatum mortale oblitum, præstat eum statim absolvere, ne pœnitens cogatur eumdem adire confessarium, vel bis declarare suum peccatum, tum etiam ad majorem animi pacem (v. n. 73).

104. Justæ causæ ab integritate materiali certo excusantes communiter recensentur tres : I *Inculpata oblivio*, II *Impotentia physica*, III *Impotentia moralis*. Disputatur an IV. *defectus jurisdictionis in peccata recervata*, et V *infamia alterius apud confessarium incurrenda* excusent ab integritate materiali. De his sigillatim dicendum

I *Oblivio inculpata*, sub qua comprehenditur *oblivio leviter culpabilis*. Ex hæc causa excusantur ii qui post sufficiens conscientiæ examen, non recordantur alicujus peccati mortalis, vel illud inadvertenter omittunt in confessione. Illis æquiparandi sunt qui bona fide sibi persuadent peccatum aliquod non esse mortale vel non esse confitendum.

105. II. *Impotentia physica* integre confitendi excusat ab integritate materiali ; præceptum enim divinum non obligat ad impossibile. Hæc impotentia multipliciter et vario gradu existere potest 1° *ob periculum mortis*, 2° *ob defectum loquelæ*.

1° In *periculo mortis*, si mors aut deliquium mentis immineat, sufficit verbo aut signo unum alterumve peccatum grave in specie declarare, vel etiam, si id fieri nequeat, in genere peccatum confiteri; quæ generica confessio contineri potest in sensibili petitione confessionis immediate aut mediate confessario patefacta. Si infirmi supervixerint, tenentur reliqua peccata ante mortem, si

possint, confiteri. *b*) Illi qui cum pluribus in communi mortis periculo existunt, v. g. in incendio, naufragio, aut instanti prælio, vel etiam in nosocomiis tempore pestis, si singuli sigillatim aliquod grave peccatum præ temporis angustia confiteri nequeant, satisfaciunt confitendo veniale aliquod peccatum, vel simul sive verbis sive facto significando se in genere peccasse, v. g. tunsione pectoris, manuum elevatione, vel genuflexione, et tunc imposita, quatenus fieri potest, aliqua pia invocatione, omnes simul absolvi possunt sub unica forma : *Ego vos absolvo ab omnibus censuris et peccatis, in nomine*, etc.

2° Ob *defectum loquelæ*, a) *muti* et ob morbum aliamve causam lingua impediti, satisfaciunt declarando sua peccata quæ et quatenus possunt. *Muti*, si non possint commode adire confessarium eorum signa edoctum cui integre confiteantur, vel si non possint in catalogo impresso peccata sua mortalia indicare, satisfaciunt peccata sua nutibus et signis confitendo quatenus id moraliter facere possunt; nec oportet hic multum aut diu cruciari pœnitentem et confessarium. — Muti cæterique quamcumque ob causam lingua impediti, permittuntur quidem sua peccata confiteri scripto, statim post confessionem destruendo, ad id tamen non obligantur, tum ob periculum revelationis, tum quia confessio per scripturam est medium extraordinarum quod nunquam in Ecclesia habitum est ut præscriptum. Ita probabiliter docent plures (Gury. n. 503) contra alios qui obligationem defendunt, si desit periculum revelationis et grave incommodum (S. Alph. n. 479).

b) *Surdi* qui confessario oretenus aut per signa interroganti respondere nequeunt, excusantur ab integritate materiali per responsiones procuranda. Quare confessarius eos non tenetur interrogare, si nimium dificilis sit interrogatio, vel cum periculo revelationis conjuncta. *Surdastri* autem vel adhibito cornu acoustico confiteantur. vel in locum remotum adducantur, ut integre confiteri possint, omni tamen pro feminis cautela adhibita quan-

tum ad tempus et locum, ne ansa detur suspicionibus et oblocutionibus. Si pœnitens sine periculo violationis sigilli interrogari, vel in locum remotum adduci non possit, quia surditas tantum in progressu confessionis innotuit, confessarius nihil ulterius inquirere potest, et levi imposita pœnitentia, pœnitentem absolvat, absolute si eum prudenter judicet esse dispositum, conditionate vero si probabiliter dubitet. Cf. S. Alph. *Praxis Conf.* n. 102. Gury-Ball. n. 503.

2° *c*) Qui utuntur *idiomate ignoto a confessario*, possunt, si velint, uti interprete ad confitendum, qui admoneatur de obligatione servandi secretum; ad hoc tamen minime tenentur, sed confiteri possunt per signa, omni meliori modo quo poterunt, et si exprimere nequeunt aliquod peccatum in specie, sufficit ut significent peccatum in genere (1).

Ad hujus modi confessionem, requiritur *a*) ut commode adire nequeant confessarium idiomatis sui peritum, et *b*) ut gravis adsit causa, v. g. si præceptum confessionis vel communioms urget, si communio sine infamia aut scandalo omitti non potest, vel si alias pœnitens in mortali per unum alterumve diem manere deberet (S. Alph. l. 6, n. 487; H. A. XVI, 39).

106. Excusat III. *Impotentia moralis*, quando nimirum merito timetur *grave damnum proprium vel alienum sive confessarii sive alterius, corporale vel spirituale* Ut impotentia moralis excuset, sequentes requiruntur conditiones: *a)* ut damnum sit confessioni *extrinsecum*, seu non immediate et per se ex ipsamet confessione proveniat; nunquam enim excusat difficultas ipsi confessioni *intrinseca*, v. g. magna repugnantia aut verecundia, amissio famæ apud confessarium.

---

(1) S. C. de Prop. F. 1633; S. C. S O 28 feb. 1633, et 10 feb. 1668.

b) Ut commode adiri nequeat alius confessarius cui integra fiat confessio sine periculo illius damni ; *c)* ut adsit justa causa hic et nunc confitendi (v. n. præc) ; *d)* ut ea dumtaxat reticeantur peccata vel circumstantiæ ex quarum confessione timetur damnum. Unde de illo peccato quod quis tacet, debet dicere quantum sine periculo damni potest. Proinde, si potest sine periculo, debet confiteri peccatum grave in genere vel in sua specie subalterna, reticendo speciem infimam vel circumstantiam ; — debet confiteri actum internum, si periculum tantum immineat ex declaratione actus externi. — Quod si pœnitens unum dumtaxat habet mortale peccatum quod ex integro tacere potest, tunc urgente necessitate confessionis, non tenetur *per se* ad confitenda venialia. Dixi *per se* ; quia per *accidens* tenetur confiteri venialia aut peccatum præteritæ vitæ, *a)* si sit in periculo mortis, ad securius consulendum suæ saluti si forte non habeat perfectam contritionem ; *b)* si recipere debeat Eucharistiam vel aliud sacramentum vivorum et advertat se non esse perfecte contritum (Lugo disp. 16, n. 530).

107. Propter *impotentiam moralem* plures excusantur :

1° Ratione *damni temporalis* excusantur *infirmi* qui sine magna fatigatione aut alio gravi incommodo integre confiteri nequeunt, ut sæpe contingit puerperis dum instat partus laboriosus. Item, *b)* quod tamen vix practicum est, excusatur pœnitens qui merito timet damnum temporale ob confessarii imprudentiam. *c)* Confessarius qui probabile mortis vel contagiosi morbi periculum timet, ab integritate materiali procuranda excusatur ; quod tamen extendi non debet ad ordinarias et remotas periculi possibilitates. Cfr. s. Alph. n. 488 ; Ben. XIV *de Syn.* l. XIII c. 19.

2° Ob periculum *infamiæ* apud adstantes incurrendæ, *a)* ægroti jam confessi et nunc viaticum suscepturi, vel pueri jam parati ad primam communionem etc, si confessario declarent se huc usque sacrilege confessos fuisse,

possunt absolvi post sacrilegiorum et paucorum peccatorum declarationem, ne longiore confessione in his aut aliis extraordinariis adjunctis peracta, gravi infamiæ nota afficiantur. Minime tamen hujus modi excusatio extendenda est ab casus ordinarios prolixioris confessionis (1). — *b)* Vulnerati et puerperæ qui deseri nequeunt ab assistentibus, absolvi possunt confessi peccatum aliquod veniale in specie et peccata sua in genere. — *c)* Confessarius prudenter timens ne pravæ suspiciones vel oblocutiones exoriantur, si mulier surda, maxime si sit junior, longius protrahat confessionem in sacristia, excusatur ab accuratiore integritate procuranda.

3) Ob periculum *damni spiritualis,* excusantur pœnitens et confessarius si timeant ne in peccatum labantur ex accuratiore conscientiæ examine, et peccatorum turpium confessione ac inquisitione. — Pænitens qui ex vehementibus indiciis singularem hac in re confessarii fragilitatem noverit, hunc confessarium declinare debet ; si tamen in peculiari necessitate ejus ope indigeret, ea peccata omittere potest quorum confessio periculosa esset (2). — *b)* Excusatur pœnitens scrupulosus cui diligens conscientiæ discussio et integra peccatorum accusatio, causa existeret anxietatum et confessionem redderet nimis laboriosam. — *c)* Excusatur confessarius qui integre confiteri non potest sine periculo violandi sigillum sacramentale ; item pœnitens ex gravi causa timens ne confessarius indirecte lædat sigillum, v. g. si confessarius adeo elata voce loquitur ut a circumstantibus audiri possit.

Notandum in fine *magnum concursum pœnitentium*

---

(1) Gousset, *Theol. mor.* t. 2. n. 432 ; Gury *Casc, Consc.* n. 437.

(2) Cf. Lehmkuhl, *de Pœnit.* n. 331, ubi de confessario sibi timente ne peccet in excipiendis confessionibus, scribit : « Ceterum nisi talis timor ex inopinato casu singulari juste concipiatur, confessarius, qui se adeo debilem deprehendit ut in exercendo sacro munere sibi periculum creet, potius ab audiendis confessionibus abstinere debet. »

non excusare a procuranda integritate, quamvis alioquin multi recedere debeant non confessi. Constat ex prop. 50 damnata ab Innoc. XI : « *Licet sacramentaliter absolvere dimidiate tantum confessos, ratione magni concursus pœnitentium qualis v. g. contingere potest in die magnæ alicujus festivitatis vel indulgentiæ.* »

107. IV. *De defectu jurisdictionis circa peccata reservata.*

Quær. *An in casu urgentiori in quo communio aut celebratio missæ omitti nequit sine periculo gravis scandali vel infamiæ nec superior adiri potest, pœnitens simplici confessario confitens teneatur confiteri peccata reservata?*

Resp. 1°. Si agatur de peccatis cum censura R. Pontifici etiam specialiter reservata, peccatum reservatum confitendum est ; quia simplex confessarius tunc habet facultatem absolvendi *directe* a censuris etiam speciali modo reservatis S. Pontifici, sub pœna tamen reincidentiæ, nisi saltem infra mensem per epistolam recurratur ad S. Sedem (S. Inq. C. 23 Junii 1886).

2° Si agatur de casu reservato Episcopali, duplex est sententia. *Prima* affirmat confitendum esse peccatum reservatum, quia supponit simplicem confessarium tunc *directe* absolvere a reservatis. *Secunda* sententia negat, quia confessarius non habet potestatem circa illa peccata, et proinde non debet de iis judicare nec illa cognoscere. Quare juxta hanc sententiam, quam ut probabiliorem habent s. Alph. l. 6, n. 265 et Gury n. 577-578, *a)* pœnitens habens mortalia reservata simul et non reservata, hæc ultima sola confiteri debet, nisi *per accidens* confessarius noscere debeat reservata ad prudenter judicandum de actuali dispositione pœnitentis, etc. — Si vero *b)* nullum mortale habet præter reservatum, probabilius non tenetur confiteri, nisi advertat se non habere contritionem perfectam; tunc enim teneretur ad confitendum saltem veniale peccatum aut mortale jam remissum. — Pœnitens *indirecte*

tantum absolutus a reservatis, admonendus est de obligatione illa in sequenti confessione accusandi apud confessarium munitum debita facultate absolvendi a reservatis.

108. V *De infamia alterius apud confessarium.*

Infamia pœnitentis apud confessarium non excusat ab integritate materiali, sed controvertitur an excuset infamia *alterius* qui peccati pœnitentis fuit vel *complex*, ut si pœnitens incestum commisit cum matre; vel *objectum*, v. g. si pœnitens matrem viduam ex delicto gravidam occidit: in casu mater graviter infamabitur, si pœnitens integre suum peccatum confitetur confessario qui illam novit. Igitur quær. *An pœnitens possit ac debeat confiteri peccatum cum circumstantiis necessario explicandis, si peccatum istud integre declarari non possit sine manifestatione et infamia alterius apud solum confessarium ?*

Difficultas inde enascitur quod concurrat lex integritatis materialis cum lege non lædendi famam proximi; unde dubitari potest *an in casu prævaleat lex integritatis materialis, an vero lex servandi famam alterius.* Quæstio respicit peccatum mortale nondum directe remissum, nam certum est peccatum veniale aut mortale jam directe remissum, non posse declarari cum gravi infamia alterius, nisi detur justa causa distincta ab integritate; hæc enim in casu non obligat.

Hisce prænotatis, ad quæstionem

Resp. Duplex est sententia. *Prima sententia* docet 1) infamiam complicis apud solum confessarium non excusare ab integritate materiali, ideoque pœnitentem posse ac debere peccatum suum integre confiteri, etsi inde proveniat infamia *complicis,* — addit tamen pœnitentem *per se* teneri ad confitendum alteri confessario cui complex maneat ignotus, *si commode id facere potest.* Hæc sententia communior est et probabilior juxta S. Alph. (1).

(1) LVI, n. 489, etc. Pro hac sententia citantur s. Th., s. Bonav., s. Anton., Medina Suarez, Lugo, Laym., Vasquez, etc. Sic scribit

Rationes sunt: 1) Integritas materialis jure divino requisita quæque etiam cum infamia pœnitentis apud confessarium obligat, justa est causa ob quam permittatur infamia alterius. 2) In sententia opposita pœnitens sæpe gravaretur onerosa obligatione bis confitendi suum peccatum. 3) Antiquitus confessio per se fieri debebat proprio parocho qui parochianos suos notos habebat; supponendum autem non est Ecclesiam legem tulisse quæ confessionem multis obnoxiam reddidisset incommodis et cum frequenti cessatione integritatis materialis conjunctam; atque talis fuisset hæc lex in sententia opposita. 4) Communis opinio populi non judicat infamiam magni æstimandam quæ infertur sub inviolabili sigillo sacramentali.

Additur tamen pœnitentem *per se* teneri ad confitendum alteri confessario cui complex maneat ignotus, *si commode id facere potest;* quia urget tunc præceptum servandi famam proximi. Dicitur *per se* teneri; quia per *accidens* non tenetur, si alter consentiat saltem implicite in revelationem istam confessario cui notus est; quod supponitur dum complex eidem confessario confitetur, vel dum in familia solent frequentare eumdem confessarium. Dicitur *si commode id facere potest*; a quærendo enim alio confessario excusat incommodum temporale aut spirituale: unde, juxta plurimorum sententiam, excusant difficultas illum adeundi, præceptum urgens confessionis instituendæ, periculum infamiæ vel remanendi in peccato mortali etiam per unam diem, difficultas aperiendi alteri confessario propriam conscientiam, privatio melioris directionis aut consolationis notabiliter majoris,

---

s. Th. Op. 12 ad Lectorem Biruntinum: « Prodere crimen alterius et lædere famam, est peccatum quod maxime vitandum est in confessione. Si vero speciem peccati exprimere non possit nisi exprimendo personam cum qua peccavit, puta si cum sorore concubuit, *necesse est ut exprimendo peccati speciem exprimat personam;* sed si fieri potest, debet quærere talem confessarium qui personam sororis penitus non cognoscat. » Similia habet in VI, d. 16, q. 3.

etc. Hæc ipsa obligatio, aiunt, alium confessarium quærendi, excepto forte casu quo agatur de crimine relative valde enormi et extraordinario, non videtur gravis, et proinde cessat ob causam quamdam rationabilem, quæ vix deesse potest. Hanc doctrinam confirmant sententia quam satis probabilem censent, quod veniale non excedit, si crimen reveletur uni viro prudenti ac discreto, modo id non fiat ex odio, aut non sit crimen relate ad infamatum valde enorme et omnino extraordinarium.

Prima hæc sententia etiam docet 2) infamiam quoque alterius non complicis sed qui fuit *objectum* peccati, probabilius non excusare ab integritate materiali confessionis. Verum in eo casu plures observant strictius urgere obligationem quærendi confessarium cui ignotus sit alter iste tertius. Imo, aliqui ex iis qui dicunt infamiam complicis non excusare, secus sentiunt de infamia illius qui tantum fuit peccati objectum; quia is non cessit juri suo ad famam apud confessarium pœnitentis, et ejus infamia provenit tota ex injusta pœnitentis actione. (Suarez, disp. 34).

109. Altera sententia quam plures etiam tenent (1) et probabilem dicit Gury-Ball. n. 499, docet quod, *seclusa gravi ratione præter integritatem confessionis*, pœnitens potest ac etiam debet reticere peccatum aut circumstantias ex quibus proximus graviter infamatur apud confessarium, donec modus suppetat illa confitendi sine alterius infamia. Quidam autem hanc sententiam restringunt ad crimina singulariter enormia, v. g. ad incestum cum matre, adulterium cum fratre mariti sacris initiati (Ball. l. c.), et omnes monent alium quærendum esse confessarium cui alter maneat ignotus, ut servari possit lex integritatis, si sine incommodo quæri potest.

Hæc sententia ea nititur ratione, quod præceptum

(1) Canus, P. Soto, Ledesma, Navarrus, Valentia, Diana etc.; et probabile id tradunt præter alios, Busembaum, Mazotta.

divinum naturale servandi famam alterius prævaleat præcepto positivo integritatis materialis, et quod argumenta in contrarium allata inefficacia sint et plerumque contineant petitionem principii.

Dictum est : *seclusa gravi ratione præter integritatem*, nam si pœnitens ad consulendum suæ conscientiæ indigeat directione et consiliis quæ tantum invenire potest apud confessarium cui notus est alter, licitum tunc est integre confiteri.

Conclusio practica. 1) Confessarius interrogare *potest* circa omnia quæ *stricte* requiruntur ad integritatem confessionis, ad sacramentum rite administrandum et animæ pœnitentis consulendum, quamvis inde per accidens veniat in notitiam alterius qui complex aut objectum fuit peccati pœnitentis. Sed cavere debet ab omni inquisitione non stricte necessaria, et pœnitentem ultra id quam necesse sit progredientem retinere debet. — 2) Pœnitentem qui innixus alteri sententiæ reticere vellet circumstantias vel peccata alterum confessario notum graviter infamantia, confessarius ratione integritatis aut reservationis cogere non potest ad illorum confessionem, nec pœnitentem stricte tenetur desuper interrogare, sed moneat illum ut in sequenti confessione declaret peccata quæ nunc sine culpa prætermitti possunt.

110. SCHOLION. *De exquisitione nominis complicis.* Generatim *non licet confessario exquirere nomen complicis, etsi ad illius correctionem vel ad alterum bonum finem.*

Constat ex constitutionibus Ben. XIV, in quibus 1) praxis passim exquirendi nomen complicis vel adjuncta individuam personam manifestantia, ut v. g, locum habitationis etc. quamvis correctionis alteriusve boni colligendi causa, damnatur ut scandalosa et perniciosa, ac tum famæ proximi quam ipsi etiam sacramento injuriosa, tendens ad sigilli violationem et fideles abalienans ab eodem sacramento

(Const. *Suprema*). — 2) Confessarii pœnitentes ad hanc manifestationem obligantes sub denegatione sacramentalis absolutionis, plectuntur suspensione ferendæ sententiæ ab audiendis confessionibus. — 3) Docentes vel defendentes licitam esse praxim nomen complicis a pœnitentibus passim exquirendi sub pœna denegandæ absolutionis, excommunicantur (Const. *Ubi primum*), — quam excommunicationem latæ sententiæ servavit Const. *Apostolicæ Sedis* Pii IX inter excommunicationes R. P. reservatas (1). — 3) Infra mensem S. Officio denuntiandi sunt tum docentes et defendentes licitam esse hanc praxim sub pæna excommunicationis damnatam, tum confessarii illam praxim sequentes saltem si eorum agendi ratio talis est, ut suspecti reddantur de adhæsione pravæ istæ doctrinæ. (Const. *Ubi primum)*. Notandum est Ben. XIV in Const. *Ad eradicandum,* ad universam Ecclesiam extendisse duas priores constitutiones ad Lusitaniæ Episcopos directas.

Dictum est quod *generatim* non licet etc.; nam per accidens at in *raro* casu illud fieri posse, liquet ex ipso Bened. XIV qui Constitutiones suas interpretatus ait « *raro* evenire posse, ut liceat confessario complicis nomen a pœnitentibus sciscitari etc. » et in ipsa Constit. *Suprema*, de confessariis damnatam praxim sequentibus, ait illos « opiniones falsas et erroneas sequendo, vel *veras et sanas male applicando*, perniciem tam suis quam pœnitentium animabus consciscere. »

Unde 1° si ex occultatione complicis gravissima damna immineant reipublicæ aut ipsi pœnitenti vel alteri, quæ pœnitens impedire tenetur nec tamen per seipsum immediate potest, debet tunc complicem manifestare illi qui potest et debet damnum avertere. In *raro* autem casu

---

(1) Titulo II. Art. I. Excommunicationi latæ sententiæ R. P. reservatæ (simpliciter) subjiciuntur : « *docentes vel defendentes tamquam licitam praxim inquirendi nomen complicis, prositi damnata est* a Ben. XIV in Const. Suprema 7 Julii 1746 : Ubi primum 2 Julii 1746; Ad eradicandum 28 Sept. 1746. »

quo solus confessarius id posset, huic revelandus est complex cum licentia utendi illa notitia ; verum expedit ut confessarius revelationem accipiat extra confessionem et non clausam sigillo sacramentali (2).

2° Communis est sententia confessarium posse exquirere circumstantias necessario cognoscendas ut consulat saluti pœnitentis; v. g. an pœnitens sit in occasione proxima voluntaria aut necessaria etc., quamvis ex his veniat in notitiam complicis ; et communior sententia id extendit ad ea quæ necessaria sunt ad integritatem confessionis (S. Alph. n. l. 6, 491).

§ III.

De mediis procurandi integritatem confessionis.

Medium per se necessarium est *conscientiæ discussio seu examen ;* medium per accidens necessarium est interrogatio confessarii, et interdum *iteratio* seu *repetitio, confessionum* vel etiam *confessio generalis,* v. g. post confessiones invalide peractas. De interrogatione confessarii dicetur in quæstione de ministro sacramenti, heic dicendum I de examine conscientiæ, II de confessionum iteratione.

I.

De examine conscientiæ.

Circa necessitatem et qualitatem examinis conscientiæ sequentes tres statuuntur conclusiones.

111. I. *Per se loquendo* confessioni præmittendum est diligens examen conscientiæ circa peccata mortalia. — Constat ex Conc. Trid. ante confessionem requirente « *diligentem*

(1) Lugo, disp. n. 432 ; S. Alph. l. 6, n. 491.

(2) Gury-Ball. l. c., Haine *Elementa Th. Mor.* de Sac. pœnit. q. 52.

sui discussionem » et colligitur ex ipsa necessitate integritatis materialis, quantum fieri potest, procurandæ.

Dicitur *per se loquendo*, nam obligatio examinis interdum per accidens cessat aut attenuatur. Hinc

1) Ad examen stricte non tenentur qui optime recordantur peccati mortalis commissi quod indilate confitentur.

2) Pœnitentes timorati qui certi se non peccasse mortaliter, solum venialia habent, stricte non tenentur ad aliud quam ut sufficientem materiam confiteantur de qua vere doleant; maxime tamen inducendi sunt ut per quinque saltem minuta aut per semi quadrantem conscientiam examinent ad melius cognoscendum suos defectus veniales, et ut insistant contritioni et determinatis propositis.

3) Obligatio diligentis examinis attenuatur et interdum cessat ratione impotentiæ physicæ aut moralis hic et nunc excusantis ab integritate materiali (v. n. 10), et etiam

4) attenuatur quando pœnitens prævidet defectum examinis suppletum iri a confessario.

112. II. Requiritur diligentia *seria* quidem, non tamen *summa*, sed sufficit ut *relate ad pœnitentem et circumstantias sit humana, ordinaria, mediocris*, seu tanta quanta adhiberi solet in rebus seriis et magni momenti, quæ tamen confessionem non reddat nimis gravem et onerosam. — Ut enim ait Lugo, « non est attendendum solum ad examen et integram confessionem peccatorum, sed etiam est *maxime* attendendum ad conditionem humanam, et ne ex eo capite sacramentum ipsum reddatur grave et onerosum. »

Infertur: 1) Pœnitens non tenetur peccata scribere et scripta legere etiam si timeat ne a memoria excidant. Hujusmodi enim medium est extraordinarium, onerosum et periculo revelationis obnoxium. Quod periculum si absit, potest utiliter pœnitens sua peccata scribere, modo non sit scrupulosus (s. Alph. l. 6, n. 471).

2) Cum requisita ordinaria diligentia intelligenda sit

relative ad varias circumstantias, sequitur eam non esse æqualem in omnibus pœnitentibus. Sed diversa est pro diversa capacitate et instructione et valetudine pœnitentis, pro spatio temporis elapsi ab ultima confessione, pro diverso statu conscientiæ et pro diversa peccatorum et occasionum frequentia, etc. Unde major per se diligentia requiritur ; a) in iis qui raro, quam qui frequenter confitentur ; — b) in iis qui multis negotiis cum peccati occasione conjunctis implicati sunt, quam in iis qui vitam magis domesticam et quietam agunt ; — c) in pœnitentibus instructis, quam in pueris, rudibus et indoctis, qui sese ipsos non possunt accurate examinare, ideoque a confessariis, habita tamen ratione eorum incapacitatis, interrogandi sunt. — Item d) major requiritur diligentia in homine sano quam in infirmo, is enim interdum proprii examinis vix est capax ; — e) major quoque requiritur in magnis peccatoribus quam in aliis ; levius tamen et minus exacte interrogandus est circa singula qui plura peccata habet quam qui pauciora. Cf. De Lugo, d. 16, n. 574.

3) Pœnitens, adhibita morali et ordinaria diligentia, ulterius ante confessionem inquirere non tenetur, licet existimet se alia adhuc peccata reperturum esse ; nec etiam postea tenetur ulterius inquirere, nisi ante confessionem ratione impotentiæ physicæ aut moralis transitoriæ excusatus fuerit ab accuratiore examine. Sic infirmus vix levis examinis capax pro præsenti confessione, postea cessante impedimento defectum supplere tenetur.

4) Timoratis frequenter confitentibus sufficit modicissimum examen, si enim peccent mortaliter, peccatum semper præa oculis habent ; si autem insuper sint scrupulosi, interdum interdici debet examen conscientiæ.

5) Pœnitentes qui ad confessionem accedunt sine præmisso sufficienti examine, si sint *instructi*, benigne sunt remittendi ut accuratius conscientiam examinent et revertantur, saltem si de longioribus et implicatis con-

fessionibus agatur, nisi tamen spiritualis aliqua necessitas suadeat ut statim audiantur aptis interrogationibus adjuti. Cf. Catech. Rom. de Pœnit. n. 60. — *Rudes* vero pœnitentes et in rebus spiritualibus inculti, non sunt facile remittendi ut melius sese examinent ; frustra enim plerumque id fieret, sed defectum examinis fere semper supplere debet confessarius, quamvis etiam generalis confessio facienda esset (1).

6) Modus congruus diligentis examinis conscientiæ pro his qui a multo tempore non sunt confessi, est ut secundum ordinem decalogi, præceptorum Ecclesiæ et peculiarium status obligationum perpendant sua peccata. Si pœnitens vitam uniformam egit, utiliter considerabit quid egerit *a)* per unum diem ferialem, *b)* per unum festivum, *c)* per tempora extraordinaria v. g. itinerum, negotiorum, nuptiarum, occasionum etc., (Sporer de Pœnit. n. 365).

Pro his qui frequenter confitentur, sufficit attendere ad pravos habitus, ad peccata magis consueta, vel summatim ad peccata contra Deum, proximum et seipsum.

113. III. Qui ex gravi negligentia in examine conscientiæ, omittit peccatum mortale in confessione, mortaliter peccat et repetere debet confessionem, utpote sacrilegam et invalidam, si adverterit se graviter peccare per hanc negligentiam. Raro ob solum defectum examinis in iis qui nolunt ex proposito reticere peccata, invalidæ sunt confessiones, vel quia non advertunt ad defectum

---

(1) In hanc rem ita scribit s. Alph. Apost. XVI, 103 « *Perperam agunt, qui rudes dimittunt, ut melius sese examinent.* Hoc P. Segneri vocat errorem intolerabilem, et jure optimo, quia hujusmodi homines, quantum laborent difficulter se examinabunt, ut par est, et ita exacte, sicut potest confessarius eos examinare : et contra cum dimissi fuerint, periculum erit ne exterriti difficultate se examinandi, a confitendo retrahantur et in peccatis obdurescant. »

debitæ diligentiæ et ad illius gravitatem vel quia defectus suppletur per confessarii interrogationes.

Proinde non est imponenda obligatio repetendi confessiones ob negligentiam in examine nisi negligentia fuerit *valde supina* et quasi affectata, et omissio peccatorum quasi directe voluntaria.

II.

De confessionum iteratione.

Quæstio prima erit in genere de confessionis iteratione, secunda de confessione generali.

QUÆSTIO PRIMA. *De confessionis iteratione.*

114. Inquiritur *an* et *quo modo* confessio iteranda est. Hæc quæstio sequentibus regulis solvitur.

Reg. I. Confessio *valida* quæ formaliter integra fuit sed non materialiter, iteranda non est, sed *integranda* confessione peccatorum mortalium quæ omissa fuerunt.

Reg. II. Confessio mortalium propter defectum essentialem *invalida*, iterari debet, addendo peccata mortalia quæ omissa fuerint et insuper sacrilegium, si pœnitens ad defectum advertit et mala fide egit. Ratio est quod omnia mortalia sunt subjicienda absolutioni ut per eam remittantur.

Confessio autem invalida esse potest: 1° *ex parte confessarii;* si sine jurisdictione, sine intentione, sine debita forma absolvit, si nullum prorsus peccatum percepit, etc.; 2° ex *parte pœnitentis*, si ignorabat necessaria creditu necessitate medii, si confessus est sine formali integritate ac sinceritate in re gravi, sine contritione et sine proposito vitandi deinceps peccata mortalia, occasiones proximas voluntarias, etc. sine intentione implendi pœnitentiam sub gravi obligantem, etc.

Reg. III. Iteratio confessionis stricte imponenda non

est nisi *moraliter certo* constet confessionem fuisse invalidam; in dubio tamen *per se* consulenda est. (S. Alph. n. 506). — In dubio enim standum pro valore actus, et quod factum est, censetur recte factum, donec constet de contrario.

Hinc recidivi in peccata mortalia non sunt *per se* cogendi ad repetendas confessiones præcedentes, quia reincidentia non certo arguit invalidatem præcedentium confessionum. Reincidentia tamen quæ frequenter, cito et sine resistentia subsequitur confessiones, illas non raro dubias reddit, et interdum cum aliis adjunctis connexa moraliter certo probat illas invalidas fuisse (1).

Reg. IV. Confessio mortalium invalida, si iteretur apud confessarium *diversum* a primo, ex integro et distincte facienda est; secus vero, si iteretur apud *eumdem* confessarium confessionis adhuc memorem. — Ratio est, quia sacerdos absolvens sacramentaliter seu judicialiter noscere debet peccata; hoc vero non potest in priori casu, secus vero in posteriori.

Hinc 1) Si idem confessarius adhuc *distincte* memor est confessionis, certo sufficit accusatio summaria de peccatis ante confessis, addendo peccata forte prætermissa et sacrilegam, si adfuerit, confessionem, ac peccata gravia postea commissa.

2) Probabilius hæc summaria accusatio sufficit si idem confessarius præteritæ confessionis *confusam* notitiam retinuit sufficientem ad judicandum de dispositione pœnitentis et de satisfactione congrua injungenda, vel eam notitiam sibi nunc acquirit levi interrogatione pœnitentis. Hæc enim summaria confessio conjuncta cum notitia sacramentali antea distincte habita, sufficiens est ad judicium sacramentale.

Quinimo 3) plures satis esse docent, si confessarius tantum cognoscat pœnitentiam injunctam, quia ex ea

(1) Cf. s. Alph. n. 505; Gury-Ball. n. 513: Quær. 3°.

potest sufficienter sibi efformare judicium (Lugo disp. 16, s. 15; S Alph. n. 502 sqq.).

Notari hic potest notitiam confusam retentam vel reassumptam etiam sufficere, quando post dilatam absolutionem pœnitens redit ad confessionem. « Imo si pœnitens dispositus jam autem erat, atque ex alia causa absolutio dilata est, sufficit absolute confessarium meminisse pœnitentem dignum esse atque pœnitentiam convenientem esse impositam (Lehmkuhl. n. 347).

115. Quær. 1°. *An distincte repetenda sint peccata confessario* historice *declarata extra confessionem*?

Resp. 1°. Si confessarius *distinctam* eorum retinuit notitiam, peccata non sunt distincte repetenda, sed sufficit summaria accusatio de peccatis antea declaratis.

2° Si pœnitens confusam tantum retinuit notitiam; juxta s. Alph. omnia peccata distincte sunt repetenda; quia prior notitia peccatorum non perfecte redditur sacramentalis et judicialis per summariam istam accusationem. Nonnulli tamen censent etiam in hoc casu sufficere generalem accusationem de peccatis ante narratis; quia illa notitia prior ut denuo approbata et relata a pœnitente ad confessionem sacramentalem, censetur aliquo modo sacramentalis (Lugo disp. 16, n. 63. sqq.; Gury-Ball. n. 514).

Quær. 2°. *An repetenda sit confessio, si confessarius ante absolutionem non amplius distincte recordatur peccatorum quæ confessus est pœnitens?*

Resp. Negative; nam post judicium efformatum in audiendis peccatis, memoria distincta peccatorum non amplius requiritur, sed sufficit illa confusa notitia ex qua confessarius possit congruam pœnitentiam injungere, modo prudenter judicare possit de pœnitentis dispositione.

Quær. 3°. *An et quomodo repetenda sit confessio facta confessario surdastro, semi dormienti, etc.?*

Resp. 1) Si confessio facta sit *mala fide*. v. g. si

pœnitens advertit confessarium quædam gravia peccata non audire, repetenda est confessio utpote invalida.

Resp. 2°. Si confessio facta sit *bona fide*, distinguendum est : *a)* repetenda sunt sola peccata mortalia quæ pœnitens postea certo scit non fuisse a confessario percepta, non vero alia ; confessio enim valida fuit et fructuosa. — *b)* Si finita confessione, pœnitens intelligit *aliqua* peccata gravia non fuisse percepta et nescit quænam illa sint, tenetur totam confessionem repetere, si hæc *brevis* fuerit et paucorum peccatorum ; quia de singulis prudenter dubitare potest an a confessario percepta fuerint (ita communissima sententia) ; si autem confessio fuerit *prolixa* et multorum peccatorum et pauca tantum non percepta videantur, pœnitens non tenetur totam confessionem repetere, quia prudenter præsumere potest unum quodque peccatum fuisse intellectum nec etiam verisimile apparet Christum integritatis præceptum cum tanto onere imposuisse ; satis igitur erit dicere aliqua peccata gravia non fuisse audita. — Si tamen dubium dumtaxat unum vel alterum peccatum attingeret, repetendum illud foret (S. Alph. n. 599 ; H. A. XVI, n. 42 ; Gury, 515 ; Cf. Lugo disp. 16 n. 606 sqq).

Quando dubium est de una persona inter quamplures pœnitentes quorum confessiones idem sacerdos audivit, si non constat de persona cujus peccata non fuerunt audita, non tenentur omnes suas confessiones repetere, quod esset onus nimis laboriosum et exorbitans (Lugo l. c.).

Quæstio secunda. *De confessione generali.*

116. Confessio generalis pro christianis jam confessis est repetitio omnium vel plurium confessionum, adeoque complectitur totam vitam et tunc est stricte et complete generalis, vel aliquam solam vitæ partem, et tunc est ex parte generalis. Eo autem spectat ut præcedentium confessionum valori et integritati, vel animi quieti et fervori

consulatur. — Dicendum A de confessionis generalis necessitate et opportunitate, B de modo eam peragendi.

A. *De confessionis generalis necessitate et opportunitate.*

117. Confessio generalis potest esse aut *necessaria* et *injungenda*, aut *utilis* et *consulenda*, aut *nociva* et *interdicenda*, juxta sequentes regulas.

Reg. I. Confessio generalis *necessaria* est et *per se* injungenda, quando præcedentes confessiones moraliter certo sunt sacrilegæ vel saltem invalidæ.

Dicitur *per se* injungenda; quia per accidens injungenda non est pœnitenti qui est in bona fide, quando merito timetur ne eam recuset aut negligat nec generatim quotiescumque adest impotentia physica aut moralis. Quo casu, absolutio bona fide recepta indirecte se extendit ad omnes præcedentes confessiones. Interdum tamen confessarius pœnitentem ita examinare poterit ut is vel nesciens generalem confessionom peragat. Quod si nec hoc fieri possit, confessarius pœnitentem excitet ut de omnibus suæ vitæ peccatis se accuset et contritionem eliciat.

Nota 1°. Post anteriores confessiones invalidas et sacrilegas, fieri potest ut subsequentes confessiones fuerint validæ, quia pœnitens alioquin bene jam dispositus non attendit ad invaliditatem præcedentium confessionum ; quo casu anteriores solum confessiones iterandæ sunt, non vero subsequentes. Hæc tamen inadvertentia ad confessionum invaliditatem rarius contingit, si confessiones invalidæ fuerint ob peccatum mortale voluntarie ac deliberate omissum ex erubescentia et cum remorsu conscientiæ ; experientia enim teste, talis sacrilegæ reticentiæ memoria difficile ex animo excidit. Facilius autem obtinet quando defuit debita contritio. Unde qui in pueritia et adolescentia peccata gravia reticuerunt advertentes gravem malitiam

illius omissionis, ut ex remorsu conscientiæ dijudicari potest, interrogandi sunt an, quoties postea confessi sunt, semper memores fuerint obligationis confitendi peccata olim prætermissa, et nihilo tamen minus perrexerint illa reticere.

Nota 2°. Pœnitens admonitus de necessitate confessionis generalis, absolvi non potest donec illam peregerit. Ex variis autem adjunctis dijudicare debet confessarius an confessio generalis *statim* facienda sit an *ad aliud tempus* differenda. Si pœnitens vix seipsum examinare possit, vel omnino redire nequeat, aut non nisi per longum tempus, aut si communicandi necessitas urgeat, confessio generalis statim excipienda est.

Reg. II. Utilis et *per se* consulenda est confessio generalis, quando *grave* dubium habetur de valore præcendentium confessionum. — Dicitur per *se*, quia heic a fortiori valent quæ sub Reg. I dicta sunt de relinquendo pœnitente in bona fide.

Reg. III. Utilis et consulenda est confessio generalis, quando spectatis circumstantiis, multum profutura existimatur ad vitam christianam et sanctam ducendam (1).

Hinc, nisi scrupuli et anxietates timeantur, consulenda est ante primam communionem, ante susceptionem novi et stabilis vitæ status, tempore jubilœi, missionis, sacri secessus, et plures etiam illam suadent ante morbum periculosum timendum aut adveniente senectute.

Quando tamen confessio generalis totius vitæ serio et accurate semel peracta fuit in *matura ætate*, non facile permittenda est ejusdem repetitio; sed plerumque utilis et consulenda est confessio ex parte generalis, v. g. unius

(1) Utilitates confessionis generalis recenset S. Ignatius in libello Exercitiorum spiritalium: 1) Multo plus commodi ac meriti accedit ob dolorem de peccatis vehementiorem; 2) longe manifestius natura ac malitia peccatorum perpenditur; 3) multo melior fit dispositio ad SS. Eucharistiæ sumptionem, atque sic ad fugam peccati et ad gratiæ receptæ conservationem et augmentum.

anni, aut inde ab ultimo secessu spirituali, ab ultima confessione generali etc.

Reg. IV. Confessio generalis inutilis est nec consulenda, quando pœnitens ex ea majorem animæ pacem aut perfectioris vitæ adjumentum non est percepturus ; et nociva est nec permittenda, quando pœnitens ex ea magis perturbandus prævidetur.

Hinc interdicenda est confessio generalis meticulosis ac scrupulosis; experientia enim constat confessionem generalem sæpe scrupulos fovere. A fortiori interdicenda est iis qui ex recordatione peccatorum luxuriæ periculo exponuntur novarum tentationum et forte consensus.

Caveant juniores præsertim confessarii, ne levibus suspicionibus anxientur et cujusvis pœnitentis vitam præteritam et peractas antea confessiones scrutari et examinare velint, et ne confessionem generalem a novis pœnitentibus sub prætextu melioris directionis exigant, aut illam generatim permittant sine gravi causa.

B. *De modo excipiendi confessionem generalem.*

118. Quædam attendenda sunt I ante confessionis generalis inchoationem, II in ipsa confessione, III post confessionem.

I. *Ante confessionem,* multum proderit cognoscere statum pœnitentis et circumstantias ex quibus ejus peccata dignosci queant et indagari.

Hinc confessarius examinet 1) an confessio generalis necessaria sit nec ne, an omnes præteritæ confessiones sint sacrilegæ aut saltem invalidæ ; si enim necessaria sit, multo major cura adhibenda est ad eam integre instituendam ; si necessaria non sit, monendus est pœnitens ipsum posse omittere peccata quæ voluerit. 2) Inquirat prudenter de *conditione* pœnitentis, an cælebs sit vel matrimonio junctus, de ejus ætate, officio quod gerit etc, et de *actuali ejus statu conscientiæ*, an prava consuetudine

vel occasione irretitus sit, an forsan, si probabiliter id timetur, vetitæ societati sit adscriptus, etc.

3) Plerumque expedit pœnitentem prius confiteri peccata inde ab ultima sua confessione commissa; sic enim actualis ejus dispositio et conditio facile noscetur, et si confessio generalis non sit necessaria, distinguentur peccata jam rite confessa a non confessis.

119. II. *In confessione generali* seu confessionum repetitione, confessarius pœnitentem *instructum et præparatum* sinat sua peccata confiteri, et necessaria suppleat congruis interrogationibus; *minus vero instructum et præparatum* interroget de peccatis quæ ipsum maxime premunt, dein statim ipsum examinet circa omnia peccata gravia quæ committi solent a pœnitentibus paris conditionis. Expedit autem ut confessio et examen peccatorum fiat *juxta ordinem Decalogi, præceptorum Ecclesiæ et specialium obligationum pro statu cujusque proprio*, nisi aliqua ratio aliud suadeat.

Plura heic advertenda occurrunt quoad examinationem seu interrogationem pœnitentis et ordinem quo eam fieri convenit.

1) Quod spectat ordinem interrogationis: *a)* Si inquisitio circa confessiones invalidas et sacrilegas, item circa communiones sacrilegas, facta non fuit in initio quando judicari debet de necessitate generalis confessionis, illa fieri potest in consideratione primi præcepti decalogi. *b)* Aliqui præcepta Ecclesiæ considerant ubi ad tertium decalogi præceptum veniunt; *c)* in quarto vero decalogi præcepto examinant officia parentum ac liberorum ac generatim superiorum et subditorum juxta officia et obligationes eorum status. *d)* Sextum et nonum præceptum conjungantur, et ubi longior et implicata prævidetur confessio in hac materia, reservari potest ad finem, vel etiam primum in initio institui. Pœnitentes qui multum libidini externæ indulserunt, primum examinentur circa

peccata externa ; iis enim cognitis facilius judicabit confessarius de peccatis internis. Quando tamen pœnitens verecundior videtur in peccatis luxuriæ confitendis, consultum est eum primum interrogare de culpis levioribus et sic prudenter ad graviores procedere. In peccatis luxuriæ ratio habenda est diversorum vitæ temporum quæ peccatis distinctam speciem tribuunt. *e)* Peccata capitalia fere referri possunt ad præcepta decalogi, ita ut peccata *iræ*, *invidiæ* conjungantur cum peccatis contra proximum, *gula* vero et *ebrietas* cum peccatis contra seipsum. Quod spectat *superbiam* et *avaritiam*, plerumque illæ non constituunt nisi materiam liberam, quia raro per se pertingunt ad mortale. Utiliter tamen de iis breviter inquiri potest ad majorem animæ tranquillitatem et præsertim ad meliorem directionem spiritualem. *f)* Ignorantia mysteriorum fidei pertinet ad primum præceptum. Consulit tamen B. Leonardus a P. M. ut interrogatio de illa fiat in fine confessionis : quia tunc pœnitens ab onere confessionis jam liberatus, melius dispositus est ad instructiones confessarii cum attentione excipiendas (1).

---

(1) Subjungitur brevis elenchus peccatorum circa quæ interrogari potest pœnitens, *si illorum merito timetur reus ;* non enim quilibet circa omnia interrogandus.

I. *Peccata contra præcepta Decalogi:*

1m. Peccata contra fidem, spem, charitatem ; sacramenta sacrilege suscepta, superstitio.

2m. Blasphemia, perjurium, voti violatio.

3m. Omissio vel mala auditio missæ et opera servilia die dominico vel festo.

4m. Officia parentum erga filios præsertim quoad animam, christiania educatio, vigilantia, etc., obligationes filiorum erga parentes, amor reverentia, etc.

5m. Peccata contra charitatem proximi : damna illata in corpore et anima, ira, maledictio, odium, invidia, inimicitæ, scandalum, cooperatio.

6m et 9m. Peccata luxuriæ interna per cogitationes, delectationes, desideria. Peccata externa consummata vel non cum seipso, cum

2) In interrogatione pœnitentis adhibenda solum est diligentia moralis humana mediocris, ejus capacitati et conditioni accommodata. Interrogatio tantum sit de peccatis mortalibus quæ spectata pœnitentis conditione et notitia quam de seipso ingerit in confessione, ab ipso probabiliter committi potuerunt et quæ solent ab hominibus talis conditionis committi. Quare cum selectu uti debet schematibus quæ reperiuntur apud theologos. Schema præcipuum confessarii est conscientia pœnitentis et solida et probata doctrina juncta prudentiæ et charitati.

3) In confessione generali necessaria stricte sufficit examinatio pœnitentis de peccatis mortalibus. Si autem non sit necessaria, utilissimum erit examen circa habitum committendi venialia peccata et circa eorum frequentiam.

4) Confessio et pœnitentis interrogatio inde sæpe facilior redditur quod pœnitens, ut frequenter consuetudinariis contingit, uniformem fere vitæ rationem tenuerit ; tunc enim sæpius sufficit distincta confessio peccatorum unius anni cum generali indicatione similis vitæ per alios annos transactæ. Interrogentur tamen hujusmodi pœnitentes utrum insolita quædam peccata illis annis non commiserint. Cf. S. Alph. I, VI, n. 501, et *H. A.* XVI, n. 45 ; Gury, n. 516.

5) Si confessio generalis fiat eidem confessario qui omnes præcedentes confessionis excepit, satis est ut is confusam habeat aut reassumat notitiam status pœnitentis,

---

aliis ejusdem vel alterius sexus, solutis aut ligatis. Abortus, obligationes matrimoniales.

7m et 10m. Injustitia erga proximum in bonis fortunæ, restitutio neglecta.

8m. Mendacia perniciosa, detractio, calumnia.

II. *Peccata contra præcepta Ecclesiæ* ; jejunium, abstinentia a carnibus, confessio et communio paschalis.

III. *Peccata capitalia* : ebrietas, etc.

IV. *Peccata contra obligationes status*, maritus, herus, mercator, famulus, sacerdos, medicus, etc.

et distincte nunc excipiat a pœnitente peccata mortalia nondum confessa et sacrilegas anteriores confessiones, cum summaria accusatione peccatorum quæ ante confessa fuerunt.

6) Generatim præstat ut confessio generalis una vice perficiatur et statim concedatur absolutio, si pœnitens dispositus judicetur. Si autem necessarium aut opportunum est confessionem generalem per partes dividi, expedit, si plurium præsertim confessiones generales audiuntur, post singulam confessionem aliquam pœnitentiam imponere et talis quidem indolis, ut ex ea confessarius postea confusam saltem memoriam accipiat peccatorum quæ pœnitens confessus fuit.

120. III. *Post confessionem peractam*, petat confessarius num quid aliud pœnitentem anxium teneat, eumque excitet ad magnam contritionem et firma emendationis proposita. Eum insuper moneat ne in vitam præteritam curiosius indagare pergat, cum satis sit, si ultro peccati mortalis obliti recordetur, ut illud in sequenti confessione declaret. Ac tandem pœnitentem in pace dimittet cum paterno consilio ut Deo grátias referat pro beneficio jam accepto, et ut quotidie confugiat sub præsidio B. M. V., utque in posterum sæpius sacramenta frequentet, et confiteri non differat si contingat eum infeliciter pro fragilitate humana in peccatum lethale labi.

CAPUT III.

DE SATISFACTIONE.

Satisfactio sacramentalis, quæ sæpius dicitur *pœnitentia sacramentalis* aut etiam simpliciter *pœnitentia*, est tertius pœnitentis actus et pars sacramenti, ad ejus integritatem requisita (v. n. 14-15).

A. Dicetur I de satisfactione in genere, seu ut est actus virtutis, II de satisfactione sacramentali, seu ut est pars sacramenti.

ART. I.

De satisfactione in genere.

121. Satisfactio pro peccatis est compensatio injuriæ Deo per peccatum illatæ. Peccatum mortale inducit *reatum culpæ*, et *pœnæ*, seu inimicitiam Dei et debitum pœnæ æternæ. Pro duplici hoc reatu non potest peccator exhibere Deo satisfactionem seu compensationem condignam. Potest tamen et debet gratia Dei adjutus aliquam compensationem præstare per contritionem et confessionem, qua se disponat ad obtinendam remissionem culpæ et pœnæ æternæ gratuito impertiendam propter merita Christi. Remissa vero culpa et pœna æterna, sæpe manet debitum pœnæ alicujus temporalis subeundæ in vindictam peccati commissi et in compensationem injuriæ Deo illatæ. Huic debito satisfieri potest 1) *ex opere operato* per satisfactiones Christi applicatas per sacramenta, vel per sacrificium missæ vel per indulgentias; 2) per *opus operantis*, idque vel *a*) per satispassionem, patiendo pœnam a Deo statutam, vel *b*) per *satisfactionem* qua Deo pœnalis aliqua compensatio exhibetur vice istius pœnæ quam justitia Dei vindicativa exigit pro peccato remisso quoad culpam (sive mortalem sive venialem) et quoad pœnam æternam. Hæc compensatio est proprie dicta *satisfactio* de qua heic agitur et quæ definitur *compensatio pœnæ temporalis debitæ ob injuriam Deo per peccatum illatam*. Satisfactio est actus justitiæ simul et pœnitentiæ.

122. I. *Summa doctrinæ catholicæ de satisfactione.*

A. *Sublata virtute clavium culpa et pœna æterna, temporalis plerumque pœna exsolvenda manet in hoc sæculo vel in futuro in purgatorio* (Conc. Trid. Sess. VI, can. 30, Sess. XIV, cap. 8, 9; can. 12, 13).

Hæc doctrina de fide definita contra Protestantes (1), probatur ex dogmate de *Purgatorio*, ex sacris Litteris quæ referunt plures post dimissa peccata pœnis temporalibus fuisse mulctatos, et ex Patrum testimoniis (2). Ratio redditur a Conc. Trid. quod justitiæ et clementiæ divinæ conveniens sit temporalem exigere pœnam in vindictam criminis post baptismum commissi ac remissi, et in peccatorum frænum, medelam et cautelam (lege Sess. XIV, cap. 8).

Dicitur: sublata *virtute clavium* etc.; nam omnis pœna temporalis remittitur per *baptismum* et *martyrium*. Dicitur etiam: *plerumque*; nam contritio perfecta tanta esse potest ut ad plenam remissionem pœnæ temporalis sufficiat (S. Th. Suppl. q. 5, a. 2).

Nota. Pœna illa temporalis quæ luenda superest, est *pœna sensibilis* homini qui peccavit a Deo infligenda *in vindictam peccati*, seu *in compensationem offensæ Dei illatæ* et inordinatæ conversionis ad creaturas. Quæ pœna potissimum in purgatorio luenda decernitur, nisi ejus debitum in hac vita redimatur seu extinguatur.

B. *Pro pœna temporali quæ post remissa peccata luenda manet, Deo per Christi merita satisfieri potest, — pœnis ab eo inflictis et patienter toleratis — vel a sacerdote injunctis, — vel sponte susceptis : ut jejuniis, orationibus, eleemosynis vel aliis etiam pietatis operibus. —*

---

(1) Novatores Sæc. XVI negabant post remissam culpam manere ullum reatum pœnæ in hoc aut in altero mundo subeundæ, et hinc negabant Purgatorium, indulgentias et opera stricte satisfactoria.

(2) S. Aug. *Sermo* 20 n. 2 : « Impunitum non potest esse peccatum, impunitum esse non decet, non oportet, non est justum. Ergo quia impunitum non debet esse peccatum, puniatur a te, ne puniaris pro illo. Et *Tract.* 124 *in Joan.* n. 5 : « Cogitur homo tolerare, etiam remissis peccatis ; quamvis ut in eam veniret miseriam, primum fuerit causa peccatum. *Productior est enim pœna quam peccatum, ne parva putaretur culpa, si cum illo finiretur et pœna.* »

De fide definitum a Trid. Sess. XIV, can. 13. Probatur ex usu Ecclesiæ orantis et sacrificium offerentis pro defunctis, et pœnitentibus laboriosas pœnitentias imperantis, et ex Patrum doctrina (cf. Bellarm. de Pœnit. l. 4, c. 9). Merito igitur Conc. Trid. numerat satisfactionem inter actus necessarios ad plenam et perfectam peccatorum remissionem.

Ad explicationem doctrinæ catholicæ sequentia sunt advertenda :

1) Justi piis suis operibus *condigne* satisfaciunt pro pœnis temporalibus quæ restant luendæ post remissa peccata. Manifestum id est ex Trid. sess. XIV, cap. 8, 9, et can. 13, et ex proscriptione prop. Baii 77 : *Satisfactiones laboriosæ justificatorum non valent expiare de condigno pœnam temporalem restantem post culpam condonatam.* Ratio quoque id confirmat ; nam si potest justus mereri præmium de condigno, ergo potest et satisfacere de condigno (1).

2) Ad hanc condignam satisfactionem requiritur 1° ex *parte satisfacientis*, *a)* ut sit *viator*, seu degens in vita mortali, in hac enim tantum est tempus merendi et placandi Deum ; in altera autem vita, peracto judicio solum locus est præmio aut pœnæ ; unde in purgatorio non satisfaciunt seu compensatonem offerunt pro pœna, sed satispatiuntur. — Requiritur *b)* ut sit in *statu gratiæ sanctificantis.* Communior est sententia ; docet

(1) Notandum est cum Suarez, d. 37, s. 9, Coninck, d. 10, d. 3 Deum interdum absoluta et irrevocabili voluntate pro peccatis commissis decernere speciales aliquas pœnas hujus vitæ, in quarum compensationem nullam aliam admittit satisfactionem : quippe hæ pœnæ a Deo infliguntur non solum ut justitiæ vindicativæ fiat satis, sed etiam ut suam severitatem in puniendis peccatis ostendat atque peccatores a peccatis deterreat. Exemplum pœnarum hujus vitæ quæ redimi non poterant, habemus in morte præmatura filii David ex adulterio suscepti (2 Reg. XVI). Cf. Deut. XXXII, 1 Reg. XXI, Ezech. XIV.

enim Trid. omnem satisfactionem nostram fieri per Christi gratiam in qua vivimus. Dein opus satisfactorium ex sola dignitate operantis aliquam proportionem habere potest cum remissione pœnæ temporalis (v. Suarez disp. 37, s. 2). Opus tamen satisfactorium pœnitentis in statu peccati mortalis ex gratia actuali peractum dici potest de congruo satisfactorium, quatenus a benignissimo Deo impetrare diminutionem potest aut remissionem aliquarum pœnarum hujus vitæ, et disponit ad ampliorem gratiæ sanctificantis collationem et pœnarum remissionem.

Requiritur 2° *ex parte operis*, ut sit a) *liberum*, sive quia *voluntarie* eligitur et assumitur quamvis aliunde præceptum, sive quia pœna ab extrinseco per causas naturales aut liberas inflicta, voluntatis actu patienter acceptatur (S. Th. suppl. q. 15, a. 2). — b) Ut sit moraliter *bonum et supernaturale*; disponit enim ad promptiorem finis supernaturalis consecutionem. Requiritur c) ut opus sit ex se *pœnosum* seu *afflictivum*; debet enim proportionem habere cum pœna quam redimit; ideo Scriptura, Patres et Conc. Trid. ad satisfaciendum commendant opera pœnalia. Sed nulla hinc suboritur difficultas in praxi, cum omnis virtutis actus reputetur per se pœnosus humanæ naturæ ad sensibilia pronæ; unde Trid. memorat *jejunia*, *orationes*, *eleemosynas*, *aliaque pietatis opera*, *tanquam pœnas satisfactorias*. Nec refert quod opus per se pœnale alicui fiat dulce propter charitatem aut habitum; nam, ut ait S. Th. suppl. q. 13, a. 1, « *diminutio pœnalitatis ex promptitudine voluntatis quam facit charitas, non diminuit efficaciam satisfactionis sed auget.* » Ex dictis intelligitur operis externi pœnalitatem augere satisfactionem actus interni.

Quamquam opera satisfactoria hominis justi proportionem aliquam habent et condignitatem in actu primo ad satisfaciendum, seclusa etiam extrinseca promissione Dei, attamen 3° ex *parte Dei* requiritur *acceptatio*, seu *promissio acceptandi* nostra opera in satisfactionem pro

pœna peccatis debita, ut illa opera sint in actu secundo infallibiliter et condigne satisfactoria. Ratio inter alias est, quod liberum sit Deo peccatorem punire pœna a se designata, neque aliam loco illius admittere. Hæc autem promissio et acceptatio aperte continetur in S. Scriptura quæ toties commendat orationes, jejunia, eleemosynam aliaque pia opera ad redimenda peccata etiam quoad pœnas eis debitas.

4) Satisfactiones hujus vitæ, ut docet Trid. l. c., non solum sunt *vindicativæ*, i. e. ad præteritorum peccatorum vindictam et castigationem, justititiæ vindicativæ divinæ pœnalem compensationem exhibendo per quam redimitur pœna temporalis ; sed sunt etiam *medicinales*, i e. ad infirmitatis humanæ medicamentum, ac *præservativæ* seu ad novæ vitæ custodiam. « *Satisfactio, quæ est justitiæ actus pœnam inferentis, est medicina curans peccata præterita et præservans a futuris* (S. Th. Suppl. q 12, a. 3). Quam efficaciam satisfactionum aliasque earum utilitates recenset Trid. : « Magnopere a peccato revocant et quasi freno quodam coercent hæ satisfactoriæ pœnæ, cautiores et vigilantiores in futurum pœnitentes efficiunt, medentur quoque peccatorum reliquiis, et vitiosos habitus male vivendo comparatos contrariis virtutum actibus tollunt. Neque vero securior ulla via in Ecclesia Dei unquam existimata fuit ad amovendam imminentem a Domino pœnam, quam ut hæc pœnitentiæ opera cum vero animi dolore frequentent (1).

5) Satisfactiones nostræ meritis et satisfactionibus Christi innituntur et « *ex illo vim habent*, ab illo offeruntur Patri, et per illum acceptantur a Patre », et proinde non derogant dignitati satisfactionis superabundantis a Christo præstitæ.

---

(1) Sess. XIV, cap. 8 et ita prosequitur : « Accedit ad hæc, quod dum satisfaciendo patimur pro peccatis, Christo Jesu, qui pro peccatis nostris satisfecit... conformes efficimur, certissimam quoque inde arham habentes, quod si compatimur, et conglorificabimur. »

nec beneficium mortis ejus obscurant (Trid. Sess. XIV. cap. 8, et can. 14).

6) Justi possunt satisfactiones suas in alterum justum transferre ad redimendam pœnam temporalem quam is pro peccatis remissis pati debet. Est communis sententia cum S. Th. (1) et sequitur ex communione sanctorum (v. Cat. Rom. de Sac. *pœnit.* n. 109, sqq.) — Satisfactio aliis communicata est condigna in actu primo ad redimendam pœnam temporalem, et Lugo censet communem et veriorem sententiam affirmare quod satisfactio hæc infallibilem habet efficaciam propter misericordem Dei promissionem (*de Pœnit.* disp. 26, n 5).

7) Controvertitur an remissio debiti pœnæ temporalis obtineri potest per *meram impetrationem* distinctam a satisfactione, v. g. per preces sanctorum, etc. Suarez sententiam negantem habet ut probabiliorem (Disp. 38 s. 10). Contra Lugo affirmat ut verius, cui suffragari videtur sensus Ecclesiæ quæ petit ut animæ defunctorum, B. V. M. intercedente et omnibus sanctis omnium delictorum suorum veniam consequantur.

Ex dictis consequitur satisfactionem in concreto sumptam definiri posse: *opus supernaturale pœnale ab homine justo viatore libere assumptum vel acceptatum pro compensatione exhibenda divinæ justitiæ vindicativæ.*

123. *De divisione satisfactionis.*

Satisfactio est 1° *sacramentalis* vel *extrasacramentalis.* Prior est opus satisfactorium injunctum a confessario in sacramento pœnitentiæ, quod ut pars sacramenti efficaciam habet ex opere operato ; posterior est opus satisfactorium sponte susceptum vel acceptatum a superiore extra sacra-

(1) In IV, D. 20, q. 1, a. 3, et Supp. q. 13, ubi a. 2 ponitur hæc conclusio: « Potest quidem aliquis charitate præditus pro alio pœnam satisfactoriam, quatenus ipsa ad debiti solutionem ordinatur, explere. »

mentum pœnitentiæ, quodque solum efficaciam habet ex opere operantis.

2° Utraque pœnitentia est vel *privata*, seu *occulta*, si satisfactio per seipsam non manifestat peccata, sive clam sive publice peragatur; vel *publica*, si pœnitentia sit formaliter publica, quæ nempe ut pœnitentia injuncta publice apparet et peragenda est, et quæ manifestat peccatum grave saltem in genere.

3° Pœnitentia publica est vel *simpliciter talis* vel insuper *canonica* et *solemnis*; quo nomine intelligitur pœnitentia peracta juxta juxta modum et ritum ab Ecclesiæ præscriptum sæc. III labente ex occasione hæresis Novatianorum. Huic solemni et canonicæ pœnitentiæ quæ erat institutionis *mere Ecclesiasticæ*, subjiciebantur tantum publica crimina idololatriæ, homicidii et mæchiæ et his affinia.

Solemnis pœnitentia quæ semel solum in vita, neque omnibus, et a solo Episcopo imponebatur, perque plures annos interdum durabat, initium sumebat feria IV ante Dom. I Quad:, quando pœnitentes pulla veste et cilicio induti, tonso capite, exceptis feminis, et cinere aspersi, in Ecclesiam inducebantur. Inductis in ecclesiam pœnitentibus Episcopus cum clero manus imponebat, eosdemque ex ecclesia ejiciebat, qui dein pœnitentiam agebant per quatuor gradus seu stationes distributam, nempe *fletus*, *auditionis*, *substrationis* et *consistentiæ*; expleta autem pœnitentia, solemniter reconciliabantur feria V. in Cœna Domini (1).

Hæc solemnis pœnitentia in Ecclesia Orientali viguit usque ad finem sæc. IV, in Occidentali autem usque ad finem Sæc. VII (2).

---

(1) Plures existimant hanc reconciliationem non fuisse reconciliationem cum Deo per sacramentalem absolutionem, sed tantum reconciliationem cum Ecclesia quoad oblationes et participationem Eucharistiæ; antea viro et interdum in ingressu pœnitentiæ datam fuisse absolutionem sacramentalem.

(2) De pœnitentia publica et solemni scribunt Petavius Billuart, Collet, Perrone, Palmieri.

4° Pœnitentia est *æquivalens* vel *improportionnata*, prout adæquat vel non pœnam debitam ; æquivalens, si sit insuper ex propriis et alias indebitis, dicitur *ad strictos apices juris* (v. Tract. *de Incarn.*).

124. Quær. *Quomodo differt satisfactio sacramentalis a satisfactione extrasacramentali ?*

Resp. Satisfactio sacramentalis ab extrasacramentali differt 1) *ratione dignitatis* ; cum prior sit pars sacramenti, non item posterior ; 2) *ratione efficaciæ ;* nam satisfactio sacramentalis non solum *ex opere operantis*, sed insuper *ex opere operato* habet vim satisfactoriam ; altera vero tantum ex *opere operantis*. 3) *Ratione necessitatis* ; satisfactio enim sacramentalis ex præcepto divino obligat, altera vero quatenus est *vindicativa* pro pœna peccati remissi solum est *de consilio*, quod certe maxime urgendum est ob multas utilitates quas habent pœnæ satisfactoriæ (v. supra n. 51 et Trid. Sess. XIV, cap. 8/.

ART. II.

De satisfactione sacramentali.

125. *Doctrina catholica de satisfactione sacramentali*, seu *ut est pars sacramenti*, hæc est :

1°. Conc. Trid. Sess. XIV, can. 4 sic definit: « si quis negaverit ad *integram et perfectam peccatorum remissionem* requiri tres actus in pœnitente, *quasi materiam* sacramenti Pœnitentiæ, videlicet contritionem, confessionem et *satisfactionem* : quæ tres Pœnitentiæ partes dicuntur... anathema sit. »

2° Circa injunctionem satisfactionis sacramentalis, sic docet ibid. cap 8. « Debent ergo sacerdotes Domini quantum spiritus et prudentia suggesserit, pro *qualitate crimtnum et pœnitentium facultate, salutares et convenientes satisfactiones injungere :* ne, si forte peccatis conniveant, et indulgentius

cum pœnitentibus agant, levissima quædam opera pro gravissimis delictis injungendo, alienorum peccatorum participes efficiantur. Habeant autem præ oculis, ut satisfactio quam imponunt, non sit tantum *ad novæ vitæ custodiam, et infirmitatis medicamentum, sed etiam ad præteritorum peccatorum vindictam et castigationem* : nam claves sacerdotum non ad solvendum dumtaxat, sed et ad ligandum concessas etiam antiqui Patres et credunt et docent. » Canone autem 15, sic definit : « Si quis dixerit claves Ecclesiæ esse datas tantum ad solvendum non etiam ad *ligandum*, et propterea sacerdotes, *dum inponunt pœnas confitentibus*, agere contra finem clavium et contra institutionem Christi, et fictionem esse, quod, virtute clavium, sublata pœna æterna, pœna temporalis plerumque exsolvenda maneat, anathema sit »

Dicendum I de injunctione satisfactionis sacramentalis ; II de qualitate satisfactionis injungendæ ; III de ejusdem quantitate ; IV de satisfactionis sacramentalis impletione.

§ I.

De injunctione satisfactionis sacramentalis.

126. Quær. 1°. *An confessarii teneantur pœnitentibus injungere satisfactionem ?*

Resp. Confessarii *per se* satisfactionem injungere tenentur pœnitentibus quos absolvunt.

Constat ex Trid. et probatur 1) *ex constanti praxi Ecclesiæ* nunquam absolvendi pœnitentes sine injuncta satisfactione, ut testantur concilia et libri pœnitentiales. Probatur 2) *ex natura sacramenti pœnitentiæ* : *a)* illud ordinatur ad integram et perfectam remissionem peccati, quæ non solum deletione culpæ et pœnæ æternæ continetur, sed etiam remissione pœnæ temporalis cujus reatus remanet post absolutionem ; ad hunc autem effectum potissimum

ordinatur satisfactio ; sed hæc sacramentali efficientia id efficere nequit nisi quatenus est pars sacramenti ; ad hoc autem necesse est ut a ministro seu a potestate clavium injungatur ; oportet igitur quod confessarius satisfactionem injungat ut sacramentum integrum existat et totus ejus effectus obtineatur. *b)* Confessarius in judicio reconciliativo pœnitentiæ, munus gerit tum *judicis*, tum *medici* ; atqui ad judicem spectat vindicare injuriam Deo illatam et reo qui aduc debitor est alicujus pœnæ, ejusdem solutionem imponere ; ad medicum autem pertinet morbum sanare atque relapsum cavere ; atqui hæc obtinentur per pœnitentias sacramentales, quæ non solum vindicativæ sunt sed medicinales quoque et præservativæ. In his effectibus satisfactionis continetur ratio congruitatis pro ejus institutione et connexione cum sacramento pœnitentiæ.

Dictum est *per se* injungendam esse satisfactionem pœnitentiam ; quia *per accidens* injungi non debet, quando datur *impossibilitas physica* satisfactionem acceptandi et exsequendi, ut si moribundus usu sensuum destitutus sit. Aliæ causæ a nonnullis enumeratæ tanquam excusantes ab injunctione pœnitentiæ, potius excusant a graviore pœnitentia injungenda, ut postea explicabitur.

127. COROLL. 1m. Ex dictis confirmatur doctrina Trid. quod satisfactio sit *pars sacramentali pœnitentiæ*, non quidem essentialis, sed tantum *integralis* (Cf. n. 14, 15).

COROLL. 2m. Satisfactio sacramentalis actu impleta *a)* remittit *ex opere operato* pœnam temporalem residuam pro peccatis confessis, nam, ut ait S. Th. ; « *Cum satisfactio a sacerdote injuncta sit pars sacramenti pœnitentiæ manifestum est quod in ea operetur vis clavium,* ita quod amplius valet ad expiandum peccatum, quam si proprio arbitrio homo faceret idem opus » (Quodl. 3, a. 28). Remissio pœnæ major vel minor est pro natura operis injuncti et fervoris pœnitentis in illius exsecutione, et impeditur si pœnitens in statu mortalis satisfactionem

impleat ; postea tamen, juxta plures, reviviscit efficacia satisfactionis sacramentalis, si obex removetur (Suarez, disp. 38, s. 8).

Plures opinantur *b)* satisfactionem sacramentalem *ex opere operato* etiam conferre aliquam gratiam sanctificantem et auxilia gratiæ quæ a peccatis futuris præservent (Suarez, Billuart) et sibi vindicant S. Th. scribentem : « *dicendum quod satisfactio confert gratiam prout est in proposito et auget eam prout est in exsecutione.* » (p. 3 q. 90, a. 2). Contra, Lugo cum aliis tenet ut probabilius, hanc efficaciam non esse tribuendam satisfactioni sacramentali quæ post absolutionem impletur, quia hujusmodi efficacia nullo firmo probatur argumento (Disp. 37, s. 2). Cæterum, conceditur quod satisfactio præcedens absolutionem conferat per modum dispositionis ad majorem gratiæ collationem, et quod simul cum aliis partibus sacramenti concurrere possit ad gratiam causandam ex opere operato.

128. II. Quær. *An confessarius teneatur satisfactionem injungere præceptive ?*

Resp. Confessarius satisfactionem injungere tenetur injungere *præceptive*, non autem ut libere solum et de consilio implendam. — Ita communius contra Medinam, Suarez, etc., quorum sententiam S. Alph. ait esse omnino improbabilem (l. VI, n. 518; H. A, XVI, n. 48).

Ratio est, quod secundum doctrinam Trid. facultas dictandi satisfactionem oritur ex *potestate ligandi* ; hæc autem exercetur adstringendo et præcipiendo. Ex quo inferunt plures per orationem : *Passio D. N. J.-C.* etc., quæ subsequitur absolutionem a peccatis, futura pœnitentis bona opera minime elevari ad efficaciam satisfactionis sacramentalis, et hæc verba habent ut deprecatoria. Multi tamen docent per istam orationem, omnia subsequentia pœnitentis opera etsi non injuncta elevari ad efficaciam sacramentalem ex opere operato, saltem pro peccatis tunc

confessis, præsertim si confessarius hoc intendit et desuper pœnitentem monet. Quam sententiam S. Alph. censet esse probabiliorem (l. VI, n. 507; Cf. Suarez, disp. 38, s. 3, et 6).

129. III. Quær. *Quanta obligatio pœnitentiam implendi imponi potest aut debet a confessario?*

Resp. Hæc quæstio diversimode solvitur. Alii censent quamlibet pœnitentiam semper imponendam esse sub gravi obligatione illam exsequendi; quia ex Christi institutione sacramentum complendum est per suam partem integralem. Alii autem considerandam dicunt tum gravitatem causæ seu peccati, tum gravitatem materiæ seu pœnitentiæ injunctæ, tum etiam, ut aliqui addunt, voluntatem præcipientem confessarii. Proinde 1) docent *gravem* pœnitentiam *pro mortalibus nondum directe remissis* imponendam esse ut graviter obligantem. Plures tamen probabiliter opinantur eam posse imponi sub levi obligatione, quia legislator potest materiam gravem præcipere sub levi, id tamen generatim non expedire nec supponi, nisi expresse velit et dicat confessarius. Cf. s. Alph. l. 6, n. 518.

2) Censent *levem* pœnitentiam impositam *pro venialibus* aut *mortalibus jam directe remissis*, nec non *justam ob causam pro mortalibus nondum directe remissis*, non posse imponi sub gravi obligatione. Ratio est, quod materia levis non sit capax gravis obligationis. Hanc sententiam S. Alph. n. 517 habet ut communem.

Si vero 3) *gravis* pœnitentia injungitur *pro venialibus* aut *pro mortalibus jam rite confessis*, existimat Lugo illam imponi debere sub gravi obligatione exsequendam. Contra, Suarez tenet illam non posse imponi sub gravi; quia causa judicialis non est gravis; et hanc sententiam ipse Lugo habet ut extrinsece probabilem, S. Alph. ut probabilem, Gury ut probabiliorem, quia satisfactio tunc

necessaria non est in quantum gravis, et ideo confessarius illam præcipere non potest ut gravem (1).

130. IV. Quær. *Quo tempore confessarius teneatur pœnitentiam imponere?*

Resp. Potest pœnitentiam imponere vel ante vel statim post absolutionem; utroque enim modo moraliter conjungitur cæteris partibus sacramenti. Convenientius tamen imponitur ante absolutionem; recto enim judicii ordini magis censentaneum est ne reus prius absolvatur quam satisfacere promittat. Si absolutio differatur, potest jam prima vice pœnitentia injungi, tum ut pœnitens magis disponatur, tum ut minor pœnitentia postea imponatur.

Confessarius qui omisit pœnitentiam injungere, pœnitentem confessionali jam egressum desuper monere non tenetur, imo nec potest, si inde gravamen aut confusionem pateretur. Ei tamen infra breve tempus ad confitendum regresso pœnitentiam injungere potest.

131. V. Quær. *Quis* et *sub quibus conditionibus commutare potest satisfactionem sacramentalem?*

Resp. Ad 1^m^ solus confessarius, sive *idem* qui satis-

---

(1) *De Sac. Pœnit.* n. 538. S. Alph. n. 517 excipit si venialia valde disponant ad mortale et imponatur pœnitentia gravis medicalis ad removendum peccati periculum. Qua de re audiendus Suarez (disp. 38, s. 7, n. 7. « Si propter curationem et medicinam judicet confessarius id expedire, poterit facere et pœnitens tenebitur obedire: quia tunc potius agitur de condigna dispositione ad remissionem peccatorum, quam de satisfactione pro temporali pœna. Unde illud præceptum a confessario positum, non tam est nova impositio, quam declaratio alicujus obligationis quam pœnitens de se habet, ut possit de illius dispositione et proposito vitandi peccati mortalia constare; et ad summum videtur sacerdos tunc modum seu medium determinare: in quo si sint plura et sufficientia (media), potest se voluntati pœnitentis accommodare, ut medicinam eligat; quia hoc satis est ad illius curationem, ad quam solus sacerdos jus habet et potestatem in eo actu. »

factionem imposuit, sive *diversus* æqualem saltem habens potestatem, potest illam commutare, seu illi aliam substituere.

Idem confessarius id potest; quia judex et legislator suam propriam legem immutare potest. *Diversus* quoque id potest; quia idem est tribunal, una eademque potestas, ac diversitas ministri est mere accidentalis. Plerique tamen in diverso ministro æqualem potestatem exigunt ac erat in ministro qui pœnitentiam imposuit, et consequenter docent pœnitentiam impositam pro reservatis peccatis commutari non posse per confessarium qui a reservatis absolvere non potest, nisi tamen causa gravis adsit aut consensus superioris facile præsumi possit (S. Alph. l. 6, n. 528). — Aliqui tamen hanc exceptionem non admittunt, quia reservatio jam sublata e t, et proinde æqualis est in confessariis potestas. (Vasquez, Henriquez, Navarrus).

Resp. Ad 2^m. Requiritur 1) expressa voluntas in confessario commutandi priorem pœnitentiam.

2) Commutatio facta per actum *judicialem* qui referatur ad absolutionem vel impertitam vel impertiendam; quia secus pœnitentia substituta non esset sacramentalis. Proinde *a)* si commutatio a *diverso* fiat confessario, facienda est infra administrationem sacramenti pœnitentiæ; si autem *b)* ab eodem confessario qui illam imposuit, non requiritur quidem nova confessio; sed præcedens judicium sacramentale adhuc moraliter perseverare debet; v. g. si commutatio fiat *statim* post absolutionem ante discessum pœnitentis a confessario, juxta sententiam quam S. Alph. existimat communiorem et veriorem (l. 6, n. 529). Sunttamen graves theologi qui opinantur judicium sacramentale longius etiam ac per indeterminatum tempus posse perdurare (v. Lugo, disp. 25, n. 112).

3) Multi requirunt ut confessarius commutans habeat aut acquirat confusam notitiam peccatorum pœnitentis pro quibus prior pœnitentia injuncta fuit; quia nova pœnitentia judicialiter imponi nequit incognita causa. Probabilis tamen est sententia non requiri confusam hanc notitiam,

quia non agitur de judicio ferendo circa peccata jam remissa, sed tantum de pœnitentia commutanda, ad quod sufficit noscere priorem pœnitentiam, causas ob quas commutanda petitur, et pœnitentis præsentem facultatem et dispositionem. Cf. s. Alph. l. 6, n. 529; H. A. XVI, 61.

Præterea requiritur 4) aliqua *justa causa*, quæ tamen attingere non debet impossibilitatem physicam aut moralem; hæc enim simpliciter excusat a pœnitentiæ impletione, Causæ sufficientes sunt: magna difficultas pœnitentiæ, periculum ne pœnitens omittat pœnitentiam ob fragilitatem, repugnantiam, oblivionem; utilitas spiritualis sperata ex commutatione, v. g. frequentior confessio, etc. Practice igitur confessarius non se præbeat difficilem, si pœnitens se accuset de omissis pœnitentiis et earum commutationem desideret, vel eam expedire ipsemet confessarius existimet.

Demum 5) Confessarius substituere debet pœnitentiam salutarem et convenientem juxta regulas Tridentinas mox explicandas. Pœnitentiam quæ præsertim præservativa erat, commutet in pœnitentiam æque præservativam; quod si prior pœnitentia jure naturali necessaria esset ad vitandum peccatum mortale, hanc obligationem tollere non potest confessarius.

§ II.

De qualitate Satisfactionis injungendæ.

132. Satisfactio sacramentalis non est jure divino aut ecclesiastico etiamnum vigente determinata quoad *qualitatem* et *quantitatem*, sed relicta prudenti arbitrio confessarii prout « spiritus et prudentia suggesserit, » juxta regulas a Trid. indicatas (v. n. 125).

Dicendum erit I. Qualis generatim juxta doctrinam Trid. injungenda sit satisfactio sacramentalis; dein II dicendum in specie de variis operibus salutaribus et convenientibus quæ injungi possunt.

I. Juxta doctrinam Trid. injungenda est satisfactio *salutaris* et *conveniens*. Est *salutaris*, si sit *vindicativa*, seu in præteritorum peccatorum vindictam et castigationem, simul et *medicinalis* ac *præservativa*, seu ad infirmitatis medicamentum et novæ vitæ custodiam (v. n. 125). Satisfactio est *conveniens*, si congruens sit relate ad peccatorum qualitatem, gravitatem et numerum nec non pœnitentis *facultatem*, sub qua intelliguntur ejus conditio, sexus, ætas, valetudo, convictus, infirmitas, dispositio spiritualis etc.

133. II. De *variis operibus quæ injungi possunt*.

Inter satisfactiones 1° salutares, Conc. Trid. recenset *jejunium*, *orationem*, *eleemosynam* vel alia etiam *pietatis opera*. Ad *jejunium* referri possunt quælibet corporis et animæ afflictationes, ad *orationem* quilibet actus religionis, ad *eleemosynam* denique omne opus charitatis et misericordiæ spiritualis aut corporalis erga proximum. Tripartitam illam distinctionem non solum adæquatam sed et convenientem esse probat S. Th., suppl. q. 15, a. 3, tribus rationibus: *a)* quia sic subtrahimus aliquid ad honorem Dei ex tribus quæ sola habemus bonis, animæ scilicet, corporis ac fortunæ; *b)* quia tria illa opera excidunt triplicem causam peccatorum; concupiscentiam nempe carnis et oculorum, et superbiam vitæ (1 Joan. II); *c)* quia opponuntur peccatis contra Deum, contra proximum et contra nos ipsos. Cf. Catech. Rom., *de Pœnit.* n. 105 et sqq.

Ad *vindicativam* pœnitentiam referuntur opera pœnalia et afflictiva, qualia in statu naturæ lapsæ plus minusve sunt omnes boni actus (v. n. 122 sub 2°).

Ad *medicinalem* pœnitentiam præsertim referuntur ea quæ peccatorum radices et causas resecant, malos habitus tollunt, cupiditates coercent, quales sunt v. g. actus interni et externi virtutum qui peccatis et naturali propensioni pœnitentis adversantur; in medicatione enim spirituali contraria sæpe contrariis curantur. Unde, ut

hortatur Rit. Rom., confessarius « *contrarias peccatis pœnitentias injungat, veluti avaris eleemosynas, libidinosis jejunia vel alias carnis afflictiones, superbis humilitatis officia, desidiosis devotionis studia. Raro autem vel serius confitentibus vel in peccata facile recidentibus, utilissimum fuerit consulere ut sæpe, puta semel in mense vel certis diebus solemnibus confiteantur, et si expediat, communicent.* »

Ad pœnitentiam *præservativam* referuntur omnes eæ quæ medicinales sunt. Multum autem et semper ad hunc finem conducunt vitatio occasionum, non solum proximarum quas ipsum naturæ jus jubet vitare, sed etiam remotarum, in quantum prudenter fieri potest, nec non praxis orationis et quotidiani examinis circa peccata quæ committi solent. Cf. ea quæ infra habentur de officio confessarii ut medici.

134. Ut satisfactiones sint 2° convenientes, confessarius *pœnitentium facultatis* rationem habere debet.

Hinc 1° non sunt imponendæ pœnitentiæ quas pœnitens propter conditionem suam et adjuncta in quibus versatur, implere non potest sine magno incommodo aut sine offensione v. g. parentum, mariti, heri etc.; vel quas ob repugnantiam prævidetur esse neglecturus, vel quibus timetur retrahendus a frequentiori accessu ad confessionem. Quare generatim imponi non potest pueris ut petant veniam a parentibus aut aliis ob inobedientiam aut furtula. Hinc etiam interdum abstinetur ab iis medicinalibus pœnitentiis injungendis quæ intensius opponuntur peccatis eorumque causis.

2° Spectatis hodiernis moribus et communiori pœnitentium facultate sive spirituali sive corporali, generatim eæ imponendæ sunt pœnitentiæ quæ, non plane semper exclusis actibus *mortificationis* et *eleemosynis*, potissimum consistunt in *oratione vocali* et *variis non insolitis pietatis actibus*; unde utiliter injunguntur preces vocales,

variæ praxes devotionis erga SS. Sacramentum, Passionem Christi Domini, vel erga B M. V. etc. auditio missæ, lectio pia, etc. — S Alph. pro obtinenda castitate commendabat ternam salutationem angelicam mane et vespere recitandam. Quæ recitatio per aliquod tempus prosequenda cum renovatione propositi non peccandi, salubriter injungi potest consuetudinariis in luxuria ; quibus tamen alia etiam imponatur pœnitentia statim implenda. Cf. S. Alph. H. A. XVI, n. 54.

Proderit interdum preces in pœnitentiam impositas accommodare ad peccata efficacius castiganda ac emendanda. Quæ quidem accommodatio fieri potest vel per determinatum *modum* eas exsequendi, v. g. genibus flexis. aut brachiis extensis (quod tamen injungi non debet ubi id insolitum est vel pœnitentem ludibrio exponeret si illud in ecclesia faceret) ; vel per determinatum *tempus*, v. g. mane et vespere, pulsante tentatione, infra consecrationem etc. ; vel per determinatum *locum*, v. g. coram Sanctissimo, coram imagine SS. Cordis Jesu, etc. ; vel maxime per determinatam *intentionem* in expletione pœnitentiæ ; et sic v. g. luxurioso injungi potest oratio *ne* tot homines damnentur quotidie ob luxuriam, *ut* Deo in posterum casto corde et corpore serviat ; blasphematori, oratio *ne* cum domo privetur benedictione cœlesti ; tepido, oratio *ne* misericors Deus eum incipiat evomere ex ore suo ; diffidenti, oratio coram crucifixo, *ut* considerans Dei misericordiam in spem erigatur; iracundo et vindicandi cupido, injungi poterit oratio *pro* inimicis.

135. Disputationes apud plures theologos occurrentes circa *aptitudinem* et *congruentiam* aliquorum operum ut in satisfationem sacramentalem injungantur, breviter sic expedimus :

1° Actus *interni* virtutum possunt in satisfactionem injungi. Actus illi per injunctionem confessarii et acceptationem pœnitentis satis sensibiles fiunt, ut partes sint

sacramenti. Convenienter tamen abstinetur ab injunctione pœnitentiæ mere internæ, v. g. orationis mentalis, patientiæ in infirmitatibus et adversis tolerandis, si, ut facile contingit, anxiandus prævidetur pœnitens circa ejus impletionem.

2° Injungi convenientissime possunt pietatis opera et orationes pro aliis et signanter pro *animabus purgatorii*. Constat ex Cat. Rom. *de Satisf.* n. 79. In hujusmodi pœnitentia fructus satisfactorius ex opere operantis aliis applicatur; pœnitens vero sibi retinet fructum satisfactorium ex opere operato.

3° In satisfactionem imponi possunt *opera aliunde ex præcepto ecclesiastico aut divino debita*. Hæc opera tunc fiunt ex nova obligatione specifice diversa, et insuper virtute clavium elevantur ad dignitatem et efficaciam sacramentalis satisfactionis. Generatim tamen, *nisi adsit justa causa*, injungenda sunt opera supererogatoria; id enim congruit æquitati hujus judicii quoad vindicativæ pœnæ injunctionem. Unde practice semper præsumuntur injuncta fuisse hujusmodi opera, si contrarium non constet ex *verbis confessarii vel ex circumstantiis et communi consuetudine*. Sic jussus simpliciter in satisfactionem semel jejunare, semel audire missam, non satisfacit ea peragendo die jejunii aut dominica. Si vero confessarius injungat ut duas missas audiat in die dominica, satisfaciet pœnitens præcepto Ecclesiæ et confessarii duas tantum missas audiendo; similiter si injungat ut per mensem singulis diebus missam audiat, non tenetur diebus dominicis duas audire. Cf. S. Alph., n. 513.

Dictum est generatim esse injungenda opera superogatoria *nisi adsit justa causa*; qualis esset v. g. cognita pœnitentis repugnantia pro aliis pœnitentiis, vel quando confessio valde magnam pœnitentiam requirit ita ut expedire videatur aliquam saltem partem imponere ex operibus aliunde debitis.

A facultate injungendi opera aliunde jam præcepta

multi cum S. Alph., n. 513, excipiunt opus jam injunctum in satisfactionem sacramentalem, quæ una et eadem non potest pluries imponi in diversiis judiciis sacramentalibus. Alii tamen id negant. Certe pœnitentia prius imposita sic commutari potest ut inserviat pro altera confessione, si pœnitens statim post acceptam absolutionem confitetur peccatum oblitum. Præstat tamen aliquid leve superaddere, et gravis quidem superaddenda est pœnitentia, si post venialia solum confessa in priori confessione, statim in nova confessione mortale peccatum oblitum declaretur.

5° *Sacramentalis confessio* in pœnitentiam injungi potest, si pœnitens prævideatur obtemperaturus, ut communis sententia docet, et ex maxima utilitate confessionis ad præcavendum relapsum colligitur. Sed vix aut nunquam obligari potest pœnitens ut eidem confessario confiteatur, propter periculum vel confessionem prætermittendi vel non integre confitendi.

6° *Ingressus in religionem* et *susceptio ordinis sacri* in pœnitentiam injungi nequeunt, quia omnimodam requirunt libertatem. Idem communius tenetur pro *statu matrimoniali*, quamquam is interdum maxime est consulendus vel etiam urgendus ut remedium necessarium carnalis concupiscentiæ.

7° Confessarius injungere potest pœnitentiam *disjunctive*, unam scilicet vel alteram præcipiendo juxta arbitrium pœnitentis; vel etiam aliquam pœnitentiam *sub conditione relapsus*, v. g. si iterum blasphemas, talem orationem recitabis; sed expedit ut imponatur ad breve tempus, aut ad proximam confessionem, et alia proportionata pœnitentia pro peccatis confessis adjungatur statim implenda (S. Alph. l. VI, n. 524; *Prax. Conf.* n. 13).

8° Pœnitentia *formaliter publica*, quæ nimirum ut talis apparet et peccatum confessum plus minus manifestat, non potest imponi *a)* pro « *peccatis occultis quantumvis gravibus* » (Rit. Rom.); quia esset improportionata et contra bonam famam pœnitentis, et præterea esset aliquo

modo contra sigillum. Nec etiam *b)* imponi potest pro peccatis *publicis*, nisi confessarius pro sacramentali satisfactione intendat imponere opus jure divino aut ecclesiastico absolute requisitum ad publici scandali reparationem. Scandala autem ordinaria solent satis reparari per publicam sacramentorum susceptionem, aut alia pietatis opera manifesta. Alias vero pœnitentias publicas per modum *pœnæ* et publicæ correptionis solus Episcopus pro foro externo imponere potest. Cf. Trid. Sess. XXIV *de Reform.* cap. 8. et S. Alph. l. 6, n. 512.

Pœnitentia solum *materialiter* publica, quæ ita coram aliis fit ut per eam non manifestetur peccatum grave aut peccatum in specie, quia est opus usitatum quod sponte fieri solet, sine dubio imponi potest, v. g. jejunium aliquod, auditio sacri, aliaque pietatis officia etsi manifesta. « Cæterum quæ discretio, quæve ratio habenda rationabilis nonnunquam alicujus pœnitentis expostulationis indicabunt circumstantiæ ; ut si hæc vel illa respectu alicujus in communitate degentis essent extraordinaria, quæ ab aliis ibidem non fiunt. » (Theol. Mechl. *de Sac. Pœnit.* n. 124).

§ III.

De quantitate satisfactionis injungendæ.

136. *Quantitas pœnitentiæ injungendæ debet esse proportionata tum peccatorum gravitati tum pœnitentis facultati, secundum prudentem confessarii æstimationem.* Constat ex Trid. (v. n. 125) et ex Rit. Rom. ubi legitur : « Postremo (confessarius) salutarem et convenientem satisfactionem, quantum spiritus et prudentia suggesserit, injungat, habita ratione status, conditionis, sexus et ætatis, et item dispositionis pœnitentium. »

Infertur : 1° Pro peccatis *venialibus* et *mortalibus jam rite confessis*, levis solum pœnitentia *per se* injungi potest.

Poterit per accidens gravis imponi, *a)* si pœnitens illam desideret, *b)* si pœnitentia gravis præservativa videatur esse medium unicum ad impediendum ne venialia proxime perducant ad mortale peccatum. Sed in illo casu medium istud ex jure naturæ obligaret. Cf. S. Alph. n. 517; Gury-Ball. n. 528.

2° *Seclusa causa excusante*, pro mortalibus nondum directe remissis imponenda est pœnitentia *gravis*, et eo gravior quo atrociora et plura fuerint peccata mortalia. Colligitur ex doctrina Trid. (v. n. 125).

Hinc graviter peccant confessarii qui sine justa causa levissimam pœnitentiam injungendo pro gravissimis delictis, minuunt in pœnitente horrorem peccati et occasionem præbent novis peccatis.

Ea autem pœnitentia gravis est cujus materia correspondet operi sub gravi obligatione ab Ecclesia præcepto; v. g. Litaniæ omnium Sanctorum, quinque decades Rosarii, etc.

Pœnitentia aggravanda est pro peccatorum mortalium majori gravitate et multitudine, non tamen proportione arithmetica aut sensu rigido, sed cum moderatione et spectata pœnitentium facultate.

Pœnitentiæ paullo graviores sunt auditio Missæ, magna eleemosyna, psalmi pœnitentiales, rosarium integrum seu quindecim decades, exercitium viæ crucis, pia meditatio aut lectio spiritualis per dimidiam horam, etc.

Pœnitentiæ multo graviores sunt, v. g. dies jejunii, peregrinatio ad aliquod vicinum sanctuarium, item pœnitentia non ita exigua per aliquod tempus iteranda, etc.

Non sunt tamen imponendæ pœnitentiæ per longum tempus, v. g. per plures menses implendæ, aut multis operibus diversis implicatæ; periculum enim subest illas, negligendi aut obliviscendi. (S. Alph. n. 513). Convenienter autem injungi possunt preces novendiales, aut interdum ad mensem vel proximam confessionem quæ prævidetur non diu differenda, præsertim si preces sunt breviores.

Nota. In delectu et injunctione pœnitentiæ cavere debet sacerdos ne nimium lenis sit, levissima opera injungendo pro peccatis mortalibus, nec nimium rigidus : meminerit sacramentum pœnitentiæ esse potissimum forum misericordiæ in quo præ cæteris intenditur pœnitentis salus et emendatio. In hanc rem ita scribit S. Th. *Opusc.* 85, n. 4 : « Sacerdos non imponat pœnitentiam ita gravem ut pœnitens totam dimittat..... nec ita levem ut contemnat peccatum.... Tamen tutius est imponere minorem debito quam majorem, quia melius excusamur apud Deum propter multam misericordiam quam per nimiam severitatem, quia talis defectus supplebitur in purgatorio » Proinde in dubio an gravior pœnitentia sit obfutura vel non, propendendum est in partem benigniorem.

Dictum est: *seclusa causa excusante*, pro mortalibus imponendam esse pœnitentiam gravem, unde :

137. Quær. *Quænam causæ excusant a gravi vel graviore pœnitentia injungenda ?*

Resp. 1) *impotentia physica* aut *moralis* v. g. ratione *infirmitatis corporalis*, excusat ab injunctione gravioris aut gravis pœnitentiæ peragendæ. Unde ait Rit. Rom. « Meminerit sacerdos *ægris* non esse injungendam gravem pœnitentiam, sed indicendam tantum illam, quam si convaluerint, opportuno tempere peragant. » Itaque graviter decumbentibus injungi possunt actus fidei, spei et charitatis, vel invocatio SS. Nominum, osculum Crucifixi et similia, et si spes adsit convalescentiæ, addatur alia pœnitentia postea implenda. Aliquando etiam, si prudentia suadeat, injungi potest eleemosyna.

2) *Vehemens contritio pœnitentis* excusat a gravioris aut etiam gravis interdum pœnitentiæ injunctione, quia per se debitum pœnæ temporalis minuit, vel etiam, quod tamen raro supponi potest et deprehendi, exstinguit. Idem dicendum de operibus pœnitentialibus ante præstitis.

3) *Indulgentia jubilæi* aut *alia plenaria* quam pœ-

nitens consecutus est aut consequetur, causa est minuendi pœnitentiam, non tamen excusans a pœnitentiæ injunctione (1).

4) *Spiritualis infirmitas pœnitentis* qui timetur pœnitentiam neglecturus, a confessione avertendus, vel leviore pœnitentia ad usum confessionis adducendus, excusat ab injunctione gravioris vel etiam gravis pœnitentiæ. « Tutius est, ait S. Alph. n 509, cum parva pœnitentia, quæ sponte suscipitur et verosimiliter adimplebitur, ducere confessos ad purgatorium, quam cum magna non implenda præcipitare in infernum. » Hujusmodi causa sæpe confessarium excusat ab injungenda pœnitentia quæ gravis sit respective ad peccata commissa ; sed regulariter censet S. Alph. injungendam esse pœnitentiam absolute in se gravem pro culpis mortalibus, exceptis gravi infirmitate aut vehementissima contritione (n. 517, 506).

Propter spiritualem pœnitentis infirmitatem, hoc alterum remedium adhiberi potest, ut injuncto levi opere non aliunde debito, addatur gravis pœnitentia opere aliunde debito implenda, v. g. auditione Missæ die dominica.

Nota. a) Expedit interdum pœnitentem interrogare possitne talem pœnitentiam exsequi, ut confessarius possit, si opus fuerit, illam mutare aut minuere. — *b)* Subinde etiam, quando levior injungitur pœnitentia, expedit eum monere ejus peccata longe majorem mereri, et in memoriam revocare pœnitentias per antiquos canones pœnitentiales determinatas, ne pœnitens ex leviore imposita pœnitentia ansam sumat liberius peccandi, et ut excitetur ad satisfactiones sponte susceptas (2).

---

(1) Plurimi theologi existimant indulgentiam plenariam jubilæi aut aliam excusare ab injunctione pœnitentiæ, quatenus per illam aufertur omne debitum pœnæ temporalis, Verum Ben. XIV (Const. *Inter præteritas*) declaravit nihilominus pœnitentiam esse injungendam ; idem significat Leo XII (in bulla jubiliæi *Charitate Christi*)) rationemque reddit : quia satisfactio est pars sacramentalis pœnitentiæ.

(2) Canones pœnitentiales a Synodis particularibus et ab Episcopis statuti decernebant pœnas pro delictis præsertim publicis, quibus con-

§ IV.

De satisfactionis sacramentalis impletione.

Dicendum I de obligatione, II de modo satisfactionem sacramentalem implendi.

138. I Circa obligationem imponendi pœnitentiam, quær. 1° *An et quanta est obligatio pœnitentiam sacramentalem acceptandi et implendi?*

Resp. Ad 1m Pœnitens pœnitentiam *justam* acceptare tenetur, eamque *rite absolutus* implere nisi adsit *causa excusans*. Colligitur ex potestate ligandi quam exercet confessarius dum injungit pœnitentiam, et ex necessitate integrandi sacramentum.

Dicitur *a)* pœnitentiam *justam;* nam sit fuerit justo gravior aut nimis onerosa, pœnitens aliam rogare potest, et renuente confessario, discedere sine absolutione. Si autem justa fuerit et conveniens, veniale peccatum acediæ est illam recusare et judicium sacramentale abrumpere discedendo sine absolutione. Generatim indulgendum est infirmitati pœnitentis, modo alioquin dispositus sit ad absolutionem.

Dicitur *b*) *rite absolutus;* pœnitens enim sacrilege confessus vel ob quamcumque causam invalide absolutus

---

fessarii pro foro interno tanquam regulis uterentur ad judicandum de gravitate peccati et ad imponendam pœnitentiam. Plurimi canones pœnitentiales referuntur a. S. Alph. n. 530. Paucos heic commemoramus. — Qui sciens pejeraverit, quadraginta dies in pane et aqua et septem annos sequentes pœniteat. — Qui parentibus maledixerit, quadraginta dies pœnitens sit in pane et aqua. — Qui parentes injuria affecerit, tres annos. — Qui opus servile die dominico festove fecerit, pœnitentiam aget tres dies in pane et aqua. — Si laicus solutus cum femina soluta concubuerit, pœnitens erit tres annos, vir solutus, si cum alterius uxore adulterium commiserit, pœnitentiam aget annos septem, et mulier quinque. — Qui incestum fecerit, pœnitens erit annos duodecim.

pœnitentiam implere non debet, quia sacramentum non datur integrandum.

Dicitur *c)* si non adsit *causa excusans* ; nam a præcepto divino integrandi sacramentum excusat impossibilitas physica aut moralis etc. ut mox dicetur.

Resp. ad 2m. Obligatio implendi pœnitentiam est ex genere suo gravis, in qua juxta communiorem sententiam datur levitas materiæ. Proinde *a)* graviter peccat pœnitens, si non impleat pœnitentiam gravem impositam pro peccatis mortalibus prima vice tunc confessis, vel omittat partem notabilem hujus pœnitentiæ aut circumstantiam ex se gravem, multum afflictivam, v. g. extensionem brachiorum sub longiore oratione. Excipiunt tamen plures, si pœnitentia aut circumstantia gravis sub levi tantum obligatione fuisset imposita (v. n. 130). *b)* Venialiter tantum peccat, si omittat pœnitentiam levem, vel gravem impositam pro venialibus aut mortalibus jam directe remissis. Est probabilis plurium theologorum sententia (v. n. 130).

Corollarium practicum. Si pœnitens confiteatur se omisisse pœnitentiam, confessarius *a)* examinare debet an graviter peccaverit omittendo pœnitentiam, *b)* utrum ante absolutionem intenderit pœnitentiam implere vel omittere ; in priore casu, confessio ex hac causa non fuit sacrilega nec repetenda est ; in posteriore vero, si pœnitentia sub gravi imposita fuit, confessio fuit sacrilega ideoque repetenda est, nisi pœnitens excusari possit ob bonam fidem. *c)* Dein perpendat confessarius num expediat commutare pœnitentias quarum pœnitens adhuc recordatur.

139. Quær. 2° *Quœnam causæ excusent ab implenda pœnitentia ?*

Resp. Ab implenda pœnitentia excusant 1° *impotentia physica* aut *moralis*, 2° *oblivio*, 3° *commutatio.*

1° *Impotentia physica* adest quando pœnitens absolute non potest pœnitentiam exsequi ; *moralis* vero *a)* quando pœnitentia multo jam difficilior et onerosior facta

est quam dum imposita fuit, ita ut confessarius rationabiliter censeri debeat non habuisse animum obligandi in hujusmodi adjunctis ad ejus impletionem ; vel *b)* quando injuncta pœnitentia prohibetur a legitimo superiore intra ambitum suæ potestatis agente, ut si uxori, filio familias, prohibeantur frequentes ecclesiæ visitationes, repetita jejunia etc.

De quo argumento ita scribit Suarez, d. 30, s. 1, « si (pœnitentia) fuit juste imposita, postea vero pœnitens factus est impotens, vel suborta est sufficiens causa quæ illum excuset, tunc habet locum interpretatio qua declaretur eum non teneri ad illam implendam. Idem dicendum si constet clavem a principio errasse et injustam pœnitentiam imposuisse. « In utroque autem casu necesse non est commutationem pœnitentiæ petere ; nam, ut ait Suarez, quia obligatio cadit in talem actum vel materiam, et ille actus jam non est moraliter possibilis vel conveniens, cessat obligatio. Ad periculum tamen hallucinationis vitandum in propria causa, convenit exquirere concilium confessarii.

Nota — a) Impotentia potest esse vel *perpetua* et tunc penitus extinguit obligationem pœnitentiæ ; vel *temporalis*, et tunc eam solum suspendit quousque durat impotentia. *b)* Si pœnitentia sit *divisibilis*, implenda est pars quæ moraliter certo impleri potest et in qua salvatur ratio seu finis præceptæ pœnitentiæ ; et ita, si quis excusetur ab aliqua circumstantia operis, plerumque obligabitur ad substantiam operis ; hoc enim regulariter intendit confessarius. Utrum pœnitentia sit divisibilis nec ne, æstimandum est ex intentione confessarii, et ratione, fine et materia pœnitentiæ, ex judicio prudentum et ex communi usu. Cf. Tract. de legibus.

140. 2° Altera causa excusans est *oblivio*, sive *pœnitentis* qui non recordatur pœnitentiæ injunctæ, sive *confessarii* qui oblitus est illam injungere.

1) Pœnitens sive culpabiliter sive inculpabiliter oblitus pœnitentiæ præsertim gravis injunctæ, hanc a confessario requirere debet, si illum merito præsumat pœnitentiæ adhuc memorem et commode adire possit ; sin aliter, pœnitentia censetur impossibilis. Consultum tunc est, non tamen præceptum, ut pœnitens subroget opera injungi solita, vel in proxima confessione pœnitentiam aliquam expostulet. S. Alph. n. 520, Gury *Cas. Consc.* n, 527.

2) Si confessarius oblitus est pœnitentiam injungere, juxta plures tenetur pœnitens a confessario quærere pœnitentiam, modo id facere possit absque gravamine aut confusione, et infra tempus adeo breve ut moraliter censeatur perseverare judicium sacramentale, v. g. post mediam horam, vel etiam post unum alterumve diem, aut longius adhuc tempus; variant enim sententiæ in determinatione illius temporis. Juxta alios vero, pœnitens absolutus qui a tribunali pœnitentiæ discessit, non tenetur redire ad confessarium ; quia tunc completum est judicium, et pœnitentiæ injunctio est jam impossibilis. Quæ sententia probabilis est et tuta (v. n. 131).

141. Tertia causa excusans ab impletione pœnitentiæ, est *commutatio pœnitentiæ*, seu substitutio alterius pœnitentiæ loco prioris, cujus obligatio proinde cessat.

Probabilius tamen potest pœnitens redire ad primam pœnitentiam, quia uti non debet favore commutationis, et talis præsumitur esse confessarii commutantis intentio.

142. II. *De modo implendi satisfactionem.*

Quæstio respicit tum circumstantiam temporis quo pœnitentia implenda est, tum varias circumstantias seu conditiones requisitas in opere injuncto tanquam pœnitentia.

Quær. 1°. *Quo tempore pœnitentia sit implenda ?*

Resp. 1°. Pœnitentia non debet impleri *ante absolutionem*. Constat ex doctrina Sedis Apostolicæ: Sixtus IV a. 1478 damnavit propositionem Petri Oxomen. sub. n. 5 :

« *Non sunt absolvendi pœnitentes nisi peracta prius pœnitentia eis injuncta.* » Dein Alex. VIII, Clemens XI et Pius VI damnarunt oppositam doctrinam Jansenianam et Pistoriensem (1). Probatur etiam ex antiquissima praxi Ecclesiæ (2).

Hinc confessarius non potest cogere pœnitentem ad pœnitentiam implendam ante absolutionem, nisi forte per accidens, si pœnitens prævideatur secus pœnitentiam neglecturus, vel si, ut constare possit de pœnitentis dispositione, præstandum quidpiam ab eo sit quod confessarius insuper in pœnitentiam injungit.

Resp. 2° Pœnitentia implenda est tempore a confessario *determinato*, — vel *quamprimum commode* fieri potest, si nullum fuerit determinatum. Hoc enim exigit præceptum confessarii in priore hypothesi, in altera vero id postulat integritas sacramenti et rationabilis intentio confessarii judicis et medici.

Notandum. 1) Tempus ordinarie determinatur ad urgendam et regulandam obligationem, non vero ad illam finiendam, et circumstantia temporis non est principaliter intenta ; proinde obligatio tempore præfixo neglecta perdurat (3). Ex quo sequitur dilationem hujus modi pœnitentiæ esse communiter tantum venialem, nisi pœnitentia statim implenda absolute necessaria fuerit ad præcavendum gravem relapsum (v. n. 120), vel pœnitentia diutius differatur aut ex dilatione notabiliter diminuatur.

2) Si nullum tempus determinatum fuit, dilatio pœnitentiæ *graviter obligantis* est peccatum mortale, si ex gravi negligentia sine justa causa ad *longum tempus* differatur pœnitentia. In definiendo longum istud tempus, variant theologi inter hebdomadam et annum. Juxta S. Alph. dilatio per sex menses reputanda est gravis, non vero dilatio

---

(1) Cf. Denziger, Enchiridion symbolorum et definitionum.

(2) Wirceburgenses, *de Sac. pœnit.* n. 239.

(3) Sporer, de *Sac. pœnit.* n. 577.

per mensem, nisi pœnitentia sit medicinalis cujus dilatio inducat proximum periculum relapsus (l. 6, n. 521, H. Ap. XVI, n. 57). Nihil igitur certi affirmari potest, et in praxi considerandæ sunt circumstantiæ, et specialiter an pœnitentia hic et nunc necessaria sit ad præcavendum peccatum, an ex dilatione oriatur periculum oblivionis vel subsecuturæ impotentiæ ad illam implendam.

141. Quod spectat 2°. conditiones seu circumstantias requisitas ex parte *operis* in pœnitentiam injuncti :

1° Præcepto confessarii et integritati sacramenti satisfit, quamvis pœnitentia impleatur in *statu peccati mortalis*, vel *cum peccato actuali etiam mortali*, modo substantia operis injuncti non exigat statum gratiæ, v. g. communio, vel tollatur per peccatum mortale. Communis est sententia contra aliquos (v. s. Alph. n. 522). Ratio est, quia per se loquendo ad legem implendam sufficit ut fiat vel omittatur id quod lege præcipitur aut prohibetur, et modus operandi in gratia vel finis intentus a legislatore non cadit sub lege.

Pœnitentia tamen in statu peccati mortalis impleta, non habet effectum suum ex opere operato, durante illo statu, sed probabilius illum postea habet, si obex peccati removeatur per recuperatum statum gratiæ. Cæterum finis pœnitentiæ est étiam punitio peccatorum.

Existimant plures veniale esse peccatum, si pœnitentia in statu peccati impletur, quia obex ponitur alicui effectui sacramentali ; negat autem De Lugo, d. 25, s. 2, et hæc sententia haud improbabilis habetur, eique favere videtur fidelium persuasio. Cf. S. Alph., n. 523 ; Gury-Ball n. 529, q. 5.

Peccatum veniale commissum in pœnitentiæ impletione, minuit sed non tollit illius efficaciam.

2° Probabilior sententia requirit ut opus a confessario injunctum fiat ex *intentione implendi satisfactionem sacramentalem*. Ratio est, quia opus istud non potest

esse pars scramenti, nisi pœnitentis intentione ad sacramentum integrandum referatur. Hæc intentio juxta alios debet esse *virtualis ;* juxta alios vero sufficit *habitualis* quam habuit pœnitens acceptando pœnitentiam et quæ perseverat nisi fuerit revocata ; quare satisfieri dicunt si quis de pœnitentia nihil cogitans opus injunctum ex devotione perficit ; nemo enim censetur liberalis nisi liberatus (S. Alph. H. A XVI n. 52).

Altera multorum sententia, præcepto pœnitentiæ sacramentalis, sicut cuilibet legi, satisfieri docet si opus injunctum, perficiatur abque intentione implendæ pœnitentiæ, modo tamen opus non applicetur pro alia re cujus satisfactio sit impossibilis cum impletione pœnitentiæ. Hanc sententiam ut probabilem habent Lugo et S. Alph. l. c. Nec etiam desunt graves theologi qui satisfieri existimant quamvis adsit intentio non satisfaciendi (1).

3° Pœnitentia sacramentalis per ipsummet pœnitentem persolvenda est ; illius enim actus sunt quasi materia sacramenti. Constat etiam ex prop. 15 ab Alex. VII damnata: *pœnitens propria auctoritate substituere sibi alium potest qui loco ipsius pœnitentiam adimpleat.* » Excipe nisi confessarius id expresse concedat ; quo tamen casu non opus ab altero peractum, sed actus pœnitentis procurantis operis exsecutionem, tenet locum satisfactionis formalis (s. Alph. l. 6, n. 526). Excipe etiam si agatur de eleemosyna quæ etiam manu alterius dari potest, nisi contrarium edixerit confessarius.

4° Pœnitentia sacramentalis exequenda est *modo a confessario prescripto*, v. g. genibus flexis, et brachiis expansis. Gravitas autem vel levitas hujus obligationis pendet a majore vel minore gravitate modi præscripti, ejusque

---

(1) Quæstionem de intentione requisita nec-ne in impletione pœnitentiæ tractant Sanchez *in Dec.* l. c. 13, Lugo de *pœnit* d. 35, S. 3 ; S. Alph. H. A. XVI, n. 52 ; Lehmkulh de *Sac pœnit.* n. 358 ; Gury *Cas. Cons.* t. 2 n. 519 ; Haine *Elem. th. mor.* Quæst. 66.

necessitate ad substantiam et finem injunctæ pœnitentiæ, tum etiam ab intentione confessarii.

5º Quando modus implendi pœnitentiam non est præscriptus a confessario, arbitrio relinquitur pœnitentis, qui eam implere potest juxta usum Ecclesiæ et praxim fidelium : et sic alternatim cum sociis recitari potest rosarium.

Preces in pœnitentiam impositæ recitari possunt sub missa de præcepto, nisi aliter expresse statuerit confessarius. Si injunctæ fuerunt duæ missæ audiendæ, illæ successive non autem eodem tempore sunt audiendæ, quia talis præsumitur mens confessarii.

PARS TERTIA.

De ministro sacramenti pœnitentiæ.

Disputabitur primum de ministro legitimo sacramenti pœnitentiæ ; dein de qualitatibus seu dotibus in illo requisitis ; demum de ejus officiis seu obligationibus.

CAPUT I.

DE MINISTRO LEGITIMO SACRAMENTI PŒNITENTIÆ.

142. Legitimus minister, qui valide possit ministrare sacramentum pœnitentiæ, est *sacerdos* habens *jurisdictionem ordinariam* aut *delegatam* in pœnitentem.

Dicendum igitur I de requisita potestate ordinis sacerdotalis, II de requisita potestate jurisdictionis.

ART. I.

De requisita potestate ordinis sacerdotalis.

143. *Solus sacerdos est legitimus sacramenti pœnitentiæ minister — non omnis tamen sacerdos.*

Prima pars de fide definita est Conc. Trid. Sess. XIV, can. 10 (1) : « Si quis dixerit... non solos sacerdotes esse ministros absolutionis, sed omnibus et singulis fidelibus esse dictum... Quorum remiseritis peccata etc... anathema sit. » Cf. ibid. cap. 1 et 6.

Probatur ex S. Scriptura. Verbis Christi, Joann. XX: « *Quorum remiseritis*, etc. solis Apostolis eorumque in sacerdotio successsoribus, Episcopis nempe et sacerdotibus etiam secundi ordinis quaoad hoc ministerium, collatam fuisse potestatem clavium, manifestum est ex perenni traditione et usu Ecclesiæ orientalis et occidentalis. Hujus traditionis testes sunt Patres universi (2) et omnes liturgiæ et libri pœnitentiales, ut videre est apud Bellarm.

2ª Pars propositionis ex eo probatur quod præter potestatem ordinis requiratur potestas jurisdictionis, de qua illico dicetur.

Ad solutionem difficultatum sequentia notamus :

a) Verba Jac. V, 16 : « *Confitemini alterutrum peccata vestra*, » intelligenda sunt vel de aliqua confessione generica aut specifica facienda humiliationis aut consilii petendi

---

(1) Wiclefistæ et Waldenses potestatem absolvendi a peccatis tribuebant cuilibet laico probo, et Lutherus cuilibet fideli, cum hic ultimus contenderet absolutionem nihil aliud esse quam declarationem remissionis peccatorum. Morinus et Edm. Martene existimarunt Ecclesiæ veteris consuetudinem fuisse ut in necessitate diaconi quoque absolutionem impertirent.

(2) S. Ambr. *de Pœnit.* l. 1, c. 2 : *Jus hoc* (ligandi scilicet et solvendi) *solis est permissum sacerdotibus.* « S. Leo. *Epist.* 91, *Indulgentia Dei non nisi supplicationibus sacerdotum potest obtineri.* » S. Chrys. *de Sacerdotio*, l. 3, c. 5, ad commendandam dignitatem sacerdotum, inde argumentum petit quod iis data sit potestas peccata remittendi.

causa, quæ etiam laico fieri potest ; vel de confessione facienda non soli Deo, sed hominibus Dei vicariis, seu sacerdotibus qui potestatem habebant in peccata ; vox enim *alterutrum* intelligenda est secundum substratam materiam.

b) Reconciliatio peccatorum diaconis commissa a S. Cypriano, intelligenda non est de sacramentali reconciliatione, sed de altera cæremoniali, qua peccatores post publicam pœnitentiam reconciliabantur Ecclesiæ. Cf. Ben. XIV, *de Syn.* l. VII, c. 16.

c) Media ætate consuetudo inducta erat, ut in casu necessitatis, deficiente sacerdote, quis etiam laico, præsertim vere diacono, peccata sua confiteretur humilitatis causa, et ut se disponeret ad contritionem. Qui tamen usus sæc. XIV cœpit sensim remitti et tandem obsolevit. Inde vero audaciores quidam diaconi sibi potestatem absolvendi arrogaverint. Theologi confessionem hanc media ætate frequentatam commendantes vel etiam præcipientes, simul docent eam non esse sacramentalem, cujus excipiendæ jus soli sacerdoti vindicant. Cf. S. Th., supp. q. 8, a. 2, 4 (1).

144. SCHOLION. In ordinatione sacerdotali, duplex confertur potestas, altera, uti sæpe dicitur, *in corpus Christi reale*, seu potestas consecrandi et offerendi sacrificium ; altera vero *in corpus Christi mysticum*, seu potestas absolvendi a peccatis. Quamvis prior possit absolute loquendo stare et valide accipi sine posteriori, non tamen e contra posterior sine priori ; essentia enim sacerdotii assumitur per ordinem ad oblationem sacrificii. Ex voluntate igitur

---

(1) De hoc more suo tempore vigente laicis interdum confitendi inquit S. Th. ibid. : « Quando necessitas imminet, debet facere pœnitens quod ex parte sua est, scilicet conteri et confiteri cui potest : quia quamvis sacramenta tum perficere non possit ut faciat id quod ex parte sacerdotis est, absolutionem scilicet, nihilominus confessio laico ex defectu sacerdotis facta sacramentalis est quodammodo, quamvis non sit sacramentum perfectum, quia deest ei id, quod est ex parte sacerdotis. »

Christi, quæ constat ex perpetua Eclesiæ traditione, potestas absolvendi recipi non potest nisi præsupposita potestate consecrandi, vel certo simul cum illa. Duæ illæ potestates separatim Apostolis a Christo concessæ fuerunt ; utrum et dein per sacerdotalem ordinationem separatim aut conjunctim conferantur, pendet a quæstione disputata de una aut duplici materia ac forma sacramenti ordinis. Sententia probabilior et hodiedum communior, tenet utramque potestatem simul et conjunctim conferri, et adæquatam materiam et formam sitam esse docet in sola manuum Episcopi impositione cum oratione ei correspondente.

ART. II.

De requisita potestate jurisdictionis.

145. Potestas jurisdictionis quoad sacramentum pœnitentiæ seu in foro interno sacramentali, consistit in potestate judiciaria in subditum, ad quam spectat causam seu peccata juridice cognoscere, sententiam judicialem ferre remissionis vel retentionis, et obligationem pœnitenti imponere (1). Potestas jurisdictionis divitur in *ordinariam* et *delegatam*. Hæc posterior essentialiter prærequirit *approbationem* seu authenticum testimonium de aptitudine sacerdotis ad audiendas confessiones, si agatur de confessione sæcularium et monialium.

---

(1) Potestas *jurisdictionis*, seu simpliciter jurisdictio, si universim spectetur, est potestas dirigendi et efficaciter urgendi actiones fidelium in finem supernaturalem. Triplex distinguitur ejus species : *legislativa*, *judiciaria* ac *coactiva*, et exercetur vel in *foro externo* in quo actiones fidelium considerantur quatenus referuntur ad Ecclesiasticam societatem ; vel in *foro interno* quod considerat actiones fidelium quatenus referuntur ad Deum. Hoc autem forum internum est vel *pœnitentiale* seu sacramentale, quod exercetur in sacramento pœnitentiæ, vel est *extra-pœnitentiale*. — Potestas *ordinis* est principium operativum alicujus effectus sacramentalis ex vi ordinis susceptum et indelebiliter existens in homine. Cf. tractatum Juris Canonici, et Theol. de Ecclesia et de Ordine.

Dicendum igitur I de necessitate jurisdictionis, II de jurisdictione ordinaria, III de requisita approbatione, IV de jurisdictione delegata.

§ I.

De necessitate jurisdictionis.

146. *Ad validam absolutionem præter potestatem ordinis, requiritur in ministro potestas jurisdictionis in pœnitentem.*

« Doctrina catholica est quam tradit Trid. sess. XIV cap. 7, inquiens: « Quoniam natura et ratio *judicii* illud exposcit, ut sententia in subditos dumtaxat feratur ; persuasum semper in Eclesia Dei fuit, et verissimum esse Synodus hæc confirmat, *nullius momenti alsolutionem eam esse debere, quam sacerdos in eum profert in quem ordinariam aut subdelegatam non habet jurisdictionem.* » Idem jam tradiderat Conc. Flor. dicens: « Minister hujus sacramenti *est sacerdos habens auctoritatem absolvendi vel ordinariam vel ex comissione superioris.* » Pius VI, in Const. *Auctorem fidei*, damnavit contrariam doctrinam quam a jansenianis mutuata erat Synod. Pistor., ut *falsam, temerariam, erroneam et Trident. contrariam.*

Necessitatem jurisdictionis Conc. Trid. colligit ex divina institutione sacramenti ad modum *judicii*, quod in subditum dumtaxat exerceri potest, adeoque necessario jurisdictionem in judice expostulat (1).

---

(1) De hoc argumento ita scribit Lugo : « Quare sicut ex eo quod sacramentum matrimonii includat contractum humanum, subit conditiones contractuum, atque ad ejus valorem requirit habilitatem contrahentium, quæ tolli aut poni potest ab Ecclesia : sic hoc sacramentum quia judicium quoddam est, requirit superioritatem et subditos, qui ab Ecclesia dari vel auferri possunt. Unde verba Christi licet universaliter videantur sonare potestatem, eo tamen ipso quod datur potestas absolvendi subditos per modum judicii, intelligitur data res-

Corollaria :

1° Jurisdictio in pœnitentem *jure divino* necessaria est ad valorem absolutionis, hæc enim est sententia judicialis, ad quam requiritur auctoritas in subditum.

2° Potestas ordinis et jurisdictionis a se invicem distinctæ sunt, et una sine altera consistere potest : *a)* potestas ordinis simul cum charactere confertur ritu sacramentali sacerdotalis ordinationis, facitque ut sententia judicialis absolutionis sit causa efficiens remissionis peccatorum et gratiæ sanctificantis ; potestas vero jurisdictionis confertur per commissionem seu concessionem sive immediate a Deo respectu Rom. Pontificis, sive ab Ecclesia respectu aliorum sacerdotum, et consistit in potestate judicandi et obligandi subditos, seu in assignatione subditorum. *b)* Potestas ordinis *æqualiter* confertur cuilibet ordinato, *immutabilis* est et *indelebilis* ; potestas vero jurisdictionis non datur omnibus sacerdotibus, nec æqualiter tribuitur, nec immutabilis est, sed augeri potest vel minui, et limitari per casuum reservationem, vel etiam penitus auferri. *c)* Potestas ordinis annexa est characteri sacerdotali, potestas vero jurisdictionis conferri etiam potest non ordinato; et ita parochus institutus nondum sacerdos jurisdictionem fori interni habet, quamquam eam cum effectu exercere nequit ob defectum potestatis ordinis ; utraque enim potestas necessaria est et una alteram complet.

3° Potestas jurisdictionis non confertur a Deo in ipsa ordinatione ; secus enim omnes sacerdotes ordinati acciperent æqualem jurisdictionem, et deesset in Ecclesia hierarchica subordinatio qualem Christus Dominus instituit. Nec obstant verba Joan. XX: *Accipite Spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata...*, etc. quibus Apostolis collata est com-

---

pectu subditorum qui legitimi subditi sint. In aliis vero sacramentis quæ non exercentur per modum judicii, non pendet eorum valor a prohibitione vel permissione Ecclesiæ quia valide exercentur etiam circa non subditos. » (*De pœnit.* disp. 15, s. 2.)

pleta potestas absolvendi, et quæ etiam repetuntur in ordinatione sacerdotis ; etenim *a)* Christus Apostolis conferendo potestatem ordinis, simul universalem potestatem tribuit jurisdictionis eos in mundum mittens universum; hæc autem non transivit ad alios, si Romanum Pontificem Petri successorem excipias, sed eis per Ecclesiam communicatur. *b)* Similia verba in ordinatione sacerdotum occurrentia non spectant probabilius ad collationem potestatis remittendi peccata, sed ad ejus dumtaxat declarationem; et si referantur ad ipsam collationem potestatis, per illa verba confertur potestas ordinis, ad cujus validum exercitium requiritur potestas jurisdictionis in foro interno.

4° Jurisdictio etiam requiritur pro absolutione a venialibus, ut declaravit Innoc. XI, a. 1679, et pro absolutione a mortalibus iterato confessis ; nam absolutio semper est actus judicialis ad quem necessaria est jurisdictio.

§ II.

De jurisdictione ordinaria fori interni.

147. Jurisdictio ordinaria fori interni pœnitentialis ea est quæ jure annexa est muneri, officio aut beneficio ecclesiastico. Hæc igitur jurisdictio acquiritur per acceptationem istius muneris, officii aut beneficii legitime collati, amittitur per illius amissionem, et præterea quoad validum ejus usum impeditur per excommunicationem et suspensionem nominatim et publice denuntiatam. (Cf. Tractatum *de censuris*).

148. Quær. *Quinam habeant jurisdictionem ordinariam fori interni pœnitentialis.*

Resp. 1°. Romani Pontifices immediate a Christo acceptam habent ordinariam jurisdictionem fori tam interni quam externi in universam Ecclesiam.

2° Episcopi confirmati habent ordinariam jurisdictionem fori tam interni quam externi in diœcesim sibi assignatam seu in suos diœcesanos. Quamquam juris divini est, ut variæ partes Ecclesiæ Episcopis tanquam ordinariis pastoribus regendæ committantur, singuli tamen Episcopi in commissam sibi diæcesim jurisdictionem suam immediate a Romano Pontifice accipiunt, eaque ab illo quoad peccata et personas restringi potest.

Jurisdictio ordinaria Episcopi transit in capitulum, sede vacante, et dein in electum vicarium capitularem. Vicarius generalis vi officii ab Episcopo collati, jurisdictionem accipit ordinariam aut quasi-ordinariam ab Episcopo tamen dependentem.

3° Prælati inferiores quasi episcopali jurisdictione pollentes, ordinariam utriusque fori jurisdictionem in suos subditos habent a Romano Pontifice acceptam.

4° Canonicus *pœnitentiarius*, ubi pœnitentiaria in officium erecta est, vi officii sui a jure habet jurisdictionem ordinariam fori interni pœnitentialis in omnes diœcesanos, quos etiam extra diœcesim valide absolvere potest. Hæc jurisdictio per se non comprehendit casus ab Episcopo aut a Rom. Pont. reservatos.

5° Parochi vi officii ab Episcopo iis collati, ab ipso jure communi accipiunt ordinariam fori interni pœnitentialis jurisdictionem in suos parochianos, restrictam tamen per reservationem Pontificiam et Episcopalem. Cf. Ben. XIV, *de Syn. diœc.* l. 5, c. 4.

Nota. Qui ordinariam habent jurisdictionem fori pœnitentialis suos subditos ubique locorum valide absolvunt. Unde Episcopus et parochus etc., extra diœcesim et parochiam suos respective subditos, seu diœcesanos et parochianos valide absolvunt (S. C. C. 3 Dec. 1797). Rectus tamen ordo postulat ut in aliena ecclesia confessiones non excipiantur sine licentia parochi vel rectoris ecclesiæ, quod quidem ad liceitatem solum requiritur. Diœcesanus autem et parochianus quis constituitur per domicilium

aut quasi domicilium in diœcesi vel parochia. Ad extraneos absolvendos opus est jurisdictione delegata. Vagi tamen ex interpretatione juris sortiuntur parochum loci in quo actu commorantur.

6° Prælati generales ordinum regularium apud quos existit propria jurisdictionis potestas, immediate a R. Pontifice accipiunt ordinariam utriusque fori jurisdictionem in suos subditos, nimirum in professos, novitios et in suos vere familiares. Prælati autem Regulares inferiores jurisdictionem ordinariam in suos respective subditos accipiunt a præ'atis superioribus juxta cujuscumque ordinis constitutiones.

§ III.

De requisita approbatione.

149. Jure antiquo Ecclesiastico non requirebatur aliqua ordinarii approbatio ad accipiendam et exercendam jurisdictionem delegatam; verum jure novo Conc. Trid Sess. XXIII cap. 15 decretum est: « nullum etiam regularem, posse confessiones *sæcularium*, etiam sacerdotum, audire, nec ad id idoneum reputari, nisi aut *parochiale beneficium habeat*, aut ab *Episcopis* per examen, si illis videbitur necessarium, aut alias idoneus judicetur, et *approbationem* quæ gratis detur, obtineat, privelegiis et consuetudine quacumque, etiam immemorabili non obstantibus. »

Infertur : 1° Parochi beneficium parochiale habentes, ipso jure censentur approbati, nec ulteriori Ordinarii egent approbatione, ad valide ubique locorum absolvendum suos parochianos. Præterea in parochia sua absolvere possunt subditos aliarum parochiarum, non vero extra illam, sine approbatione (1). Solent tamen Ordinarii parochis

(1) De facultate quam habent Episcopi parochos ad examen revocandi, v. Decreta S. C. C. 15 Jan. 1667 et 22 Sept. 1868; Ben. XIV *de Syn. Diœc.* l. 13, c. 9.

approbationem et jurisdictionem tribuere plus minusve extensam extra parochiæ limites, sive per totam diœcesim, sive per aliquam ejus partem (1).

2° Jure Tridentino approbatio est conditio essentialiter requisita ad jurisdictionem delegatam recipiendam et excercendam pro audienda confessione *sæcularium* non item *regularium*, pro quibus tamen perpendendæ sunt constitutiones Pontificiæ.

3° Approbatio definiri potest : *authenticum Episcopi testimonium de idoneitate sacerdotis ad audiendas confessiones.* Idoneitas tam scientiam respicit quam vitæ probitatem aliasque qualitates requisitas ad digne munus confessarii explendum. Episcopus examen exigere potest non tamen tenetur, modo adsit judicium prudens de idoneitate.

4° Approbatio formaliter differt a collatione jurisdictionis, et sine ea stare potest, v. g. in approbatione confessarii qui jurisdictionem accipit a Romano Pontifice. Sed juxta hodiernam disciplinam inductam per decretum Trid. de necessitate approbationis, Episcopi pro suis diæcesanis sacerdotem approbantes, simul eidem conferunt jurisdictionem, nisi contrarium expresse declarent. Unde approbatio sæpe sumitur pro jurisdictionis concessione.

Distinctius jam dicendum de approbatione requisita ad confessionem I sæcularium, II regularium et monialium.

---

(1) In diœc. Brug. juxta decretum cong. prosyn. a. 1868, decani approbantur et jurisdictionem accipiunt pro tota diœcesi ; parochi, vicepastores cæterique confessarrii tam sæculares quam regulares approbati tantum sunt et jurisdictione instructi pro decanatu in quo ministerium exercent, et pro communitatibus (*communautés civiles*) alterius decanatus, si quæ sint suæ conterminæ, nisi in litteris suæ jurisdictionis ampliorem jurisdictionem acceperint. Etiamnum tamen licet parochis omnes confessarios etiam simpliciter approbatos pro aliqua parte diœceseos admittere ut in suis respective parochiis confessiones excipiant, quoties de excipienda confessione sacerdotis agitur aut etiam personæ alicujus laicæ graviter decumbentis et alii confiteri renuentis.

150. I. *De approbatione ad audiendas confessiones sæcularium.*

1° Omnibus presbyteris etiam *Regularibus*, qui ordinariam jurisdictionem non habent, necessaria est Episcopi approbatio, ad audiendas *sæcularium* confessiones, et ad eos etiam a venialibus *valide* absolvendos. — Colligitur ex Conc. Trid. et diserte asseritur in Const. Innoc. XII « *Cum sicut* » ; Innoc. XI « *Cum ad aures* » et Ben. XIV « *Apostolica indulta* » a. 1744.

2° Approbatio quæ requiritur, obtinenda est ab *Episcopo loci* in quo excipitur confessio. Constat ex Const. Urbani VIII a. 1628, et Innoc. XII a. 1700. Rejiciendæ igitur sunt opiniones veterum aliquot Doctorum qui requirebant approbationem Episcopi vel *pœnitentis* vel *confessarii* (v. S. Alph. l. 6, n. 548).

Hinc confessarius, etiam regularis, approbatus in una diœcesi non potest valide absolvere in alia diœcesi cujus Ordinarius eum non approbavit.

3° Requiritur approbatio *actu concessa* et *signo aliquo declarata*. Non sufficit igitur consensus Episcopi interpretativus vel futura ratihabitio sperata. Concessa autem approbatio declarari potest vel scripto vel verbo, vel alio exteriore signo actualem consensum significante ; ipsum etiam silentium interdum poterit esse signum sufficiens præsentis consensus, ut si Ordinarius sciens aliquem sacerdotem non esse approbatum, ipsum videt confessiones excipientem, nec contradicit ubi facile contradicere potest. (S. Alph. n. 570).

Quamquam ad validam absolutionem sufficere videtur, si certo sciatur approbationem litteris conscriptam jam esse transmissam, aut nuntio a sacerdote misso significatam, tamen ad liceitatem actus necesse est per se ut approbationis concessio ipsimet confessario significata fuerit. Cf. Sanchez *de mat.* l. 3, d. 36, n. 2, 6, 8 ; S. Alph. l. 6, n. 570; Gury n. 541.

4° Approbatio ab Episcopo dari potest vel *illimitata*, vel *limitata* quod *locum*, *tempus* vel *personas*. Limitatio

vel revocatio approbationis semper valida est; justa autem causa requiritur ad licitam revocationem (S. Alph. l. b, n. 551), et quædam restrictiones Regularium exemptorum approbationi licite apponi non possunt, vel non nisi ob justam causam (1).

151. II. *De approbatione ad audiendas confessionis Regularium.*

Distinguamus oportet inter Regulares viros et feminas seu moniales.

1° Presbyteri *Regulares* ordinis vel exempti vel habentis superiores cum proprie dicta potestate jurisdictionis, sine prævia approbatione Episcopi licite et valide absolvunt *viros professos* sui ordinis, item ejus *novitios* ac *vere familiares*, qui nimirum monasterio actu inserviunt, intra claustra habitant et sub Regularium obedientia vivunt saltem ratione famulatus perpetuo suscepti.

Ratio est quod Conc. Trid. solum loquatur de confessionibus sæcularium, et non immutaverit antiquam disciplinam circa confessiones regularium. Eorum igitur confessarii regulares approbantur et jurisdictionem accipiunt

---

(1) Si Episcopus regularem prævio examine reperit generaliter idoneum, tenetur ei concedere approbationem illimitatam, seu sine ulla restrictione quoad tempus, personas et loca (Const. *Superna* Clementis X). — Si prævio facto examine, non reperitur generaliter idoneus, regulari satis idoneo et cum licentia superioris petenti approbationem, tenetur concedere approbationem quam juxta suum arbitrium limitare potest. — Episcopus in approbatione data regularibus non potest excipere *tempus paschale*, nec infirmorum confessiones in eorum domibus, nec statuere potest has confessiones excipi non posse sine prævia parochi licentia (v. Ben. XIV de Syn. l. 9, cap. 16). Sed si infirmus, alia sacramenta suscipere debeat, confessarius regularis parochum de excepta confessione certiorare debet : sufficit autem certioratio per scripturam apud infirmum relinquendam (Const. *superna* Clem. X; Bened. XIV, l. c. et l. XI. cap. 14). De suspensione Regularis approbati et de revocatione vel restrictione approbationis ante concessæ, et de facultate Regularem approbatum ad examen vocandi, Cf. Gury, *de Pœnit.* n. 557 sqq.

a suis prælatis ordinariis a quibus legitime deputantur ad excipiendas confessiones subditorum.

Sub *novitiis* non comprehenduntur *tertiarii* in propriis domibus viventes, nec sub *vere familiaribus* comprehenduntur *alumni convictores in collegiis Regularium*. Plures quidem opinantur confessarios Regulares suos alumnos convictores posse absolvere sine Episcopi approbatione, quia privilegia quibusdam ordinibus concessa censentur omnibus Regularibus communicata (1). Verum privilegia illa non respiciunt exemptionem ab Episcopi approbatione, sed immunitatem a quibusdam juribus parochialibus (2). Quare hæc sententia non videtur probabilis.

Nota 1*)*. Exceptis quibusdam casibus, non possunt Regulares stricte dicti valide confiteri confessario qui ad eorum ordinem non pertinet. Casus excepti sunt: *a)* quando superior Regularis id permittit, et sic implicite jurisdictionem tribuit; *b)* quando Regularis legitime a suo monasterio absens, non habet socium sui ordinis cui confiteri possit; *c)* tempore jubilæi. — Porro, in casu *a* et *b*, plures non requirunt approbationem (S. Alph. n. 575). Sed sententia conformior decretis Sed. Apost. eam requirit, Episcopi quidem loci, si confessarius sit sæcularis; si vero confessarius sit Regularis alterius ordinis, sufficere videtur illum a suo superiore esse approbatum, quamquam tunc etiam consulenda est Episcopi approbatio (3). Tempore autem jubilæi, solent Pontifices in bulla Jubilæi requirere approbationem Episcopi loci pro confessariis tam regularibus quam regularibus.

---

(1) S. Alph. l. 6, n. 583; Gury, *de Pœnit.* n. 564; Lehmkuhl, *de Pœnit.* n. 396.

(2) *Mélanges théol.* série 2 et 4.

(3) Pius IX in Brevi 27 Sept. 1852, concessit fratribus Capuccinis sive laicis sive sacerdotibus propter legitimam causam extra conventum suum morantibus, si in loco non sit cœnobium vel hospitium, et copiam *unius sacerdotis confratris tantum* habeant, facultatem confitendi sacerdoti sæculari ab Ordinario approbato, vel alteri sacerdoti regulari approbato a superiore sui ordinis.

Nota 2). Religiosi *conventuum suppressorum*, si in communitate non vivunt, confiteri possunt cuilibet sacerdoti ab Ordinario diœcesis approbato, et idem possunt quamvis in communitate vivant, si in ea non reperiantur saltem quatuor confessarii proprii ordinis. (S. C. Ep. et Reg. 3 Julii 1861).

Nota 3). Regulares etiam *ad tempus sæcularisati*, debent confiteri confessariis approbatis ab Ordinario diœcesis, a quibus in actu sacramentali confessionis absolvi poterunt etiam a censuris et casibus reservatis in suo ordine, si in diœcesi reservati minime sint. (S. C. Ep. et Reg. 27 Aug. 1852).

152. 2°. Ad valide excipiendam confessionem *monialium*, etiam exemptarum et Regularibus subjectarum, cuilibet confessario tam regulari quam sæculari, necessaria est approbatio Episcopi loci, et quidem approbatio *specialis*, seu pro monialibus accepta, si excipienda sit confessio monialis habentis vota solemnia vel saltem clausuram pontificiam. — Constat ex Const. *Inscrut.* Greg. XV. et *Superna* Clem. X.

Nec approbatio pro uno monasterio valet pro monialibus alterius monasterii ; excipe tamen si monialis tempore jubilæi uti velit facultate per bullam jubilæi ei concessa eligendi confessarium ab Ordinario loci approbatum pro monialibus ; tunc enim eligere potest confessarium approbatum sive pro monialibus in genere, sive etiam pro aliquo solum monasterio, juxta multorum sententiam (1).

De confessario tum ordinario tum extraordinario deputando pro istis monialibus, et de licentia iis concessa vel concedenda alteri interdum confitendi, cf. Tract. de Regularibus (2).

Nota. Quamvis necessitas approbationis specialis solum

---

(1) Cf. *Traité Canonique du Jubilé*, J. Loiseaux.

(2) *Juris Canonici compendium*, n. 632 ; Gury nn. 565-569.

respiciat moniales habentes vota solemnia vel saltem clausuram Pontificiam, solent tamen Ordinarii locorum pro aliis etiam monialibus et pro congregationibus religiosis feminarum, requirere approbationem specialem sive pro liceitate, sive etiam interdum pro valore confessionis (1).

§ IV.

De jurisdictione delegata.

Jurisdictio delegata ea est, quæ non ex vi proprii officii habetur, sed ex mera commissione obtinetur superioris ordinariam habentis jurisdictionem. De delegata jurisdictione inquirendum est I. Quinam in genere possint jurisdictionem delegare ; II. Quomodo jurisdictio delegata obtineatur ; III. A quonam superiore in specie accipiatur jurisdictio in pœnitentem ; IV. Quandonam jurisdictio ab Ecclesia suppleatur ; V. Quandonam cesset jurisdictio delegata.

153. I. *Quinam possunt delegare jurisdictionem ?*

Resp. 1°. Romani Pontifices jurisdictionem delegare possunt in omnes Christi fideles per totum mundum dispersos.

2° Ordinarii locorum, nec non Prælati Regulares

---

(1) Cf. Statuta diœces. Brug. Pars I, Tit. VI, Art. VII, IX. Ibi etiam decernitur quandonam moniales alteri confessario quam ordinario et extraordinario possint confiteri. Qua quidem in re attendendum est Decretum S. C. Episc. et Reg. 17 Dec. 1890 ubi legitur sub IV. « Sanctitas sua Præsules superioresque admonet, ne extraordinarium denegent subditis confessarium, quoties ut propriæ conscientiæ consulant ad id subditi adigantur, quin iidem superiores ullo modo petitionis rationem inquirant aut ægre id ferre demonstrent, etc.. Ordinarios exhortatur, ut in locis propriæ Diœceseos, in quibus mulierum communitates existunt, idoneos sacerdotes facultatibus instructos designent, ad quos pro sacramento pœnitentiæ recurrere eæ facile queant. »

ordinariam jurisdictionem habentes, jurisdictionem delegare possunt in suos respective subditos.

3° Parochi, utpote jurisdictione fori interni erga suos parochianos pollentes, olim jurisdictionem delegabant ad audiendas confessiones suorum parochianorum ; principium enim generale est eos qui jurisdictionem habent ordinariam posse delegare. Verum inde a Conc. Trid. requirente approbationem Episcopi ad validum exercitium jurisdictionis delegatæ, consuetudo obtinuit ut Episcopi conjunctim et uno eodemque actu approbationem concedant et jurisdictionem. Quare inutilis jam facta est potestas parochi ad delegandam jurisdictionem, et practice ad usum jam non deducitur. Sub hodierna igitur Ecclesiæ disciplina *jurisdictio fori interni ab iis solum delegatur qui ordinariam fori externi habent jurisdictionem.* Formula vero in litteris jurisdictionis addi solita *de consensu*, vel *de licentia parochi* aut *quorum interest,* nisi contrarium expresse declaretur, intelligenda tantum est de modo quodam ex æquitate servando ut in alienis ecclesiis *licite* excipiantur confessiones (Gury, n. 553).

4° Qui delegata tantum fori interni jurisdictione potiuntur, eam delegare non possunt, nisi facultatem acceperint subdelegandi ; quo casu jurisdictio censetur subdelegata nomine primario delegantis.

154. SCHOLION. Romanus Pontifex, Episcopi et Prælati quasi episcopalem jurisdictionem habentes, possunt jurisdictionem in suos subditos delegatam restringere seu limitare quoad *tempus*, *locum*, *personas* et *peccata*, ita ut absolutio ab inferioribus ministris sine speciali facultate impertita, non modo illicita sed et invalida sit. — Constat ex Conc. Trid. Sess. XIV, cap. 8, et Const. Innoc. XIII. *In suprema.* Ratio quoque theologica id evincit ; omnis enim jurisdictio necessaria ad valorem absolutionis communicatur a Summo Pontifice in Episcopos et alios ordinariam potestatem habentes, et ab Episcopis, etc. communicatur in alios

presbyteros; communicatio autem jurisdictionis divisibilis est et majorem vel minorem extensionem habere potest. Unde constans et universalis est praxis Ecclesiæ, jurisdictionem sæpe limitare quoad *tempus, locum* (v. n. 149), *personas* (v. n. 152), præsertim vero quoad *peccata*, per casuum reservationem. Solent enim Romani Pontifices pro universa Ecclesia, et Episcopi pro sua diœcesi, *per casuum reservationem*, quæ est restrictio jurisdictionis in subditos, sibi reservare atrociora quædam crimina. (Conc. Trid. Sess. XIV, cap. 7). Finis istius reservationis est « *christiani populi disciplina*, » ut ait. Trid ibid., ut nimirum deterreantur magis homines ab illis peccatis quorum remissio difficilior est, et efficacius peccatores dirigantur ac corripiantur. De casibus istis reservatis ex professo disseritur in tract. de peccatis et censuris Rom. Pontifici et Episcopo reservatis.

Omnium strictissima est restrictio jurisdictionis, qua quilibet confessarius, extra mortis periculum, privatur jurisdictione ad absolvendum complicem suum a peccato luxuriæ in quo fuit particeps (Ben. XIV, Const *Sacram. Pœnit.*). Et ex Const. *Apost. Sed.* Pii IX, excommunicatione Rom. Pontif. *specialiter* reservata, ipso facto plectuntur sacerdotes « *absolventes complicem in peccato turpi, etiam in mortis articulo, si alius sacerdos, licet non approbatus ad confessiones, sine gravi aliqua exoritura infamia et scandalo, possit excipere morientis confessionem.* »

155. II. *Quo modo jurisdictio delegata obtinetur?*

1° Jurisdictio delegata obtinetur vel *directe* et *immediate*, quando sacerdoti sine ullo intermedio tribuitur jurisdictio ; vel *mediate* et *indirecte*, quando alicui facultas tribuitur confessarium eligendi ; hac enim electione facta, jurisdictio confessario electo conceditur per eum qui eligendi dedit facultatem.

2° Jurisdictio utroque modo a theologis delegari dicitur vel *ab homine*, vel *a jure*, vel *a consuetudine*.

Jurisdictio delegatur *a*) ab *homine*, quando superior personali actu jurisdictionem tribuit sive immediate sive mediate. Ad valorem absolutionis requiritur delegatio *actu concessa et exterius declarata*, sive expresse, verbo aut scripto; sive tacite, per signa quæ præsentem consensum superioris, seu delegationem declarent (cf. supra dicta de approb. n. 150 sub 3°).

Jurisdictio delegatur *b)* a *jure*, quando in jure seu in legibus et decretis Ecclesiæ sacerdotibus conceditur jurisdictio aut cuipiam tribuitur facultas eligendi confessarium.

Denique delegari dicitur *c)* a *consuetudine*, quando sciente et tacente superiore, usus obtinet ut sacerdotes jurisdictionem fori interni exerceant. Notandum namque est consuetudinem nude et materialiter sumptam non posse jurisdictionem tribuere; hæc enim a competenti auctoritate delegari debet; sed consuetudo ostendere potest consensum superioris in jure quidem non expressum, vere tamen præstitum et continuatum quamvis solum tacite.

156. III. *A quonam superiore obtinetur jurisdictio in pœnitentem?*

Distinguendum inter confessarios *Regulares* et *sæculares*, et inter confessiones *regularium* virorum aut *monialium* et *sæcularium*. Generalis autem principii loco teneri potest, delegatam jurisdictionem ab eo accipiendam esse qui ordinariam jurisdictionem habet in pœnitentem.

1° Confessarii *regulares* stricti dicti ad audiendam confessionem *sæcularium*, jurisdictionem *a Romano Pontifice* accipiunt per ordinis proprii prælatos. Ita communior sententia. Possunt et de facto solent Regulares etiam ab Episcopo approbante accipere jurisdictionem in ejus diœcesanos, et cum hac jurisdictione, invitis suis superioribus, illicite quidem sed tamen valide sæcularium confessiones excipierent (1). Regulares, ita statuente jure Pontificio, non

(1) V. Acta S. Sedis. vol. I, p. 283; Gury n. 563.

possunt absolvere a casibus Episcopo reservatis, sine hujus licentia. Clem. X in Bulla « *Superna* ».

2° Confessarii tam *regulares* quam *sæculares* pro confessione virorum *regularium exemptorum*, eorumque *novitiorum et vere familiarium*, accipiunt jurisdictionem ab eorum Prælatis, juxta cujusque Ordinis constitutiones. Episcopus tamen potest etiam dare jurisdictionem ad absolvendum eorum vere familiares, ac etiam novitios, nisi in constititutionibus Ordinis adsit decretum irritans legitime approbatum.

3° Ad valide excipiendas confessiones *monialium stricte dictarum* quæ clausuram Pontificiam habent et prælatis sui Ordinis subjectæ sunt, confessarii, juxta communiorem sententiam, jurisdictionem accipiunt ab istis prælatis. Attamen approbatio confessarii ab Episcopo obtinenda pro istis confessionibus, nonnullis videtur simul esse concessio jurisdictionis, ut colligitur ex responso S. C. Episc. et Reg. a. 1790, quo validæ decernuntur confessiones istiusmodi monialium factæ, invito prælato, apud confessarium ab Episcopo approbatum (1). Cf. Tract. de Regularibus.

Pro confessionibus aliarum monialium, nec non religiosarum in communitate viventium quæ vota habent simplicia perpetua vel temporanea, per se loquendo obtinenda est jurisdictio ab Episcopo loci in quo domicilium aut quasi domicilium habent.

4° Ad excipiendas confessiones *sæcularium*, confessarii sæculares ab Episcopo loci approbante, accipiunt jurisdictionem in ejus diœcesanos.

Peregrini autem qui *extra propriam suam diœcesim* confitentur, ubique valide absolvuntur ex consuetudine universali a multo tempore jam existente ; quæ consuetudo indicium est consensus saltem taciti seu licentiæ saltem implicitæ Ordinarii unde electo confessario jurisdictionis delegatio accedit. Et quidem,

---

(1) Anal. juris pont. série 8 col. 2170.

1) Confessarii *Regulares* in diœcesi ubi approbati sunt, peregrinos absolvunt ex jurisdictione a Sum. Pontifice. accepta (Fagn. in c. *omnis utriusqus sexus,* n. 79). Decernit etiam Clemens X pro casibus Episcopo reservatis « posse regularem confessarium in diœcesi in qua est approbatus, confluentes ex alia diœcesi a peccatis in ipsa reservatis, non autem in illa ubi idem confessarius est approbatus, absolvere, nisi eosdem pœnitentes noverit in fraudem reservationis ad alienam diœcesim pro absolutione migrasse. » *(Const. Superna).*

Quod vero spectat 2) confessarios *sæculares,* controvertitur undenam illis obtingat jurisdictio. Triplex datur sententia : *a)* Alii jurisdictionem repetunt a *Summo Pontifice*, qui consentiendo in universalem consuetudinem, tribuit confessariis approbatis facultatem absolvendi peregrinos (v. S. Alph. n. 588). Verum multi censent Summum Pont. non velle tunc independenter a consensu Episcopi, conferre jurisdictionem; et ex iis plures censent *b)* jurisdictionem repetendam esse ab *Episcopo loci* in quo confessiones excipiuntur ; quia Ecclesia tales peregrinos in foro interno subjicit potestati hujus Episcopi, ut colligitur ex declaratione Eug. IV. Hæc opinio inter recentiores communior videtur (v. S. Alph. n. 588 sq.). — *c)* Alii vero cum sententia apud vetustiores theol. communi, existimant jurisdictionem repetendam esse ab *Episcopo proprio pœnitentium*, qui consentiendo ut peregrinantes confiteantur confessario approbato quem elegerint, eidem jurisdictionem confert; hæc enim delegari debet ab eo qui in pœnitentem habet stricte dictam ordinariam jurisdictionem (Gury-Ball. 575, 573).

6° *Capellani militares*, extra mortis periculum, milites in *præsidiis* degentes absolvere non possunt sine speciali facultate S. Sedis, vel licentia et approbatione accepta ab Episcopo loci (S. C. C. b. mart. 1644) ; sed eos in *itinere* et in *castris* ubique absolvere possunt ex tacito consensu Episcoporum, ut patet ex consuetudine

universali (S Alph. n. 577; Gury. n. 556). Summis exercitus capellanis amplissimæ interdum a Sede Apost. conceduntur facultates (Ben. XIV, Brevi « *Quoniam* » 28 Maii 1746).

7° Ab absolvendos *navigantes in mari*, extra mortis periculum, requiritur et sufficit approbatio accepta ab Episcopis locorum unde naves solvunt, ita ut sacerdotes sic approbati, itinere perdurante, secum navigantium confessiones valide et licite excipere valeant, usque dum perveniant ad locum ubi alius superior ecclesiasticus jurisdictione pollens constitutus sit (S. C. O. 29 Mart. 1869). (1).

8° « Si periculum mortis immineat, *approbatusque desit confessarius*, *quilibet* sacerdos a *quibuscumque* pec- et *censuris* absolvere potest. » Ita Rit Rom. *de Sac. pœnit.* Et Trid. Sess. XIV. cap. 7. agens de absolutione a reservatis per confessarium communi solum jurisdictione instructum, ita decernit: « Pie admodum, ne hac occasione aliquis pereat, in Ecclesia Dei semper custoditum fuit, ut *nulla sit reservatio in articulo mortis*, atque ideo *omnes sacerdotes* quoslibet pœnitentes *a quibusvis peccatis et censuris* absolvere possunt. » Confessarii igitur alias non approbati tunc accipiunt jurisdictionem ab Ecclesia seu a Rom. Pontifice.

Dicitur 1) si « *periculum mortis immineat* » et « *in articulo* mortis » his auten verbis comprehenditur quodcumque grave mortis periculum prudenter existimatum, quale adesse censetur in morbo periculoso, in partu difficili, etc. (S. Alph. n. 561).

Dicitur 2) « *quilibet sacerdos* »; quare omnis sacerdos, etiamsi intrusus, hæreticus, schismaticus, excommunicatus vitandus, deficiente alio, valide absolvit, et ab eo licite petitur absolutio, modo desit periculum perversionis, et publicum scandalum.

---

(1) Cf. Lehmkuhl. *de pœn.* n. 386; Villada *Cas. Consc.* P. 3. cas. 6, Brux. 1887; *Nouvelle Revue Théol.* t. 17 et 19.

Dicitur 3) « a *quibusque censuris et peccatis* » ; nulla enim est reservatio in articulo mortis. Absolutus tamen vi istius concessionis a *censuris reservatis,* saltem a *speciali modo* Rom. Pont. reservatis, tenetur, si convaluerit, adire superiorem ejus mandata excepturus, idque juxta communem sententiam, sub pœna reincidentiæ. Hæc tamen reincidentia a nonnullis in dubium vocatur vel etiam negatur (1). Ab onere adeundi superiorem liberatur pœnitens absolutus per sacerdotem qui aliunde v. g. ab Ordinario facultatem accepit ab istis censuris absolvendi in articulo mortis (2) ; excipienda tamen excommunicatio in attentatam absolutionem complicis ; tunc enim postea remanet recurrendum ad S. Pœnitentiariam, vel ad Ordinarium, si fieri potest sine læsione sigilli.

Dicitur 4) « *si approbatus desit confessarius ;* » Unde

157. Quær. 1°. *An sacerdos non approbatus possit in periculo mortis absolvere, etiam præsente confessario approbato ?*

Resp. 1°. Omnes conveniunt sacerdotem alias non approbatum posse in articulo mortis absolvere, *a)* si confessarius approbatus non vult confessionem excipere, vel *b)* est excommunicatus aut suspensus ; vel *c)* complex pœnitentis in peccato turpi, tunc enim, sepositis aliis incommodis, iste complex tenetur locum cedere sub pœna excommunicationis ; *d)* si approbatus superveniat, incæpta jam confessione, et probabiliter *e)* si pœnitens non possit sine magna difficultate confiteri approbato (S. Alph. nn. 562-563 ; H. Ap. Tr. XVI, n. 93),

Resp. 2°. Seclusis memoratis adjunctis, dissentiunt theologi. *Prima sententia communior* sacerdoti non approbato negat facultatem absolvendi, præsente approbato.

---

(1) Cf. S. Alph. l. 7. n. 87; Gury. Ball. t. 2 n. 576 ; Bucceronni *de censuris,* n. 60, 93, et v. tractatum de censuris

(2) V. *Instruct. pro confess.* in Diœc-Brug. n. 26.

Ratio est, quia Rit. Rom. et Cat. Rom. (p. 2, c. 5, n. 55) restringunt ad casum quo deest confessarius approbatus, et in hunc sensum refertur a Giraldi declaratio S. C. C. (1), et quia non adest tunc necessitas spiritualis. Ab hac sententia putat S. Alph. non esse recedendum (l. VI, n. 562).

Altera sententia affirmat, quia verba Trid. universalia sunt nec ullam restrictionem apponunt. Quam sententiam defendunt plures et graves theologi, adeo ut Lugo qui alioquin primam sententiam præfert, de altera hac sententia scribat « certe sententia quam tot et tam graves doctores tenent, negari non potest, quin sit probabilis, præsertim cum fundatur in verbis Trid., quæ non facile explicari possunt ab adversariis. » Hanc etiam ad minus ut probabilem tuetur Gury-Ball. t. 2. n. 551. Hujus sententiæ patroni verba Rit. Rom. et Cat. Rom. referunt ad morem ex convenienti et ex æquo servandum. Argumentum tamen quod deducunt in patrocinium suæ sententiæ ex Trid., non videtur firmissimum ; quia ibidem, ut liquet ex particula causali « *et ideo* » agitur de confessariis simpliciter approbatis, quibus per sublationem omnis reservationis in articulo mortis, tribuitur facultas absolvendi a quibuscumque peccatis et censuris reservatis.

Quær. 2°. *An confessarius simpliciter approbatus possit in articulo mortis absolvere a peccatis et censuris reservatis, præsente confessario habente facultatem ?*

Resp. *Affirmative*, juxta sententiam communem, si agatur de peccatis reservatis sine censura, et etiam, juxta communiorem, si agatur de censuris reservatis (2). Ratio est,

---

(1) *Exp. juris pont.* p. 2, c. 19, n. 2.

(2) Quæstioni sibi propositæ 24 Oct. 1873 : « Confessor simplex, præsente alio facultatem habente, in periculo mortis directe et sine admonitione de obligatione adeundi Superiorem, si convalescat, absolvit peccata cum censuris reservatis, judicans se habere hanc facultatem

quia in mortis articulo nulla est reservatio, ut ait Trid. Præstat tamen confiteri confessario qui, aliunde quam ex Trid. concessione, pollet facultate absolvendi a censuris reservatis, ut tollatur necessitas adeundi superiorem ejusve delegatum, post restitutam forte sanitatem (v. n. 156).

158. IV. *Quandonam Ecclesia supplet jurisdictionem.*

Inquirunt Theol. an Ecclesia suppleat jurisdictionem A. quando jurisdictio est *mere existimata*, seu *ex errore* existimatur adesse, quin a parte rei adsit ; B. quando jurisdictio est *dubia* ; vel C. solum *probabilis*.

Ad harum quæstionum solutionem, quædam sunt prænotanda :

1) Ecclesia dicitur *jurisdictionem supplere*, quando Ecclesia, seu Rom. Pontifex extraordinarie jurisdictionem alias deficientem confert ad singulas confessiones, seu in ipsa actu confessionis. Quare jurisdictio suppleta opponitur jurisdictioni antecedenter ad confessionem et ut plurimum habitualiter habitæ.

2) Jurisdictio mere existimata ea est quæ in loco ubi excipitur confessio *erronee* et *bona fide* existimatur adesse in confessario. Error autem est *communis*, id est omnium aut fere omnium vel *particularis*, seu paucorum tantum.

3) Error communis est vel cum *titulo colorato*, vel *sine titulo colorato*. Titulus jurisdictionis in genere est actus superioris quo jurisdictio ordinaria vel delegata conceditur. Dicitur *coloratus* seu habens speciem seu colorem veri tituli, quando collatus subjecto jure divino habili a superiore legitimo, invalidus est propter substantialem defectum *occultum*, vel *a*) in *concedente*, vel *b*) in *recipiente*,

---

a Tridentino, et quia multi viventes theologi hoc idem docent. — Quæritur utrum confessor inquietandus et reprehendendus sit. » Sacra Pœnit. respondit 21 Nov. 1873 : « *Orator consulat probatos auctores.* » Cf. S. Alph. n. 563, ubi hanc facultatem negat, saltem si agatur de censura Episcopali ; Gury, n. 579.

v. g. propter irregularitatem excommunicationem ; vel *c*) in *forma concessionis*, v. g. si simonia intercesserit.

4) Jurisdictio dicitur proprie seu stricte *dubia*, quando est negative dubia, seu quando in neutram partem potest intellectus determinari per judicium positivum et probabile, sed suspensus est et anceps. Dicitur *probabilis*, dum intellectus ob graves rationes potest ferre probabile judicium de existentia jurisdictionis, quamvis cum formidine oppositi. Hujusmodi opinatio sæpe dicitur dubium positivum.

159. His prænotatis, quær. A. *An Ecclesia suppleat jurisdictionem, quando ex errore existimatur confessarium habere jurisdictionem ?*

Resp. 1°. Ecclesia certo supplet jurisdictionem tam ordinariam quam delegatam, si *error sit communis* in loco ubi excipitur confessio, et simul adsit *titulus coloratus*. Est sententia communis ; unanimiter enim censent theologi legem romanam *Barbarius de off. præt.* receptam fuisse ab Ecclesia in foro etiam interno, ob commune animarum bonum, ne innumeræ animæ in sua bona fide pereant aut gravissimis crucienter anxietatibus.

Valide igitur absolvit sacerdos cujus jurisdictio occulte revocata fuit ante tempus in litteris jurisdictionis inscriptum. Graviter tamen prohibitum est uti titulo solum colorato et errore communi, ad impertiendam aut recipiendam absolutionem (1) ; nonnulli tamen existimant id licitum esse si gravis urgeat causa (2).

Resp. 2°. Si *error sit communis* sed *sine titulo colorato*, disputatur inter theologos. *Prima sententia* negat Ecclesiam jurisdictionem supplere ; ne detur ansa impiis sacerdotibus se fingendi confessarios. S Alph. ait hanc

---

(1) Lemhkuhl *de Sac. Pœnit.* n. 396.

(2) Tamburini *de Pœnit.* l, 5, s. 8 ; Juris. can. comp. n. 120 ; Bonal. *de Sac. Pœnit.* n. 328.

sententiam esse communiorem (n. 572), illamque olim secuta videtur S. C. C. (1).

Altera sententia, plurium etiam DD., tenet jurisdictionem suppleri ab Ecclesia ; quia eadem ratio boni communis heic urget ac in præcedente hypothesi. Hanc sententiam dicit S. Alph. merito ut *probabilem* haberi a pluribus, et *probabiliter* dici non esse obligandos fideles ad repetendas confessiones factas confessario qui ex communi errore confessarius legitimus reputabatur (l. VI, n. 572).

3° Si nec titulus coloratus adsit nec error communis, sed error sit tantum *particularis*, seu *paucorum*, communis est sententia Ecclesiam non supplere jurisdictionem ; quia id non exigit bonum commune ad quod attendit provisor generalis, præsertim cum qui errore particulari laborant, possint ab aliis facile instrui de defectu jurisdictionis in aliquo confessario.

160. Quær. B. *An liceat sacerdoti absolvere cum jurisdictione dubia ?*

Resp. Cum jurisdictione stricte seu *negative dubia*, non licet *per se* sacerdoti absolvere ; quia objicitur sacramentum periculo nullitatis et pœnitens damno gravi. Dico *per se*, quia *per accidens*, scilicet in necessitate gravi id licitum est ; v. g. si urgeat præceptum annuæ confessionis ; si pœnitens nequeat, citra infamiam, omittere celebrationem vel communionem ; si sacerdos teneatur celebrare ex obligatione, etc. (S. Alph. n. 571) ; tunc autem absolutio

---

(1) S. C. C. interrogata « an PP. Capuccini qui in Patavina diœcesi confessiones exceperant sine licentia Episcopi illius diœcesis, valide absolvissent, quia aliqui ex his erant in aliena diœcesi approbati, alii vero ab Episcopo Patavino ad annum, sed jam elapsum » respondit : « Illicite et invalide confessiones excepisse ; sed non esse inquietandos illos, qui bona fide confessi sunt. Attamen si ipsi confessi hoc resciverint, vel de invaliditate confessionis dubitaverint, eosdem teneri reiterare confessionem. » 11 Dec. 1683. Cf. Ben. XIV *Inst.* 84.

danda est sub conditione tacita vel expressa ; et plures etiam censent onus superesse postea confitendi peccata alteri certam jurisdictionem habenti, nisi reperiatur priorem confessarium veram habuisse jurisdictionem. Attamen S. Alph. ibid. ait : « Probabiliter censent Suarez et Salm., in iis casibus pœnitentem non teneri ad confessionem, sed tantum ad contritionem. »

Nota exemplum jurisdictionis stricte dubiæ haberi v. g in confessario qui non recordatur certum tempus acceptæ facultatis, atque ideo hæret suspensus an illud jam elapsum sit ; vel in eo qui non recordatur an aliquod peccatum sit reservatum, pro quo facultatem non haberet.

161. Quær. C. *An liceat sacerdoti absolvere cum jurisdictione probabili ?*

Resp. Cum jurisdictione probabili absolvere licet, modo opinio sit vere probabilis gravi ratione fulcita et auctoritate. Est sententia *communis* quæ a gravissimis theologis dicitur *tutissima* et *moraliter certa*. Ratio est, quod doctrina communis et inde consequens praxis universalis, indicet tacitum consensum superioris, adeoque tacite suppletam jurisdictionem, si forte hæc antecedenter deerat. Quare confessarius tunc absolvit practice et certitudine reflexa certus se habere jurisdictionem ; ruit ergo adversariorum objectio deducta ex damnato ab Innoc. XI usu opinionis probabilis in ministratione sacramenti. Suarez in casu *consulit* ut adeatur confessarius certam habens jurisdictionem, nisi aliqua causa gravis vel rationabilis urgeat. S. Alph. autem istius modi causam requirit ad licitum usum jurisdictionis probabilis ; quia nulla accedente justa causa, non censetur Ecclesia velle connivere meræ libertati sacerdotis. (1) Hæc restrictio, si theoretice consideretur, opponitur communi doctrinæ; si

(1) Cf. S. Alph. l. v. n. 573, ubi tres sententias recenset et illarum patronos ; Gury Ball. n. 549.

autem practice, vix inducit differentiam ; nam ut justæ causæ habentur : si pœnitens istius confessarii auxilio indigeret, si confessarius timeret ne pœnitens apud alium confessarium sacrilege confiteretur, si post inceptam jam confessionem dubium oriatur de jurisdictione circa unum alterumve peccatum, etc.

Nota. Multi DD. docent Ecclesiam solum jurisdictionem supplere in probabilitatate *juris*, seu quando opinio probabilis respicit communem quæstionem *juris controversam*, non vero in probabilitate tantum *facti privati*, v. g. si solum probabile est jurisdictionem huic sacerdoti concessam esse vel nondum cessasse (1). Quare in hujusmodi dubio positivo *facti* dicunt abstinendum esse ab absolutione, nisi causa gravis urgeat ad dandum absolutionem dubiam (v. Quær. B).

Alii tamen universim docent Ecclesiam supplere, nec distinguunt inter probabilitatem juris et facti (2).

162. V. *Quandonam cessat jurisdictio delegata.*

Jurisdictio delegata (et approbatio) cessat :

1° per lapsum temporis pro quo concessa fuit. Excipe, si confessio incæpta fuerit ; tunc enim jurisdictio durat quousque absolvatur pœnitens. S. Alph. n. 559.

2° per revocationem sacerdoti denuntiatam, quæ semper valida est, quamvis fieret sine causa et illicite (3) ;

3° per censuram qua quis efficitur *vitandus* (v. Jus. can. *de Cens.)*.

Disputatur an hæretici, schismatici, quando notorii

---

(1) Less. de *jure et just*. l. 2., c. 28, n. 67 s. g Reuter, *theol. mor.* p. IV, n. 53; S. Alph. l. VI, n. 432. Lehmkuhl, *de sac. pœnit*, n. 388, d'Annibali t. 1. n. 78 ; Berardi, Praxis conf. n. 1053.

(2) Bonac. Tamb. (v. La Croix *theol. mor.* l. v, n. 118) ; Gury. *casus consc.* t. 2, n. 550.

(3) Notandum Decretum Illust. Episcopi in Congreg. prosyn. a. 1868, circa cessationem jurisdictionis parochorum, vicepastorum, coadjutorum qui ad alium locum quovis titulo transferuntur vel qui officio suo renuntiant. Cf. *Jur. can. comp.* n. 490, 520.

sunt, non tamen nominatim denuntiati nec vitandi, ratione hæreseos et schismatis priventur jurisdictione quam antea habebant. Certum est communicationem in divinis cum ipsis generatim esse prohibitam, et vix unquam, prout notat Ben. XIV, *de Syn.* l. VI, c. 5, accidere potest ut in praxi sit innoxia catholicorum cum hæreticis in divinis communicatio.

Censura quamvis notoria, si propter eam non efficitur quis vitandus, non privat jurisdictione, idque propter bonum commune et utilitatem fidelium. Censurati tamen tolerati illicite absolvunt, nisi necessitas urgeat, aut a fidelibus legitime requirantur. Cf. tract. *de censuris.*

4° Jurisdictio delegata et approbatio non cessat per mortem Ordinarii aut aliam ejus amotionem ab officio, nisi data sit pro casu particulari per rescriptum gratiæ faciendæ ad arbitrium confessarii, et confessio nondum incepta sit. Plures quidem dicunt eam etiam cessare, si concessa fuerit « *ad beneplacitum nostrum* » ; sed ex praxi, quæ attendenda est, sæpius perdurare censetur, idque conforme est responso S. C. Ep. et Reg. 19 Jun. 1866.

CAPUT II.

DE DOTIBUS SEU QUALITATIBUS CONFESSARII.

163. Præter potestatem ordinis et jurisdictionis et debitam intentionem, quæ necessariæ sunt ad validam sacramenti pœnitentiæ administrationem, plures requiruntur in confessario dotes seu qualitates ad *licite* et fructuose pro salute animarum explendum illud ministerium, quod arduis sæpe implicatur difficultatibus.

Eo respiciunt dotes confessarii, ut digne exerceat quadruplex suum munus *patris*, *medici*, *doctoris* et *judicis*. Præcipuæ qualitates exprimuntur duplici hoc versu :

« Sit pius et fortis, patiens et amore repletus.
Sit doctus confessor, prudens atque fidelis. »

S. Th. op. 63, *de Officiis sacerdotum*, qualitates confessarii revocat ad *bonitatem*, *scientiam* ac *prudentiam*, quarum necessitatem etiam urget Rit. Rom.

Requiritur quoque *observantia decretorum Ecclesiæ* de modo accidentali sacramentum pœnitentiæ ministrandi.

164. Requiritur I. *bonitas*. Hæc complectitur 1° *immunitatem ab omni censura et irregularitate* ; hæc enim per se impediunt licitam sacramenti pœnitentiæ administrationem. V. Tract. *de Cens.* et *de Irregul.*

Complectitur 2° *statum gratiæ* ; sacerdos enim, si peccati mortalis sibi conscius absolvit, grave sacrilegium committit, et, juxta communiorem sententiam quam S. Alph., l. VI, n. 36, veriorem existimat, tot sunt peccata numero distincta quot sunt absolutiones ; quia quælibet absolutio est judicium completum et ab alio distinctum. Opinantur tamen nonnulli unum solum numero peccatum committi a confessario, qui continuata et non moraliter interrupta sessione plures absolvit. Cf. de Lugo. *de Pœn.* d. 16, s. 14 ; Gury, t. 2, n. 211.

Proinde sacerdos peccati mortalis sibi conscius, tenetur confiteri vel perfecte conteri, antequam sacramentum pœnitentiæ ministret.

Bonitas requisita in confessario complectitur 3° *virtutes huic muneri maxime necessarias*. Inter quas potissimum recenseri debent sequentes :

a) Charitas cum zelo animarum, *mansuetudo* et *patientia*. Confessarii enim, ut ait S. Amb., sunt *vicarii amoris Christi*, et prout monet Leo XII, « confessarius indutus viscera misericordiæ Christi Jesu,... *studiose*, *patienter et mansuete* cum peccatoribus agere debet. » Sedulo igitur cavebit confessarius ab *impatientia*, et præsertim a *duritie*, quibus onus confitendi multum aggravatur et facile deterreri potest pœnitens ab integritate confessionis. Cavebit

etiam a *præcipitantia*, qua, omissis interrogationibus ac monitis necessariis vel utilibus, absolutio æquo citius datur aut negatur (1).

b) Castitas eximia, ne confessarius semetipsum et pœnitentem in periculum peccati inducat.

c) Fortitudo, ut nec ex respectu humano, nec ex pusillanimitate officio suo desit confessarius.

165. Ad *licite* excipiendas confessiones requiritur II. *scientia quæ sufficiens sit ad prudens judicium ferendum in foro sacramentali.* Colligitur ex natura sacramenti pœnitentiæ, et ex munere confessarii.

Quod spectat 1° *objectum* hujus scientiæ, scire debet confessarius *a*) quænam peccata sint mortalia, quænam venialia, saltem ex genere suo ; *b*) species et circumstantias necessario explicandas ; *c*) causas restitutionis faciendæ in bonis fortunæ aut famæ, et causas ab illa excusantes ; *d*) limites suæ jurisdictionis, casus reservatos et censuras communiores apud suos pœnitentes ; *e)* requisita in pœnitente ad rite absolutionem recipiendam ; *f)* impedimenta matrimonii et præcipuas obligationes status in quo pœnitens degit ; *h*) remedia peccatis opportuna.

Verum, quod attinet 2° *qualitatem* scientiæ :

a) Sufficit *mediocris* scientia, qua confessarius intelligat quæ *frequenter accidunt*, seu casus obvios, et de difficilioribus sciat dubitare, ut libros vel peritiores consulat (S. Alph. n. 607). Aliud remedium indicat Lugo pro adjunctis in quibus libri aut peritiores consuli non possunt : « Quando dandum est consilium in futurum vel imponenda restitutio aut prohibendus contractus dubius vel quid simile, si ipse confessarius non potest se ipso id resolvere, erit bonum consilium, petere a pœnitente, an paratus sit ad consulendos homines peritos, et

(1) Circa charitatem quam habere debet confessarius, lege S. Alph. *H. Apos.* tract. ult. et *Praxim Conf.* n. 3-5.

ad standum illorum judicio circa illud dubium : quod si pœnitens promittit, absolvat, dicendo illi obligationem quam habet consulendi aliquem vel aliquos de illo dubio». (*de Pœnit.* disp. 21, n. 70.)

Quoad judicium de mortalibus ac venialibus, notat ibid, quod « hæc scientia non debet esse tanta, ut de omnibus quæ pœnitens dicit, possit discernere an sint mortalia : sæpe enim id nec doctissimi possunt, passim quia non possunt scire perfecte ipsum factum (atque id frequenter contingit circa peccata cogitationum, imprecationum, aspectuum etc.), an consenserit pœnitens cum plena deliberatione vel non ; partim quia nec ipsum etiam jus in omnibus sciri potest. *Satis ergo est, si sciat, in iis quæ communiter occurrunt, an sint mortalia vel venialia.* »

b) Scientia requisita considerari debet *respective* ad pœnitentem ; unde major aut minor requiritur et sufficit scientia pro diversitate locorum et pœnitentium (1).

166. Ex dictis infertur :

1° Graviter peccat qui sine scientia sufficienti confessionem excipit, vel qui talem confessarium constituit. Excipitur casus necessitatis, nimirum si aliter pœnitentes deberent diu carere confessione (S. Alph. n. 628). Admonendi tamen sunt hujusmodi confessarii de obligatione discendi. Sacerdos dubius de sua scientia stare potest judicio sui prælati.

2° Confessarius tenetur sibi comparare sufficientem theologiæ moralis scientiam. « *Affirmo,* ait S. Alph., *in statu damnationis esse eum confessarium qui sine sufficienti scientia ad confessiones excipiendum se exponit.* » Praxis et naturale judicium juvant scientiam, sed illam

(1) Lugo, disp. 21, n. 70. « Unde apparet scientiam, quæ in confessario reperitur non esse eamdem pro omnibus ; aliquibus enim minor sufficit ad audiendas confessiones puerorum vel rusticorum, in aliis major requiritur ad audiendos mercatores judices etc. qui casus habent difficiliores. Ad confessiones vero hominis docti, multo minor requiritur..., quia potest confessarius instrui ab ipso pœnitente. »

non supplent, et absque illa in graves sæpe confessarium impellunt errores (1). Proinde studium theologiæ nunquam intermittendum est (S. Alph. l. c. et H. A. n. 100).

3° Graviter peccat et invalide absolvitur pœnitens, ideoque confessionem repetere tenetur, si *mala fide*, seu ex industria confitetur sacerdoti inepto ad conscientiam suam dijudicandam in materia gravi et necessaria. Secus, *si bona fide* confitetur integre et cum contritione.

167. III. Requiritur *prudentia*, quæ, ut ait S. Thom., in *ratione practica* consistit, et est ratio eorum quæ sunt agenda propter finem. Prudens debet esse confessarius in monendis et interrogandis et curandis pœnitentibus, in absolutione danda vel differenda, in custodiendo sacramentali sigillo. De his postea dicendum. Prudens etiam et cautissimus esse debet in excipiendo confessiones feminarum, earum præsertim quæ pietatem profitentur (2). Paterna tunc et spiritualis gravitas in confessariis eluceat. Severos se potius quam familiares ostendant, a verbis abstineant quæ affectum sensibilem redolent aut suscitare possunt; et maxime quidem si piæ sint, propter periculum majoris adhæsionis. Eas quæ crebrius confitentur, generatim quantum fieri potest, breviter expediant, nec de rebus ad confessionem non pertinentibus sermones commisceant. Præsertim vero breviter et severe tractandæ sunt feminæ quæ periculoso affectu student confessario adhærere, quas etiam expedit plerumque ad alium remittere confessarium.

---

(1) Scribit Lacroix : « Scientia summa non requiritur, imo per accidens sæpe est minus utilis quam mediocris conjuncta cum naturali judicio et praxi ; qui enim ita subtiliter volunt omnia revocare ad apices theologicos, sæpe seipsos et alios implicant scrupulis aliisque difficultatibus ; unde præstat se accommodare ad usum Ecclesiæ et aliorum prudentum confessariorum. » (*De Pœnit.* n. 1887).

(2) Cfr. *Instruct. pro confess.* (Diœc. Brug.), s. Alph. *Prax. Conf.* n. 119, 120.

Caveat etiam confessarius ne suos pœnitentes, præsertim feminas, dissuadeat accedere ad alium confessarium, nec de hoc eos interroget, et dum novit eos alium adivisse, ostendat id sibi non displicere sed potius probari (1). Matribus familias quoque caute suadendum, ut suis filiis et filiabus hac in re libertatem concedant.

168. Requiritur IV. Observantia decretorum Ecclesiæ quæ circa *ritum*, *locum* et *tempus* servanda sunt in confessione excipienda.

1° Quoad *ritum*, vide supra n. 18. Quær. I.

2° Quod spectat *locum*, præscribit Rit. Rom. ut sacerdos « in *Ecclesia*, non autem in privatis ædibus confessiones audiat, nisi ex *rationabili causa*, quæ cum inciderit, studeat tamen id in decenti ac patenti loco præstare. » Et quidem confessio excipienda est in *sede confessionali*, quæ « patenti, conspicuo et apto ecclesiæ loco posita, crate perforata inter pœnitentem et sacerdotem sit instructa. » (2) A præscripto Rit. Rom. excusat levis causa pro confessione virorum ; imo ex consuetudine, clericorum confessiones

---

(1) S. Alph. *Prax. Conf.* n. 100 : « Caveat confessarius ne suis pœnitentibus spiritualibus, præsertim feminis prohibeat accedere ad alium confessarium ; et cum advertat accessisse, ostendat id sibi gratum fuisse ; imo ipsis imponat ut aliquando apud alios confiteantur ; præterquam si quis esset valde scrupulosus » ex accessu ad alium confessarium notabiliter inquietandus.

(2) In decret. S. C. de P. F. 26 Junii 1780 legitur : « Jubet.... S. C., ut mulierum confessiones palam in ecclesiis, capellis aut publicis oratoriis, ubi adsunt, ubi vero desiderantur in alio loco patenti ac pervio .... designando a respectivis ordinariis,... interposita crate ferrea, vel alio repagulo inter os confessarii ac mulieris pœnitentis, audiantur. » Eadem S. C. statuit a. 1785, 7 Martii « ut cratis præceptum... servetur in ecclesiis vel oratoriis in Missione erectis : iis vero in casibus in quibus desit ecclesia vel oratorium rite constitutum, ac missionarius pœnitentiæ sacramentum administrare cogatur in domibus particularibus, neque præsto sint apposita alia repagula, in excipienda mulierum confessione, eas non nisi tectas velamine audiat. »

etiam extra ecclesiam excipi solent. Sed pro feminarum confessione requiritur gravis causa, e. g. infirmitas.

In nonnullis diœcesibus sub censuris prohibetur, excepto necessitatis casu, feminarum confessiones excipere extra cancellatam sedem confessionalem in ecclesia, vel a parte anteriori confessionalis (1). Alibi censura non datur, gravis tamen prohibitio (2). Confessionalia monialium non possunt esse in sacristiis, sed in ecclesiis vel oratoriis monasteriorum (3).

3° Quoad *tempus*: ex decreto S. R. C. 1686, mulierum confessiones non sunt excipiendæ ante vel post lucem diei. In locis ubi usus contrarius viget, lumen est apponendum. In *Instr. pro confess.* diœc. Brug. præcipitur ut lumen apponatur si tenebræ sint, et prohibetur ne confessiones, præsertim mulierum, protrahantur in multam noctem.

4° Quoad *sacras vestes*: monet Rit. Rom. ut sacerdos « *superpelliceo* et *stola violacei coloris* utatur, prout tempus vel locorum fert consuetudo. » Quamvis contraria adsit in loco consuetudo, ex responso tamen S. C. R. 31 Aug. 1867, « conveniens est ut in ecclesia adhibeatur stola, juxta S. R. C. decreta ». Extra ecclesiam, v. g. pro confessione infirmorum, laudabile est adhibere stolam.

Monet quoque Rit. ut confessarius excepturus confessionem ad hoc munus recte sancteque obeundum, divinum auxilium piis precibus imploret.

---

(1) Cf. *Melanges theol.* Ser. III.

(2) Cf. *Instruct. pro confess.* (diœc. Brug.) n. 3. Ibidem n. 4, prohibetur confessariis, sub pœna quoque revocationis facultatum sibi concessarum, ne mulierum confessiones excipiant in sacristia aut alio loco ecclesiæ secreto, nisi pœnitens præ morbo vel infirmitate aut alia gravi ratione in confessionali se sistere non valeat, vel nisi tali surditate laboret ut confiteri non possit quin ab alio audiatur.

(3) S. C. C. 2 Sept. 1642; Acta Cong. Pros. Diœc. Brug. a. 1871, sub III.

CAPUT III.

DE OFFICIIS SEU DE OBLIGATIONIBUS CONFESSARII.

169. Obligationes confessarii distingui possunt in *antecedentes*, *concomitantes* et *subsequentes* ministrationem sacramenti pœnitentiæ. Ad obligationes *antecedentes* revocatur 1° obligatio comparandi sibi qualitates ad officium confessarii requisitas (v. supra n. 160); 2° obligatio excipiendi confessiones, quæ provenire potest vel ex justitia vel ex charitate. Fusius in hoc argumentum disputata in Tract. de Sac. in gen., paucis heic contrahimus:

1° Confessarii ratione officii curam gerentes animarum, tenentur ex justitia et sub gravi excipere confessiones subditorum, non solum urgente præcepto, sed etiam quotiescumque rationabiliter id petunt, v. g. ad recuperandam gratiam, ad vincendas tentationes, ad devotionem suo statui congruam exercendam, ad indulgentias lucrandas, etc. Subditis autem in necessitate spirituali extrema aut gravi constitutis, tenentur pœnitentiæ sacramentum ministrare etiam cum suæ vitæ periculo. Obligationi suæ per alios satisfacere possunt; si tamen nominatim requirantur, debent ipsimet confessiones excipere, nisi impediti sint.

2° Reliqui sacerdotes non tenentur confessiones excipere, nisi proximus sit in gravi necessitate spirituali. Si necessitas sit *extrema*, vel tota communitas sit in necessitate gravi, tunc tenentur cum propriæ etiam vitæ periculo. I Cf. S. Alph. l. VI, n. 58, et II, n. 27.

Obligationes *concomitantes* respondent officio quod confessarius gerit, *patris* nimirum, *doctoris*, *medici* ac potissimum *judicis*.

Obligationes *subsequentes* sunt 1° obligatio, sigilli seu servandi secretum, et 2° per accidens, obligatio corrigendi errores admissos. Dicendum nunc est de variis istis officiis

et obligationibus concomitantibus et subsequentibus ministrationem sacramenti pœnitentiæ.

ART. I.

De officio et obligatione confessarii ut patris.

170. Confessarius est pater spiritualis, qui supernaturalem vitam pœnitentis reficit et fovet, ac vices gerit Christi Salvatoris, qui ex charitate sanguinem suum fudit ac sacramentum instituit pro pœnitente qui nunc confitetur. Proinde confessarius charitate succensus esse debet, se impendere et superimpendere pro salute sui pœnitentes, et indutus viscera misericordiæ Christi studiose patienter et mansuete agere cum peccatoribus, tum 1° in *principio* tum 2° in *decursu*, tum 3° in *fine* confessionis.

1° *In principio confessionis*, paternam charitatem adhibere debet in benigne et prompte excipiendo omnes, absque ulla acceptione personarum, sive pauperes, sive rudes, sive pii vel peccatores sint. Confessarius, ait S. Alph, « quo magis animas peccatorum multitudine et atrocitate coinquinatas reperiat, eo magis ut Deo ipsas lucrifaciat, majore charitate eas amplectatur eisque animum præbeat » (*Prax. Conf.* n. 3).

2° *In decursu confessionis*, longe majorem ostendere debet charitatem in confessionem excipiendo. Caveat ne se impatientem aut tædio affectum exhibeat, nec ostendat se admiratione percelli de peccatis quæ accusantur. Regulariter in actu confessionis abstinere debet confessarius a correctione facienda. Si hanc tamen per accidens facere conveniat propter duritiem pœnitentis, statim pœnitens ad fiduciam excitandus est, ut reliqua peccata confiteatur. Si quem imparatum invenerit, ipsum adjuvet confessarius ; si quem præ rubore timidum vel scrupulis intricatum, animum ipsi addat. (S. Alph. *Prax. Conf.* n. 4).

3° *In fine confessionis* « oportet ut confessarius vehementiori ardore ac studio incumbat ut pœnitenti perci-

pere faciat gravitatem ac multitudinem ejus peccatorum, ac miserum damnationis statum in quo reperitur ; sed hoc semper cum maxima charitate fiat. » Deinde disponet eum ad absolutionem, si pœnitens minus dispositus videatur ; confessarius enim, ait S. Alph. « tenetur ex rigorosa charitate eum (pœnitentem) disponere quantum valet. » (l. v. n. 608). Si pœnitens fuerit absolutionis incapax, et absolutio differenda sit, confessarius « verbis quoad poterit, humanissimis, persuadeat confessis, necesse est, id et munus officiumque suum, et eorum ipsorum salutem ommino postulare ; eosque ad redeundum quamprimum blandissime alliciat. » (Leo XII, Bulla *Charitate Christi* 25 Dec. a. 1825). Cf. s. Alph. *Prax. Confess.* n. 5.

ART. II.

De officio et obligatione confessarii ut medici.

171. « Equidem *medicum agit* quisquis sacramentum pœnitentiæ ministrat, » (Ben. XIV. Const. *Apost.*) et « meminerit confessarius, se judicis pariter et *medici* personam sustinere » (Rit. Rom.). Medicus autem debet 1° *morbi spiritualis causam cognoscere*, 2° *morbum sanare*, et 3° *relapsum præcavere.*

1° *Debet morbi causam cognoscere.* Ad hoc inter alia necesse est considerare utrum pœnitens consuetudine et occasionibus periculosis sit irretitus ; proderit quoque ejus indolem et ingenium introspicere.

2° *Debet morbum sanare.* Quare, inquit S. Alph. : « Cognita morbi origine ac gravitate, confessarius procedat ad debitas animadversiones faciendas... Ait Ben. XIV, Bull. Apost. § 12, confessarii admonitiones concionibus ipsis esse efficaciores, et jure mérito ; quia concionatorem latent circumstantiæ particulares, quæ confessario aperte innotescunt ; ideoque multo melius poterit debitas adhibere animadversiones, et remedia quæ morbis expediunt, applicare.... Post debitas correctiones aut monitiones, præstat

ut laboretur ad disponendum pœnitentem ad absolutionem per actus veri doloris et propositi. » (*Prax. Conf.* n. 6, 7, 10).

3° *Debet relapsum præcavere,* apta cuique remedia assignando, inspectis causa et radice peccatorum nec non indole et conditione pœnitentis. Remedia tamen a confessario ut medico proposita, non sunt sub stricta obligatione adhibenda, nisi illa aliunde sub peccato præcepta sint, vel a confessario ut judice in pœnitentiam injungantur (v. sup. n. 129).

Remedia autem sunt vel *generalia*, quæ quibusvis peccatis præcavendis deserviunt, vel *specialia*, quæ adversus peculiare aliquod vitium præcipue valent. Prioris generis sunt : oratio tam vocalis quam mentalis, specialis devotio erga S. S. Euch., SS. Cor Jesu, erga B. M. V., S. Joseph, S. Ang. cust. etc.; frequentia confessionis, eaque non dilata post commissum peccatum grave, consideratio novissimorum, et jugis recordatio Dei ubique præsentis, maxime cum urget tentatio ; examen conscientiæ, quotidiana præsertim mane propositorum renovatio ; fuga malorum sociorum et conversatio cum piis et benemoratis, assumptio voluntariæ pœnitentiæ in pœnam relapsus. Omnibus etiam commendandum ne animum despondeant propter frequentes relapsus ; nihil enim periculosius.

Remedia autem *specialia*, pro vitiorum, pœnitentium et adjunctorum diversitate varia sunt : sic vindicativis consulatur ut quoties memoria occurrit injuriæ, reminiscantur injuriarum quibus ipsimet Deum affecerunt. Luxuriosis præscribatur ut otium vitent, ac pravos socios et occasiones, non solum proximas sed etiam quasdam remotas quæ ipsos ad luxuriam vehementius incitare solent ; ipsis quoque frequens confessio, et corporales quandoque exercitationes commendentur. Blasphemis vitandæ sunt causæ et occasiones blasphemiarum, v. g. lusus, ebrietas, consortium blasphemantium.

Plura alia media quæ conducunt ad vitia expugnanda et virtutes acquirendas, confessario suppeditabit cognitio

tam speculativa quam practica virtutum et exercitationum quibus eæ excoluntur. Cf. S. Alph., *Prax. Conf*, Reuter, *Neo confessarius*; Scaramelli, *Direct. asc.*, Scupoli, *Pugna spirit.*, etc. Confessariis utilissima est Sum. S. Th. pars secunda, in qua actuum humanorum, passionum, virtutum ac vitiorum rationes exponuntur.

ART III.

De officio et obligatione confessarii ut doctoris.

Doctoris munus est docere ignarum et errantem. Pœnitentis ignorantia et error potest esse *culpabilis* vel *inculpabilis*, et versari circa necessaria ad absolutionem rite suscipiendam, vel circa doctrinam christianam, seu præcepta fidei et morum, quatenus hæc credi et sciri debent ; vel circa aliquam obligationem moralem in particulari. Inquirendum *an et quando confessarius teneatur pœnitentem docere vel monere, seu ejus ignorantiam depellere et errorem corrigere.*

172. I. Confessarius pœnitentem qui ignorat necessaria ad sacramentum pœnitentiæ suscipiendum, absolvere non potest nisi illa prius edoctum. — Minister enim sacramenti tenetur illud recte administrare et curare ut rite suscipiatur.

Hinc, pœnitens, istorum ignarus, edocendus est circa contritionem, propositum, confessionem formalem peccatorum, mysteria quæ scitu necessaria sunt *necessitate medii* ad justificationem. Si illico absolvendus sit pœnitens, instructio danda est in ipso actu confessionis, et satis tunc est, ut confessario instruente et præunte, pœnitens eliciat actus fidei et contritionis de suis peccatis, ac de ipsa forsan culpabili ignorantia doleat cum proposito debitam sibi comparandi notitiam doctrinæ christianæ.

173. II. Si pœnitens ignoret ea quæ ex necessitate præcepti credere et scire debet, monendus est a confessario de *obligatione* illa addiscendi, de culpabili forsan sua negligentia et ignorantia accusanda cum debita contritione et emendationis proposito ; quod si sincere præstiterit, absolvi tunc potest, si nihil aliunde obstet.

Heic notetur munus doctoris in confessario per se pertinere tantum ad recte ministrandum sacramentum Pœnitentiæ. Non ergo *per se* tenetur pœnitentem instruere de omnibus quæ is scire debet et aliunde discere potest. *Per accidens* tamen adesse posset obligatio ex charitate, quando difficillime aut per seipsum aut per alios hanc scientian pœnitens comparare sibi poterit ; quæ quidem obligatio præsertim existere potest pro quibusdam status obligationibus, quas solus fere confessarius opportune pœnitentem edocere potest. Ad parochum quod spectat, is ex officio tenetur instruere suos subditos, vel ipsis saltem præbere opportunitatem scientiam doctrinæ christianæ acquirendæ.

174. III. Si pœnitens ignoret particularem aliquam obligationem moralem circa quam delinquit, ex bono vel damno communi, pœnitentis et aliorum, dijudicandum est utrum pœnitens in ignorantia et bona fide sit relinquendus, an potius monendus et corrigendus.

Sequentes regulas tradunt communiter theologi :

Reg. I Si ignorantia est actualiter vincibilis et graviter culpabilis, ita ut pœnitens *actu* censeatur esse in mala fide, monendus est pœnitens ; quia is tunc in statu est peccati et indispositus ad absolutionem.

Utrum ignorantia sit graviter culpabilis nec ne, prudenter explorandum est ex conditione et instructione pœnitentis, et præsertim ex ejus dubitatione ; quod tamen ita explorandum est, ut non sit periculum tollendi bonam fidem, quæ forte adsit. Unde Lugo ait : « Debet autem prudenter examinare statum et qualitatem ignorantiæ an sit culpabilis, ita tamen ut ipso examine et interrogatione

non det occasionem dubitandi pœnitenti et inferat ei malam fidem quam antea non habebat : quare solum in communi et quasi aliud agens debet interrogare, an habeat remorsum circa aliquam materiam gravem. » (*de Pœnit*, disp. 22, n. 23).

Dictum est ; ita ut pœnitens *actu* censeatur esse in mala fide ; — quia fieri potest ut olim fuerit in mala fide, nunc autem sit in bona fide ; quia dubium deposuit ex aliorum consilio, vel de ignorantia pœnitentiam egit, quin tamen eam ex omni parte excutere potuerit : quo casu ignorantia censetur actualiter invincibilis. Lugo, disp. 22. n. 24.

Reg. II. Si ignorantia est invincibilis et *actu inculpabilis* vel *saltem non graviter culpabilis*, sive sit facti sive juris humani vel divini : 1° monendus est pœnitens, quando speratur fructus emendationis nec timentur graviora incommoda, v. g. scandali aliorum aut notabilis infamiæ. 2° Si vero graviora incommoda prudenter timeantur aut fructus non speretur, pœnitens *regulariter* monendus non est, sed in bona fide relinquendus. Ratio primi est, quod peccata pœnitentis etiam materialia impedienda sint, quando commode fieri potest ; secundi vero, quod ex duobus malis minus sit permittendum ut majus evitetur, scilicet peccatum formale vel aliud gravissimum detrimentum (1).

In dubio an monitio profutura sit nec ne, præstat illam omittere, nisi adsit gravis probabilitas profectus. Cf. s. Alph. n. 916.

Ex dictis sequentia inferuntur :

1° Semper instruendus est pœnitens quando ignorantia est contra ipsum, quia ex conscientia erronea putat esse peccatum, id quod revera peccatum non est, vel putat grave esse id quod tantum est leve

(1) Cf. Suarez. *de Pœnit* disp. 32, S. 4 ; Sanchez, de *mat.* l. 2, disp. 38 ; Lugo, *de Pœnit*, disp. 22, nn. 23 sgq. ; S. Alph. l. VI, nn. b. 10 sgq.

2° De obligatione restituendi monendus non est pœnitens qui eam inculpabiliter ignorat et neglecturus prævidetur, si de illa monitus fuerit. Cf. S. Alph. n. 614, qui tamen advertit id facile non esse judicandum.

3° Monendus non est pœnitens in bona fide, de invaliditate matrimonii contracti, si prævidetur incontinentiæ aut aliorum peccatorum periculum, quod quidem facile subest. Conjuges impedimenti ignari obligari possunt ad reddendum conjugale debitum. Confessarius tamen absque mora procurare debet dispensationem in impedimento matrimonii, nisi præstet conjuges relinquere in bona fide. Cf. S. Alph. n. 611, et Tract. *de Mat.* n. 93, *Th. Mechl.*

4° Si, matrimonio invalide contracto, prævideat confessarius conjuges de illius nullitate admonitos ab invicem discessuros esse cum gravissimo scandalo, aut prolis natæ detrimento, etc., monitio omittenda est.

5° Generatim quidem pœnitens matrimonium contracturus admoneri debet de impedimento occulto ignorato ; excipitur tamen casus in quo nullus fructus speratur ex monitione et impedimentum difficile detegi potest ; quia melius est permittere peccatum materiale, donec dispensatio, quæ petenda est, obtineatur, quam præbere occasionem peccati formalis. Cf. S. Alph., l. VI, n. 612.

6° Omittenda est universim monitio etiam quando timentur scandala aliorum, infamiæ, rixæ et similia. Præstat enim vitare peccata formalia aliorum, quam materialia pœnitentis (S. Alph. n. 612).

175. Dictum est in *Reg.* II sub 2° si graviora incommoda timeantur aut fructus non speretur, pœnitentem *per se regulariter loquendo* monendum non esse; — nam per *accidens* monendus est :

1° Quando ignorantia pœnitentis et silentium confessarii affert commune damnum vel scandalum. — Ratio est, quia bonum publicum præponderat bono privato pœnitentis. Nec obstat monitionem hic et nunc inutiliter

fieri, nam confidere licet illam postea profuturam, maxime cum viderit pœnitens se a nemine absolvi posse. Præterea præcavendum est publicum scandalum inde facile oriturum, quod tales personæ sacramenta frequentent, vel dicerent talem rem non posse dici pravam, eo quod confessarii parum sint de hoc solliciti, et nihil dicant; denique ignorantia in rebus cum damno publico connexis raro inculpabilis est.

Hinc *a)* regulariter monendi sunt pœnitentes in auctoritate sive ecclesiastica sive civili constituti, si graviter officio suo erga subditos desint. « Ratio est, quia in talibus raro est ignorantia invincibilis, raro item contingit ut illa secum non afferant scandalum in subditis existimantibus ista licere, vel certe non afferant damnum commune; si tamen videat confessarius ignorantiam esse invincibilem, neque ex illa sequi scandalum aut damnum commune, contra vero admonitionem fore in majus damnum pœnitentis, aut illaturum scandala vel incommoda, potest dissimulare nisi interrogetur. » S. Alph. n. 609, 8°, Cf. Lugo, *disp.* 22, n. 37.

b) Ad cavendum damnum commune, monendus est pœnitens de denuntiatione facienda Superiori qui potest et vult remedium afferre. Et quidem si grave immineat damnum societati, obligatio denuntiandi urget etiam cum maximo incommodo, et vitæ quoque periculo. « Si vero non agatur de hujusmodi imminenti damno, tunc pensanda erunt hinc gravitas damni, cui occurri debeat per denuntiationem, inde vero difficultas faciendi denuntiationem, quod pendet ex adjunctis personarum, locorum, negotii etc. Tum ex prudenti horum consideratione decernet, an gravitas damni impellere, debeat, ut pœnitentem moneat cum modica spe fructus atque adeo cum gravi periculo injiciendi inutiliter in malam fidem pœnitentem, an vero nulla spes fructus efficere potius debeat, ut non conjiciat pœnitentem in malam fidem, nullo sperato adversus damnum commune remedio. » (1)

---

(1) Ballerini, *Opus theol. mor.* t. 5, n. 822.

Item ratione boni communis, ex positiva Ecclesiæ lege, pœnitens ad turpia sollicitatus a confessario in confessione, vel cum relatione ad confessionem, absolvi non potest, nisi moneatur de gravi obligatione denuntiandi ; renuens vero denuntiare absolvi non potest (S. O. C. a. 1867). Utrum in rarissimo casu aliqua exceptio possit dari, postea explicabitur.

c) Monendi sunt conjuges qui ignorant sui matrimonii nullitatem, si hæc publica sit.

d) Monendi pœnitentes, quoties silentium confessarii foret causa quod prava doctrina sensim in populum spargeretur, v. g. frequentationem vetitæ societatis, lectionem pravorum librorum, etc. non esse illicitam.

2° Monendus est pœnitens, qui confessarium interrogat circa malitiam actionis; tum quia pœnitentis interrogatio signum est eum jam non versari in bona fide et fructum sperari posse, tum quia silentium confessarii esset erroris approbatio. Cæterum confessarius prudenter non extendet responsionem ultra petitum a pœnitente, et si is inani ratione moveatur ad dubitandum et interrogandum, respondere potest confessarius rationem illam esse inanem et vanum scrupulum (s. Alph. n. 612).

Ita confessarius uxori petenti an propter suum castitatis votum valide matrimonium contraxerit, et an possit reddere debitum, respondere potest inde matrimonium non esse invalidum, et debitum esse reddendum, tacens de obligatione non petendi, quamvis etiam noverit matrimonium ob aliquod occultum impedimentum dirimens esse invalidum (Theol. Mechl. *de sac. Pœnit.* n. 102).

3° Facienda est monitio, si pœnitens non quidem illico, sed postea tamen prævidetur obtemperaturus monitioni, quæ in tempus opportunius differri nequit (S. Alph. n. 616).

4° Si ignorantia nunc inculpabilis brevi tamen cessabit et fiet culpabilis, maxime si agatur de vitio quod progrediente tempore crescet et difficilius extirpabitur, monitio ordinarie statim facienda est. Considerandum tamen

est num rationes ob quas non datur hic et nunc spes fructus, vel alia graviora incommoda timentur, postea non sint cessaturæ ; tunc enim monitio melius differtur.

5° Monitio facienda est, si pœnitens versatur in occasione proxima periculosissima, pro qua nulla species causæ excusantis afferri potest. Hinc de obligatione deserendi occasionem semper admonendi sunt concubinarii, juvenes qui socios impios ac perversos frequentare incipiunt, aut libros obscœnos et impios, vel hujusmodi diaria legunt (1).

176. SCHOLION. *De delectu opinionum in instruendo pœnitente.*

1° Confessarius non potest pœnitenti imponere obligationem, contra quam stat opinio vere probabilis et practice tuta. Confessarius enim non est legislator (nisi minus stricte loquendo, quatenus ut judex pœnitentiam præceptive imponit), sed præco dumtaxat obligationis, quæ si incerta sit, non potest imponi.

2° Proinde potest quidem confessarius opiniones rigidiores et tutiores *consulere* pœnitenti illis non repugnanti, si nullum sit incommodum ; illas tamen imponere non potest si opposita sententia sit vere et solide probabilis. Si tamen benigniores quædam opiniones etsi probabiles, inducant periculum peccati formalis, tenetur rigidiores consulere, et interdum injungere, si benigniores nimirum inducunt proximum periculum peccati (2).

---

(1) Cf. Berardi, *De occasionariis*, nn. 31, sqq. ubi tenet posse interdum pœnitentem relinqui in bona fide circa gravem obligationem deserendi quasdam occasiones proximas, « quæ vel cuidam credulitati non relabendi vel alicui excusationi non insulsæ locum relinquant. »

(2) Cf S. Alph. n. 605. Ibidem ait : « Sapienter autem dicit Holzm quod confessarius in delectu opinionum, tunc debet benigniores sententias sequi quando illæ potius inducunt pœnitentem ad vitandum peccatum, secus vero, si illæ potius conducunt ad legis transgressionem, prout sunt, ut bene advertunt Roncaglia et Sporer, opiniones illæ quæ licet speculative videantur probabiles, tamen in praxi

Hinc 3° Confessarius absolvere potest ac tenetur pœnitentem, aliunde dispositum, qui vult sequi opinionem vere probabilem quamvis oppositam sententiæ confessarii, modo opinio pœnitentis confessario non appareat evidenter falsa : quo tamen casu inquirendum restat an pœnitens, qui supponitur in bona fide, monendus sit nec ne. (S. Alph. l. VI, n. 604). — In casibus difficilioribus, ex eo juvari poterit confessarius, quod pœnitens paratus sit se subjicere judicio alterius viri docti aut superioris postea exquirendo.

ART IV.

De officio et obligatione confessarii ut judicis.

Confessarius, ut judex in hoc foro sacramentali, debet peccata et dispositionem pœnitentis dignoscere, et in eum ferre sententiam, vel absolutionis cum satisfactionis injunctione, vel retentionis, absolutionem differendo aut denegando. De satisfactionis injunctione dictum est supra ; de aliis nunc dicendum.

§ I.

De peccatis dignoscendis.

Ad peccata dignoscenda, debet confessarius I. peccata pœnitentis *intelligere* seu *percipere*, et *dijudicare;* II. debet defectum integritatis interdum supplere, *interrogando pœnitentem*.

---

sunt valde periculosæ, sicut in materia sexti præcepti sunt opiniones aliquæ de tactibus, osculis, choreis, comoediis, de reprimendis motibus sensualitatis et similibus. » Notandum tamen Ronc. *(de Sac. Pœnit.* 9, 5. c. 2) loqui de opinionibus « quæ quidem speculative non tamen sunt *practice probabiles*. Quo casu non datur locus eligendi inter benigniores et rigidiores. Cf. Ball. *Opus. theol. mor.* de Sac. Pœn. n. 806.

177. I *De peccatis intelligendis et dijudicandis.*

Confessarius debet 1° intelligere peccata gravia pœnitentis nondum directe remissa. Patet ex necessitate confessionis integræ ; peccata enim non intellecta a confessario v. g. surdastro aut distracto, perinde sunt ac non confessa.

Infertur : a) Confessarius illicite absolvit pœnitentem, cujus per negligentiam aliqua peccata gravia non intellexit ; valide tamen absolvit, si pœnitens non est in culpa.

b) Pœnitens tenetur repetere peccata gravia, quæ novit non fuisse intellecta, non vero reliqua a quibus fuit directe absolutus (cf. n. 115 *Quær.* 3°).

Notat Mazzotta : « si confessarius distrahatur, et ob notam sibi conscientiam pœnitentis præsumere possit, id quod non intellexit esse quid leve, nec possit sine ejus molestia interrogare, potest tacere et absolvere » *(de Pœnit.* q. 3, c. 2, § 3).

2° Confessarius, ut *licite* absolvat, debet judicium ferre an peccata sint levia vel gravia, saltem in peccatis obviis et claris. — Colligitur ex æquitate quam judicium sacramentale habere debet.

Judicium illud de peccatorum gravitate sponte efformat confessarius ex habituali sua scientia de peccatorum malitia et diversitate, et ex notitia advertentiæ et consensus in pœnitente. Nec necesse est ut reflexe recogitet distinctam peccati malitiam.

Quando judicium efformatum est sub auditis peccatis de eorum malitia et de pœnitentia injungenda, distincta memoria peccatorum perseverare non debet sub actu absolutionis (cf. S. Alph. n. 502 ; Gury, n. 514).

Nec requiritur rectum judicium de gravitate peccatorum, ut *valide* absolvat confessarius ; ad hoc enim supposita bona fide pœnitentis, satis est cognoscere peccata, saltem unum, sub confusa ratione peccati.

Infertur : a) Pœnitens qui advertit confessarium non percipere gravitatem sui peccati, tenetur illum monere se graviter peccasse.

b) Valida est confessio formaliter integra et bona fide peracta, licet confessarius, etiam in peccatis obviis non discernat gravitatem et speciem ; et proinde peccata illa non sunt postea repetenda. Sic enim censendum est Christum Dominum hoc sacramentum instituisse, cum tales defectus passim contingant (S. Alph. n. 500).

c) Pœnitens non tenetur rursus confiteri peccatum, quod nec ipse nec confessarius noverit esse mortale, etiam si postea noscat illud fuisse mortale, modo non fuerit prius accusatum ut leve (S. Alph. n. 487, 500).

178. II. *De examinando seu interrogando pœnitente.* Dicendum 1° de obligatione pœnitentem interrogandi, 2° de qualitatibus interrogationis faciendæ, seu de modo pœnitentem interrogandi.

1° Quoad *obligationem interrogandi pœnitentem* : si confessarius prudenter seu probabiliter judicet pœnitentem peccatum aliquod grave aut circumstantiam necessariam omittere, tenetur confessarius illum interrogare. — Prob. ex Rit. Rom. : *Si pœnitens numerum, speciem et circumstantias peccatorum explicatu necessarias non expresserit, eum sacerdos prudenter interroget.* » Communis est doctrina, si pœnitens ex culpabili negligentia illa omittit ; et communior atque tenenda, si sine culpa et post sufficientem diligentiam (1). Ratio est, quia confessarius tenetur curare ut judicium sit integrum non tantum formaliter, quantum ad bonam fidem et diligentiam pœnitentis, sed etiam materialiter, quantum id moraliter fieri potest. Lugo, disp. 22.

Notandum quod confessarius interrogare etiam debet circa ea quæ necessaria sunt ad noscendum pœnitentis dispositionem et remedia præscribenda, v. g. consue-

(1) Sa et Medina docent pœnitentem, diligenter examinata conscientia, peccati mortalis oblitum, non esse interrogandum a confessario, nisi peccatum cedat in damnum proximi ; quia adest formalis integritas, sed hæc sententia probabilis non est. S. Alph. n. 629.

tudinem, occasionem proximam, etc. *Sacerdos*, ait S. Th. (in IV dist. 19), *debet perscrutari conscientiam peccatoris in confessione, quasi medicus vulnus, et judex causam.*

Infertur : a) Gravis ex genere est obligatio interrogationes necessarias faciendi. — Recte tamen ait Billuart : « Si ex levi negligentia, ex inadvertentia, memoriæ labilitate, humana distractione, spiritus defatigatione, nimia attentione in confessionibus audiendis etc., aliquid etiam necessarium inquirere omittat, nullum aut leve tantum erit peccatum : nemo enim tenetur cum tanta difficultate et morali impossibilitate alienos defectus supplere. » Imo, putat Gury, admitti posse materiæ parvitatem, si una alterave interrogatio per se necessaria, in longa confessionum serie ex incuria omittatur, et sola inde integritas detrimentum patiatur (*Cas. Consc.* t. 2, n. 668).

b) Non sunt interrogandi pœnitentes qui videntur pro sua conditione satis instructi et diligentes in peccatis suis accusandis, nisi per accidens, v. g. si ex confessione probabilis defectus integritatis advertatur, vel fundate dubitetur utrum pœnitens plene consenserit, conscientiam habeat erroneam. — Ordinarie præsumi potest, nisi circumstantiæ aliud suadeant, quod pœnitens apprehenderit objectum, sicut secundum se malum est.

c) Præ cæteris sæpe interrogandi sunt simplices et rudes parum instructi, — hominès mundani salutis suæ incurii et persæpe in rebus religiosis valde ignari, — rarius confitentes, — pœnitentes quorum confessio unius peccati suspicionem ingerit alterius peccati cum priore connexi, et sic ebriosi interrogentur circa verba blasphematoria, etc. ; — item interrogandi sunt ignorantes status sui obligationes, quod non raro occurrit in iis qui herili aut domestica auctoritate potiuntur (1), — nec non timidi et verecundi in

(1) Unde parentes interdum rogandi sunt circa educationem prolium, vigilantiam in removendis periculis peccati, etc. : a tabernariis ali-

materia luxuriæ, — a confitentibus in periculo mortis utiliter peti potest an nihil ex præterita vita eos anxios teneat.

179. II. *De qualitate interrogationis faciendæ*, seu *de modo pœnitentem interrogandi.*

Interrogatio debet esse 1° *moderata*, 2° *prudens* seu *discreta*, 3° *opportuna*.

1° Interrogatio debet esse *moderata* : confessarius enim non tenetur examinare pœnitentem exquisita diligentia et exactissimo examine ; nam major in hoc puncto non est obligatio confessarii ad interrogandum, quam sit ipsius pœnitentis ad examinandum suam conscientiam. Imo pœnitens obligatur primo loco, et in ejus defectu obligatur confessarius ad eum juvandum juxta ipsius capacitatem, atque ideo minus obligatur, quam ipse pœnitens. Sufficit itaque in interrogando ordinaria quædam humana et *mediocris diligentia*, accommodata pœnitentis *capacitati*, *conditioni* et *conscientiæ*, quæ ex se confessionem non nimis onerosam reddat confessario et pœnitenti. Vitandus igitur est defectus et excessus. (1)

Hinc *a*) Confessarius solum interrogare debet de peccatis quæ, spectatis pœnitentis conditione, moribus et notitia quam de seipso in confessione ingerit, ab ipso probabiliter committi potuerunt, et ab istius modi hominibus committi solent, non vero, seclusis positivis indiciis,

---

quando petendum est an potum ministrent iis qui inebriandi prævidentur, an blasphemias. turpiloquia facile permittant quando ea impedire possunt, an procantibus aut aliis personis suspectis cubicula separata non concedant, an tabernaria, ejus filia vel ancilla libenter non audiant et loquantur obscæna aut se tangi permittant.

(1) Advertendum est in interrogatione pœnitentis « errari posse per *defectum*, prout rudiores et ignari confessarii errare solent, nihil interrogando vel solum crassissima et generalia ; vel etiam errari posse per *excessum*, nimium interrogando et examinando ; in quo docti confessarii majus periculum habent, quia ipsis occurrunt plures et plures interrogationes quæ circa peccata fiéri possunt ad melius speciem et numerum cognoscendum. » Lugo, disp. 16, n. 589.

circa casus raros et inverisimiles. S. Alph. l. VI, n. 607; *Prax. Conf.* n. 19, sqq. — Nec interrogare debet circa species peccatorum, quando apparet pœnitentem specialem illarum malitiam ignorare. Ad prudentiam tamen confessarii pertinet, num pœnitens de speciali illa malitia sit monendus (v. n. 170). Pro interrogatione circa numerum, speciem et circumstantias peccatorum, v. sup. nn. 85, 97 et 119 sub 4).

d) Confessarius in fine confessionis immemor rei de qua pœnitentem interrogare intendebat, eum obligare non tenetur ad repetendam confessionem, si hæc prolixior est et non agitur de re circa quam moneri debeat pœnitens ut in futuro peccata vitet, vel ut præcaveatur grave damnum proximi; quia alias onus nimium grave pœnitenti imponeretur. Cf. Th. Mechl. n. 59.

180. Interrogatio debet esse 2° *opportuna*, seu *tempore* et *modo convenienti* facta :

a) Monet Rit. Rom. ut a pœnitente qui accedit ad confitendum « mox confessarius inquirat de illius statu; (nisi aliter notus fuerit), et quampridem sit confessus, et an impositam pœnitentiam impleverit; num rite atque integre alias confessus fuerit; num conscientiam suam ut debet, prius diligenter discusserit. » Directiva hæc regula opportuna est, quando prævia illa notitia necessaria videtur et commode eo modo acquiri potest. Cæterum, istæ interrogationes præviæ sæpe necessariæ non sunt, et facilius sæpe fiunt in decursu confessionis. Interdum tamen utile est scire inde a principio confessionis, a quo tempore pœnitens sit confessus, quia hoc sæpe juvat ad facilius numerum peccatorum dignoscendum.

b) Quoad tempus interrogandi circa peccata quæ confitetur pœnitens, statui non potest regula generalis, et diversimode id fit pro diversis circumstantiis confessarii, pœnitentis et confessionis. In confessionibus *brevioribus*, melius videtur pœnitentem non interrumpere, et interro-

gationes, si quæ faciendæ sunt, in finem reservare, dummodo non adsit pro confessario periculum oblivionis. In confessionibus autem *longioribus*, « si advertatur obligatio restituendi, aut ignorantia culpabilis, atque etiam conscientia erronea circa aliqua, vel quid simile, satius erit suaviter eum pœnitentem successive adjuvare : quod idem magis expedit circa numerum, species, circumstantias peccatorum quæ dicit ; quæ omnia si in finem reserventur, confusionem et oblivionem plerumque afferunt confessario. » (Lugo *de Pœnit.* disp, 22, n 15). Nihil tamen impedit quo minus aliqua reserventur in finem. Id ex adjunctis pendet.

c) Ad modum convenienter interrogationes instituendi pertinet, ut sint accommodatæ capacitati et dispositioni pœnitentium, et fiant benignis et placidis verbis, sine ullo tædii, impatientiæ, admirationisve signo.

181. Interrogatio debet esse 3° *prudens*, præsertim in materia castitatis, circa quam 1° *parce*, 2° *caste* et 3° *caute* interrogationes faciendæ sunt, ne confessarius imprudenti interrogatione det pœnitenti occasionem investigandi et discendi quod ignorabat, traducendi confessionem, aut se vel pœnitentem exponat periculo peccandi. Et quidem, *si hœc timeat, potius pati debet aliquid deesse integritati materiali*. Ita communis sententia. Merito igitur ait Rit. Rom.: « Caveat (confessarius) ne curiosis aut inutilibus interrogationibus quemquam detineat, præsertim juniores utriusque sexus, vel alios de eo, quod ignorant imprudenter interrogans, ne scandalum patiantur indeque peccare discant. »

Confessarius igitur in materia castitatis debet interrogare 1° *parce*, abstinendo ab interrogationibus quæ *necessariæ* non sunt ad integritatem confessionis. Ad hanc autem sufficit noscere peccatorum *mortalium* numerum, species et circumstantias species mutantes (1) Ulteriores

(1) Pœnitentes igitur interrogandi non sunt de actibus luxuriæ

interrogationes fieri non debent et improbandæ sunt, nisi faciendæ sint ad judicandum de pœnitentis dispositione, vel de remediis præscribendis ; v. g. an adsit consuetudo vel occasio proxima, etc. — Imprimis congruis interrogationibus juvandi sunt pœnitentes qui præ verecundia formidant sincere confiteri sua peccata, quod præsertim contingit circa sextum et septimum præceptum. (S. Alph. l. 6, n. 607).

Interrogare debet 2° *caste*, casto scilicet ore et animo. Proinde cavendum a verbis inverecundis et pudori sacerdotali minime convenientibus.

Præsertim interrogare debet 3° *caute*, ideoque abstinere ab interrogationibus quibus pœnitens ad periculosam investigationem excitetur, aut inopportune edoceatur malitiam quam ignorabat, v. g. pollutionis, fornicationis, onanismi, etc. Si hæc vel alia incommoda timeantur, potius permittendus est defectus integritatis materialis.

182. Ex indicatis regulis quædam tamquam corollaria notari possunt.

1° Pueri nomine actuum turpium etc., non semper significant actus stricte impudicos. Interrogare potest confessarius an alias id fecerint, quid dixerit confessarius, an solus peccaverit, an aliis videntibus, an ausus fuisset illud facere coram parentibus, etc. Ex responsis colliget an agatur de peccato luxuriæ. — 2° Si ratio adsit suspicandi sodomiam intercessisse inter adolescentes aut juvenes, interrogetur pœnitens : « quid fecerit ipse, quid socii cum eo. — 3° Adolescentes puberes cautissime interrogentur circa pollutionem, quando prudens datur suspicio illam inter-

---

imperfectis præambulis ad copulam, nec de modo quo luxuriæ peccatum fuit commissum, nisi modus mutet speciem, nec de numero actuum imperfectorum qui peracti fuerunt in eodem impetu passionis. Quare monet s. Th. « *ut* (confessarius) *in peccatis præcipue carnalibus non descendat nimis ad particulares circumstantias, ne sibi et confitenti noceat.* »

cessisse. — 4° Si personæ adultæ diversi sexus inter se turpiter peccaverunt, scitari potest confessarius quid fecerint, an solum manibus ; et si responsum suadet aliud pejus fuisse actum, poterit rogare : an se gesserint ut conjugati. Si copula intercessit et prudenter timetur peccatum contra naturam vel abortus, interrogetur : an proles concepta et nascitura sit. — 5° Conjuges de usu conjugii interrogandi non sunt, nisi probabiliter timeatur grave peccatum contra naturam, v. g. voluntaria seminis effusio extra vas, vel negatio debiti ab uxore. Quo casu confessarius illos discrete et prudenter interrogare debet, v. g. *uxorem*, an marito fidem et obedientiam præstet in matrimonii obligationibus ; utrumque conjugem, an nihil eos anxiet circa gravissimas matrimonii obligationes, cujus finis est proles susceptio et educatio. Non est inquirendum de venialibus in usu conjugii, illa tamen generatim sine distincta explicatione confiteri potest pœnitens. — 6° Si pœnitens confitetur delectationem morosam plene voluntariam, confessarius non interroget directe de quo fuerit delectatio, sed an fuerit de opere malo secum vel cum alio ejusdem vel alterius sexus. Sed hæc etiam interrogatio potest esse molesta et periculosa, ideoque tunc omittenda. Quinimo generatim ait Ballerini (1) : « Imprudenter, si quis confiteatur turpes aut cogitationes aut aspectus aut sermones, interrogaret (confessarius) quid cogitaverit aut dixerit aut viderit, » nisi suspicetur confessarius forsan abesse culpam luxuriæ.

---

(1) *Opus theol. mor.* in Busembaum, t. v. n. 896. *Reuter*, Theol. mor. p. 2, n. 209, ait « Confessariorum, quorum multos, in theologia bene versatos interrogavi, communis praxis habet, ut non jubeant pœnitentes edicere objecta venerea de quibus simpliciter et nude delectati sunt. Licet sint diversa objecta adulterium, incestus, fornicatio ; attamen simplices delectationes de iis non ut talibus, sed præcise ut sunt earnalis copula, specie non differunt.... Objecta in simplices delectationes malitiam non refundunt, nisi in quantum delectant ; atqui non videntur delectare, nisi in quantum vim habent commovendi spiritus genitales ; quæ non videntur esse specie morali diversa. »

183. SCHOLION. *Quid faciendum confessario qui novit pœnitentem esse reum peccati mortalis, quod neque ex se neque interrogatus confitetur?*

Resp. Confessarius illud novit vel *ex confessione alterius* vel *extra confessionem?*

1° Si *ex confessione alterius* v. g. complicis; *a)* lege sigilli prohibetur uti illa scientia ad specialiter et distincte interrogandum, nisi, quod generatim dissuadendum est, licentiam dederit complex et scandalum non timeatur. Potest tamen eo modo interrogare quo alios similes pœnitentes interrogare solet ac debet. *b)* Si pœnitens pergat reticere peccatum, confessarius debet absolvere pœnitentem etiam si certum seu evidens sit, quod tamen raro continget, peccatum sacrilege reticeri,; ratio est, quia pœnitenti in sua causa credendum est potius quam alteri, et præsertim quia illicitum est uti scientia confessionis cum gravamine pœnitentis. Ita communior sententia contra nonnullos (1). Absolutio danda est vel absolute, ut plerique sentiuut, vel sub conditione, ut quibusdam placet (Gury Cas. Consc. n. 768).

2° Si confessarius id *extra confessionem* novit, scientia scilicet aliunde acquisita: pœnitentem caute et a longe tum etiam propius et distincte interrogare debet, illumque, si negare pergat, absolvere non potest, modo indubitate et *evidenter* sciat pœnitentem *sacrilege* illud negare, quia certus est illum non oblitum esse sui peccati, non alteri confessum, nec ignorare malitiam sui peccati, nec denique causam habere saltem existimatam ad omittendum suum peccatum. Secus, valet regula recepta pro foro sacramentali : *credendum est pœnitenti tam pro se quam contra*

---

(1) Illsung et Lacroix dicunt absolutionem negandam esse et aliquid orandum ad occultandam negationem absolutionis. His favet S. Alph. n. 631. Sed hæc sententia ab Illsung primum inducta, prævalere non debet contra communiorem sententiam. Examen theologico-historicum hujus quæstionis vide apud *Nouvelle Revue theol.* t. IV. a. 1873; Gury-Ballerini n. 619; *Vindic. Alph.* in h. l.

se dicenti. Evidens autem notitia adesse potest, si confessarius immediata scientia novit peccatum, vel si publica sit notitia criminis ; sed rarissime et vix unquam adesse potest ex relatione aliorum : unde ait Suarez : « Regulariter standum est confessioni et dicto pœnitentis : unde quantumcumque confessor sciat peccatum pœnitentis ex aliorum relatione, tenetur in hoc judicio magis credere ipsi pœnitenti. » (Disp. 32, s. 3. n. 9). Cf. S. Alph. n. 631 ; Gury n. 619).

§ II.

De dignoscenda pœnitentis dispositione.

Quum post peccatorum recognitionem, valor absolutionis dependeat a pœnitentis dispositione, quæ continetur in *contritione*, seu in *dolore* et *proposito*, de hac dispositione judicare debet confessarius. Ut enim Rit. Rom. ait : « *videat diligenter sacerdos quando, et quibus conferenda, vel deneganda, vel differenda sit absolutio.* Inquirendum ideo I Quale judicium seu qualis certitudo haberi debeat de pœnitentis dispositione, et II undenam efformandum sit hoc judicium.

184. I Ut sacerdos licite absolvat, sufficit et *per se* requiritur ut *prudenter* et *probabiliter judicet pœnitentem esse hic et nunc dispositum*, i. e. habere dolorem de peccatis confessis cum proposito non peccandi de cætero ; seu, ut ait et explicat S. Alph : « *Sufficit quod confessarius habeat prudentem probabilitatem de dispositione pœnitentis, et non obstet ex alia parte prudens suspicio indispositionis.* »

Ratio est, quod certitudo physica aut moralis stricte dicta haberi nequit de dispositione interna et supernaturali pœnitentis ; sufficit igitur certitudo moralis late dicta seu respectiva ad materiam, quæ prudenti probabilitati æquivalet ; alias enim, ut prosequitur S. Alph. « vix ullus posset absolvi, dum quæcumque signa pœni-

tentium non præstant nisi probabilitatem dispositionis.... Et hoc videtur satis exprimi in *Catech Rom.* ubi dicitur : Si « *audita confessione* (sacerdos) *judicaverit neque in enumerandis peccatis diligentiam, nec in detestandis dolorem pœnitenti omnino defuisse, absolvi poterit.* Ergo semper ac confessario positive non innotescit pœnitenti omnino defuisse dolorem, ipsum absolvere potest » (l. VI n. 461) (1).

Infertur : 1° Judicium prudens de sufficienti dispositione, non excludit aliquam formidinem vel dubitationem de opposito, sed excludit grave et probabile dubium de pœnitentis indispositione ; tunc enim ad summum remaneret judicium dubium, quod non sufficit extra casum necessitatis. Ideo dictum est judicum prudens et probabile *per se* requiri.

2° Prudens judicium non excludit *prævisionem relapsus* ; nam « dispositio sufficiens est dolor et propositum *præsens*, non emendatio *futura*, atque ita pœnitens poterit absolvi, licet judicetur relapsurus » (S. Alph. n. 459).

185. II. *Undenam efformandum est prudens judicium confessarii.*

Confessarius prudens judicium de sufficienti pœnitentis dispositione efformare debet ex *signis* seu *indiciis quæ sufficientia sint ad stabiliendam prudentem probabilitatem.*

1° Signum *ordinarium* et *commune* est *testimonium* pœnitentis aut *implicitum* in ipsa confessione peccatorum convenienti modo facta, aut *explicitum* in ipsius assertione se habere contritionem, seu dolorem de peccatis ac propositum non peccandi de cætero. Hoc signum *or-*

(1) S. Th. 22. 937, a. 9 : « Certitudo non est similiter quærenda in omnibus sed in unaquaque materia secundum proprium modum. Quia vero materia prudentiæ sunt singularia contingentia circa quæ sunt operationes humanæ, non potest certitudo prudentiæ tanta esse, quod omnino sollicitudo tollatur.

dinarie sufficit. Quum enim in foro sacramentali pœnitens sit accusator et testis, credendum peccatori confitenti *et pro se et contra se* » (1) Unde ait S. Alph. scribens de consuetudinario : « talis pœnitens ex una parte non est præsumendus malus, ita ut velit indispositus ad sacramentum accedere ; ex illa bene præsumitur dispositus dum peccata sua confitetur, cum ipsa spontanea confessio sit signum contritionis, *nisi obstet aliqua positiva præsumptio in contrarium* ; omnes enim conveniunt quod dolor per confessionem manifestatur » (n. 459). In hanc rem præclare scribit Suarez (2).

---

(1) S. Th. Op. 12 ; et in IV. Dist. 17. a. 3. « Quantum ad hanc cognitionem per confessionis manifestationem, non potest majorem certitudinem accipere, quam ut subdito credat, quia hoc est ad subveniendum conscientiæ ipsius, unde in foro confessionis creditur homini et *pro se et contra se.* »

(2) *De Pœnit.* disp. 32, S. 2 : « Priusquam (sacerdos) absolvat *necesse est ut prudenter et probabiliter judicet pœnitentem esse dispositum :* quia alias se exponeret et periculo errandi et sine sufficienti cognitione operaretur. Explicandum superest, quid debeat facere confessor, ut hoc prudenter judicet, et suæ conscientiæ satisfaciat. In quo est observandum, hanc dispositionem pœnitentis ex duobus consurgere, scilicet displicentia præteritorum et proposito in futurum. Et quidem quod displicentiam attinet, facile sibi potest satisfacere confessor ; quia si pœnitens in ipso modo confessionis et accusationis suæ præbet signa doloris, vel certe si est homo non valde rudis, et apparet moratus, nullam diligentiam in hoc tenetur confessor adhibere, bene tamen semper faciet, proponendo et consulendo detestationem peccati, et quando non habet sufficientia signa doloris, potest et debet interrogare pœnitentem ; an ex animo detestatur peccatum, cui affirmanti credere tenetur. Et hoc idem dicendum de proposito in futurum, quando ex confessione non oritur specialis aliqua obligatio restituendi vel relinquendi aliquam occasionem proximam peccandi, sed solum communis et generalis obligatio non peccandi de cætero. Neque oportet, ut confessarius sibi persuadeat et judicet etiam probabiliter, ita esse futurum ut pœnitens a peccando abstineat ; satis est ut existimet nunc habere tale propositum, quamvis post breve tempus illud sit mutaturus. Ita docent omnes auctores. »

2° Si testimonio pœnitentis obstet *positiva præsumptio in contrarium*, seu fundata et prudens suspicio indispositionis, illa elidi debet signo aliquo quod sit *præter* signum commune et ordinarium et plus quam illud, quodque vocatur *speciale* et *extraordinarium* signum. Consistit autem in aliqua *circumstantia confitentis* vel *confessionis*, quæ præsumptionem indispositionis removet, confirmat signum ordinarium, et cum eo connexum facit ut confessarius prudenter judicare possit pœnitentem esse dispositum. Hujusmodi signum multiplex est, quia circumstantiæ illæ et multæ et variæ et varie modificabiles sunt, ut patet ex signis quæ enumerari solent. Quare signa extraordinaria quæ afferri solent a DD. haberi debent tanquam exempla illarum circumstantiarum, non vero ut aliquid fixum et determinatum, quod semper et in omnibus et eodem modo haberi debet ad prudens judicium ferendum de dispositione pœnitentis. Parum igitur refert quale sit signum extraordinarium, modo sufficiens sit ad elidendam præsumptionem indispositionis. Unde ait S. Alph, n. 459 : « Quoties pœnitens affert *vera* signa doloris et propositi, toties bene absolvi poterit. »

Duplex ex dictis enascitur quæstio: 1ª quandonam datur prudens *præsumptio contra pœnitentem*, seu prudens suspicio indispositionis ; 2ª quænam sunt signa *extraordinaria* contritionis.

186. Quær. 1°. *Quandonam detur prudens suspicio indispositionis?*

Resp. Prudens sæpe datur suspicio indispositionis, quando, 1° pœnitens ad confessionem accedit coactus, vel ex humana tantum consideratione, vel sine ulla præparatione, vel 2° parum instructus est in rebus fidei, vel 3° peccata sua gravia sine ullo humilitatis sensu confitetur et quasi historice et jocose declarat, item si modo confitendi utitur astuto, quærens magis obtegere quam exponere peccata, aut ea non confitetur nisi cum fuerint detecta a confessario. 4° Si valde difficilis sit in acceptandis pœnitentiis et re-

mediis peccatorum necessariis. 5° Justa etiam interdum erit præsumptio, si pœnitens post confessionem cito et frequenter reincidit in eadem peccata, sine ulla emendatione et sine emendationis conatu, præsertim si id contingat post plures confessiones et confessarii admonitiones. Idem dicendum, si post confessionem promissis suis non stetit de occasione proxima deserenda, restitutione facienda, etc. præsertim si id pluries contingat (v. supra n. 184).

187. Quær. 2°. *Quænam sint signa contritionis specialia* seu *extraordinaria?*

Resp. S. Alph. novem recenset signa *peculiaria* sive *extraordinaria*, quæ ad duo capita revocari possunt, nimirum ad *aliquod emendationis studium* et ad *specialem manifestationem contritionis.*

1° Aliquod *emendationis studium*, v. g. *a)* adhibitio mediorum quæ confessarius præscripserat; *b)* abstinentia a peccatis per aliquod tempus post antegressam vel ante præsentem confessionem; *c)* lapsus in peccatum *difficilior*, i. e. post notabilem resistentiam, vel *rarior*, nempe in iisdem occasionibus et tentationibus.

2° Aliqua *specialis manifestatio doloris*; v. g. *a)* lacrymæ et suspiria saltem ut plurimum, sed præsertim cordialia verba; *b)* spontanea confessio, non ex usu aut alterius mero jussu, sed ex fine recuperandi statum gratiæ, etc.; *c)* metus specialis incussus ex aliquo extraordinario eventu, v. g. ob concionem auditam, mortem amici, imminens flagellum; *d)* confessio peccatorum quæ antea reticita fuerunt; *e)* significatio novæ cognitionis sui peccati aut periculi damnationis; *f)* postulatio mediorum ad se emendandum, et similia. (Cf. S. Alph. l. VI, n. 460, 505; *Prax. Conf.* n. 74). (1).

(1) Theoria signorum quæ dicuntur *specialia*, *peculiaria* et *extraordinaria*, antiquis theologis non fuit ignota. Dicit enim Lugo, *de Pœnit.* disp. XIV, n. 166: « Ad judicium ferendum de dispositione præsenti, deservit si (pœnitens) *peculiaria signa* ostendit, item si jam

188. *Notanda circa signa extraordinaria.*

1° Signa quædam contritionis vocantur *extraordinaria*, non quatenus sunt contritio extraordinaria, aut raro occurrunt, sed quatenus sunt *præter* signum commune et ordinarium. Quo facilior igitur quis est in admittendo signo ordinario, eo benignior erit in admittendo signo extraordinario. Unde fit aliquos inter extraordinaria signa recensere illa quæ ab pluribus reputantur ordinaria (1). Proinde inter illos non realis sed apparens est dissensio, dum alii pro absolutione v. g. recidivorum, sufficere dicunt signa ordinaria contritionis, alii vero exigunt signa extraordinaria.

2° Studium emendationis, quod ut signum extraordinarium affertur, stare potest cum modica tantum emendatione, ob *speciales* emendationis difficultates, quæ oriri possunt ex habitu valde radicato, ex tentationibus assiduis et vehementibus, ex indole valde levi quæ adolescentium et juvenum maxime propria est, ex facilitate qua aliqua peccata committuntur, v. g. peccata *cordis* et *oris* ; quin et in ipsis peccatis *operis* hoc attendendum est, facilius

---

adhibuit curam aliquam ad consuetudinem extirpandam, si nunquam admonitus de mediis adhibendis ad tollendam consuetudinem, nunc autem admonitus libenter ea suscipit et proponit adhibere illa media. » Et Layman, *de Sac. pœnit.* c. 4, n. 10 : » Verum tamen interdum vehemens est suspicio et justa præsumptio propositum emendandi simulatum aut non sufficiens esse, si videlicet pœnitens post duas vel tres confessiones eamdem peccati speciem eodem vel majore numero adferat, et nullus emendationis conatus antecessisse videatur : hoc casu differenda erit absolutio, nominato aliquo temporis spatio, infra quod pœnitens conatum adhibeat ad criminis emendationem, postea absolutionem accepturus. Id vero limitari debet, nisi pœnitens in præsente confessione *specialia* qualia ante nunquam, doloris signa ostendat, *quibus præsumptio illa de mala confitentis dispositione merito elidatur.* » Plures etiam ex his signis recensentur in Inst. S. C. de P. F. 29, Ap. 1784.

(1) Gury n. 625 inter signa ordinaria recenset plura signa, quæ S. Alph. habet ut extraordinaria (n. 459, 505).

enim admittitur pollutio quam fornicatio, facilius quis seducitur quam seducat.

3° Quod maxime ad praxim refert, necesse non est ut pœnitens qui indiget signo extraordinario ad probandam suam dispositionem, illud *antecedenter* habeat ad confessionem, sed satis est ut illud *actu habeat ante absolutionem*, post et per fervidam hortationem confessarii ; ut enim testatur Leo XII, *multi* accedunt *prorsus imparati*, sed *persœpe* industria confessarii parati et dispositi fieri possunt. Et vere, si confessarius indutus viscera misericordiæ Christi, magna ac paterna charitate et patientia conatus fuerit disponere pœnitentem, haud difficulter poterit reperire signum sufficiens præsentis dispositionis in pœnitente, qui serio testatur se dolere de peccatis ac ea se velle præstare quæ confessarius exigit. De disponendi obligatione statim dicetur.

4° Appretiatio dispositionis non solum pendet a signis, sed etiam a judicio confessarii, et consequenter ab experientia et donis divinis confessarii. Hic profecto prudens esse debet, quia judicium prudens ferre debet, non autem scrupulosus aut tam morosus, ut vix audeat sufficientiam signi admittere.

189. SCHOLION. *De disponendo pœnitente indisposito, vel minus disposito.*

Dicendum 1° de obligatione, 2° de modo disponendi, 3° de iis qui præsertim disponi debent.

1° *Confessarius pœnitentem indispositum aut minus dispositum disponere debet ad contritionem, ut beneficium absolutionis recipere possit.*

Constat ex præcepto charitatis, et ex officio confessarii, qui non solum judex, sed etiam pater et medicus est in hoc foro misericordiæ.

Probatur maxime ex gravissimis verbis Leonis XII (Const. *Charitate Christi*, 25 Dec. 1825), quæ altis omnium confessariorum mentibus essent imponenda, ipsisque

incitamentum et regula practica esse debent. Ita autem confessarios monebat :

« Sistunt se quidem multi sacramenti pœnitentiæ ministris *prorsus imparati*, sed *persæpe* tamen hujusmodi, ut ex imparatis parati fieri possint, *si modo sacerdos viscera indutus* misericordiæ Christi Jesu, qui non venit vocare justos, sed peccatores, sciat *studiose, patienter*, et *mansuete* cum ipsis agere. Quod si præstare prætermittat, profecto non magis ipse dicendus est paratus ad audiendum, quam cæteri ad confitendum accedere. *Imparati* enim illi tantummodo sunt judicandi, non qui vel gravissima admiserint flagitia, vel qui plurimos etiam annos abfuerint a confessione ; *misericordiæ* enim *Domini non est numerus, et bonitatis infinitus est thesaurus* ; vel qui rudes conditione, aut tardi ingenio non satis in se ipsos inquisierint, nulla fere industria sua id sine sacerdotis ipsius opera assecuturi ; sed, qui adhibita ab eo *necessaria, non qua præter modum graventur,* in iis interrogandis *diligentia, omnique in iisdem ad detestationem peccatorum excitandis, non sine fusis ex intimo corde ad Deum precibus, exhausta, charitatis industria*, sensu tamen doloris ac pœnitentiæ, quo saltem ad Dei gratiam in sacramento impetrandam disponantur, carere prudenter judicentur. »

« Huc etiam referuntur verba S. Alph. » Nescio quomodo a culpa excusari possint desides illi confessarii, qui statim ac noverint pœnitentem non statis dispositum, dimittunt, nulla aut valde modica præmissa diligentia ad eum curandum. Dico enim quod *confessarius tenetur ex rigorosa obligatione charitatis, cum disponere* quantum valet, etiam si multum temporis in hoc impendere debeat. » (l. VI, n. 608).

2° Quoad modum disponendi pœnitentes, hæc habet Rit. Rom. « Demum, audita confessione, (confessarius) perpendens peccatorum quæ ille admisit, magnitudinem ac multitudinem, pro eorum gravitate ac pœnitentis con-

ditione opportunas *correptiones* ac *monitiones*, prout opus esse viderit, *paterna charitate* adhibebit, et ad *dolorem et contritionem efficacibus verbis adducere conabitur, atque ad vitam emendandam ac melius instituendam inducet, remediaque peccatorum tradet.* »

Confessarius omni charitatis industria, studiose, mansuete ac patienter, non sine fusis ex intimo corde ad Deum precibus, peccatores excitabit ad contritionem, ob oculos ponendo peccatorum turpitudinem, rigorem justitiæ Dei vindicativæ, periculum damnationis æternæ, imminens forte Dei judicium, Dei misericordiam et infinitam bonitatem etc. Proderit interdum, ne pœnitentis attentio remittatur, motiva contritionis proponere per modum dialogi (1).

Monet S. Alph. quod confessario peccatorem disponenti, « curæ esse non debet, quod alii pœnitentes expectent: nam tunc confessarius non tenetur attendere ad bonum aliorum, sed tantum sui pœnitentis, pro quo tantum illo tunc, non vero pro aliis, rationem est Deo redditurus ». (2)

3° Confessarius imprimis ad absolutionem disponere debet pœnitentes rudiores (3), ignorantes mysteria fidei,

---

(1) Ita S. Aph. proponit motivum attritionis metu gehennæ deductum : *Fili mi, ubi nunc esse deberes in æternum ? In Inferno ? Ah ! in illo igne semper cruciandus esses ! Nec ibi ulla spes amplius resaret ut te illinc eripere posses !... Igitur te pœnitet Deum offendisse propter infernum quem meruisti ?* Dein simili fere modo proponit motivum contritionis perfectæ. (*Prax. Conf.* n. 10).

(2) l. v. u. 608. Si tamen multum temporis insumendum esset in disponendo pœnitente qui habet conscientiam intricatam, et alias multi pœnitentes deberente discedere non confessi, confessio, si commode fieri possit ad aliud tempus differri potest.

(3) S. Alph. in *Prax. Conf.* n. 10 : « Quocirca monitos esse volo confessarios, *perpaucos* esse pœnitentes, præsertim rudes, qui præposito actu doloris ad confitendum accedunt, nonnulli confessarii putant se satis suo muneri fecisse, si dumtaxat hujusmodi pœnitentes sequenti modo interrogant : *eia, postulasne a Deo veniam de omnibus his ?* (Quod revera non est verus actus doloris). *An te*

eos qui exiguam curam adhibent in præparatione ad confessionem (1), vel vitam ducunt liberiorem, eosque omnes contra quos adsit justa præsumptio seu fundata suspicio indispositionis ob magnum quem habent voluntatis affectum ad peccatum, vel ob frequentem relapsum in peccata jam confessa, sine ullo emendationis conatu.

Si autem pœnitens videtur sufficienter instructus et apparet moratus, et sat frequens in confitendo, confessarius non tenetur ulterius eum disponere, « bene tamen semper faciet, proponendo et consulendo detestationen peccati. » (Suarez, v. supra n. 185).

§ IV.

De absolutione conferenda vel deneganda vel differenda.

190. Confessarius *judicis* pariter ac *medici* personam sustinet, ac divinæ justitiæ simul et misericordiæ minister a Deo constitutus est, ut tanquam arbiter inter Deum et homines, honori divino et animarum saluti consulat. Diligenter ideo considerare debet « *quando et quibus conferenda vel deneganda vel differenda sit absolutio ne absolvat eos qui talis beneficii sunt incapaces.* » (Rit. Rom). Plures absolutionis denegationem referunt ad eos qui judicantur omnino indispositi, dilationem vero ad dubie dispositos et ad eos quibus licet satis dispositis utiliter ad tempus differtur absolutio. Alii tamen dilationem non distinguunt a denegatione.

191. Reg. I. *Pœnitenti qui prudenter judicatur dis-*

---

pœnitet ex corde omnium peccatorum ? Et nullo alio verbo interposito absolutionem eis elargiuntur. Totum ab hoc alium est bonorum confessariorum institutum ; hi enim in primis elaborant ut pœnitentes verum dolorem et detestationem peccatorum concipiant. »

(1) Frassinetti (n. d. 123 ad. n. 385) ait illorum pœnitentium, qui ex incuria vel ex defectu reflexionis carent dolore et proposito, *numerum esse magnum.*

positus, absolutio per se loquendo indilate est conferenda. — Pœnitens enim rite confessus et dispositus, per se loquendo, jus habet ad indilatam absolutionem, qua privari non potest sine injuria et damno, nec sæpe sine periculo ne confessio odiosa fiat et deseratur.

Infertur hanc confessarii obligationem esse *ex justitia*, et quidem *sub gravi*, si pœnitens confessus est mortalia peccata. Si autem sola venialia, censet Suarez forte non semper esse mortale, præsertim si nullum intercedat scandalum, et pœnitens facile possit incommodum resarcire (1).

Dictum est *per se loquendo*, nam *per accidens*, si gravis causa adsit, differri potest absolutio, « quod prudenti confessoris judicio relinquendum est, qui hoc *sine gravi causa et magna consideratione* facere non debet». (Suarez, l, c.) Unde,

192. Reg. II. *Pœnitenti etiam disposito, potest absolutio gravem ob causam differri, — quod tamen nonnisi cautissime, raro et ad breve dumtaxat tempus faciendum est.*

Ratio est quia confessarius non est tantum judex, sed et medicus : ideoque si judicet dilationem absolutionis valde profuturam esse emendationi pœnitentis, poterit ea tanquam remedio uti, etiamsi pœnitens sit invitus ; tunc enim pœnitens, licet sufficienter dispositus, non habet jus ut statim absolvatur (2). Quin etiam, si dilatio videatur

---

(1) Suarez, *de Sac, pœnit.* disp. 32 S. 5. n. 2. Cf. Gury-Ball. n. 423. Lehmkukl n. 429 circa absolutionem a solis venialibus, ait « eam non semper impertiri, sed aliquando solam benedictionem dare, ex se non est gravis injuria ; accedente rationabili causa nullum peccatum est ».

(2) Lugo, *de Sac. pœn.* disp. n. 167. « Cum confessarius judicat expedire dilationem absolutionis (pœnitenti probabiliter disposito) ad hoc ut pœnitens reddatur magis cautus et confirmetur in proposito non peccandi, nec ita facile postea relabatur ; potest certe et debe

necessaria, debebit confessarius absolutionem differre. Sed, advertunt alii medium quodvis nunquam necessarium dici nisi sit unicum, et vix posse dilationem absolutionis haberi ceu medium unicum emendationis pro pœnitente disposito ad absolutionem (1).

Dictum est 1° requiri *causam gravem ;* dilatio enim privat gratia sacramenti, et pœnitentem solum attritum relinquit in statu peccati mortalis et periculo damnationis, et alia secum ferre potest incommoda gravia. His autem præponderare debet causa ob quam differtur absolutio.

Tanquam *gravis causa* differendi absolutionem affertur *a)* si pœnitens, præsertim segnis et inconstans in propositis exsequendis, dilatione absolutionis efficaciter sit excitandus ad prompte exsequendam gravem obligationem, eam maxime quæ unico actu impleri possit, v. g. ad scandalum reparandum, occasionem proximam deserendam, denuntiationem aut restitutionem faciendam (2), — vel ad emendandam pravam consuetudinem, eam præsertim quæ ad peccata semideliberata aut etiam indeliberata propellit, qui tamen actus culpabiles in causa sint, in segnitie scilicet et negligentia emendationis (3) ; — vel *b)* juxta nonnullos, ad melius instruendum ac disponendum pœnitentem (4), vel etiam, *c)* si dilatio necessaria videatur ut pœnitens gravitatem sui criminis intelligat illudque magis horreat (5).

Dictum est 2° : absolutionem non nisi *cautissime* et *raro* differri posse; ut enim advertit Suarez, magna consideratione heic opus est. Quare docent DD. absolutionem differendam non esse, si dilatio magis obfutura quam

---

aliquando ut medicus hoc remedium pœnitenti adhibere. » Cf. S. Alph. n. 462.

(1) Gury-Ball. n. 621 : Bucceroni. *De absolutione danda* etc. n. 8.

(2) Lehmkuhl. *de Sac. pœnit.* n. 430; Berardi *de Recidivis* n. 143, 599.

(3) Gury-Ball. n. 621, et Ballerini Opus Theol. mor. t. 5, n. 324.

(4) Dicastillo, *de Pœnit.* disp. 6. dub. 21, a 275.

(5) Lacroix, *de Pœnit.* n. 1764.

profutura, vel inutilis, vel molesta pœnitenti videatur : ut v. g. si inde retrahendus sit pœnitens a confessione, vel animo dejiciendus, vel diu carere deberet absolutione, vel apud alium confessarium iterare arduam confessionem, vel cum magno incommodo eumdem adire confessarium, vel notam sin minus infamiæ, saltem admirationis, suspicionis incurrere propter omissam communionem; si absolutione potius quam ejus dilatione confirmanda speretur voluntas pœnitentis, et generatim si pœnitens invitus et admodum ægre ferret absolutionis dilationem. Gury n. 623.

Extra hos casus in quibus causa aliqua vetat ne differatur absolutio, prudentiæ confessarii, implorato divino lumine, relinquitur discernere quid faciendum sit. Dilatio absolutionis prodesse præsertim poterit ad urgendam executionem obligationis quæ uno actu impleri potest. S. Alph. (n. 463) fatetur *raro* differendam esse absolutionem pœnitenti relapso ob fragilitatem internam, ut accidit in peccatis pollutionis, delectationis morosæ, odii, blaphemiæ et similium.

Dictum est 3°, absolutionem ad *breve dumtaxat tempus* differendam esse ; unde Gury *de Pœnit.* n. 625 ait : « Si quando dilatio aliqua absolutionis expedire videtur, ad breve tantum tempus fieri debet, v. g. ad tres, quinque, octo dies, etc. Interdum ubi facile fieri potest, absolutionem etiam ad unum diem, vel ad paucas horas differre utile erit, » ut pœnitens melius se disponat et absolutionem ferventius atque uberiori cum fructu recipiat.

193. Reg. III. *Pœnitenti qui prudenter judicatur indispositus, deneganda est absolutio.* Constat ex verbis Leonis XII (v. n. 190). Grave enim semper est sacrilegium scienter absolvere pœnitentes absolutionis incapaces. Hujusmodi autem juxta Rit. Rom. sunt : « qui nulla dant signa doloris, qui odia et inimicitias deponere (1), aut

(1) Intelligendi sunt qui fovent odium voluntatis, quo nimirum volunt grave malum inimico, gravem in voluntate aversionem a pro

aliena, si possunt, restituere, aut proximam peccandi occasionem deserere, aut alio modo peccata derelinquere, et vitam in melius emendare nolunt, aut qui publicum scandalum dederunt, nisi publice satisfaciant et scandalum tollant, » nec non ii qui ignorant mysteria creditu necessaria necessitate medii, verbo omnes qui certam et gravem obligationem implere nolunt.

Confessarius debet esse 1) inflexibilis in neganda absolutione iis quos post fervidam etiam adhortationem judicat omnino contritione carere : verum 2) debet etiam esse charitate plenus, tum in eos, quantum fieri potest, disponendo ad absolutionem (v. sup. n. 190) tum in illos, si necesse fuerit, dimittendo mansueto sermone et ad breve tantum tempus, prout causa dilationis requirit et conditioni ac negotiis pœnitentis convenit; simul eos allicere debet ut quam primum redeant ac interim orent et fideliter peragant quæ salubriter præscripta fuerint (v. n. 190).

194. Reg. IV. *Pœnitenti dubie disposito differenda est absolutio, — nisi periculum gravis damni spiritualis urgeat ad eum sub conditione absolvendum.* Non licet enim absolutionem exponere periculo nullitatis, nisi adsit gravis causa necessitatis spiritualis, qua existente et adjecta conditione abstergitur irreverentia sacramenti, et consulitur saluti pœnitentis.

Dubie autem dispositus intelligitur ille quem nulla prudens ratio suadet esse sufficienter dispositum (1) aut « contra quem grave præjudicium ex positivis indiciis adest quod aliquatenus quidem, sed non cum satisfactione, dissolvit,

---

ximo fovent, vindictam gravem meditantur. Notetur odium illud voluntatis differre ab odio appetitus sensitivi, quod est passio et manere quandoque potest, ita ut commotio sanguinis sentiatur, quamvis odium voluntatis omnino sit depositum. Nec necesse est ad odium deponendum ut simul remittantur debita et damna realia. De consulenda interdum cessatione ab actione criminali, v. s. Alph. *Prax. Conf.* n. 38.

(1) Gury-Ball. n. 637.

ita ut fundata ratio supersit, eum pro non satis disposito habendi » (1).

Hinc 1° sub conditione absolvendi sunt moribundi omnes de quorum indispositione vel incapacitate certo non constat ; item pœnitentes dubie dispositi qui versantur in gravi mortis periculo (quamvis non proximo), v. g. mulier in partu difficili, nautæ longam navigationem suscepturi, etc. 2° Sub conditionte absolvi debent aut saltem possunt sponsi dubie dispositi, proxime matrimonium contracturi, 3° semifatui et pueri quorum dubius est usus rationis, si confessi sunt aliquod peccatum mortale certum vel dubium. Imo etiam aliquoties per annum absolvi possunt, quamvis sola venialia afferant, ne tamdiu priventur gratia sacramentali, aut in mortali remaneant, si quod commiserint (v. S. Alph. n. 432, Gury, n. 439). 4° Sub conditione absolvi possunt pœnitentes in mortalia lapsi et dubie dispositi, si prudenter timetur ne dimissi animo dejiciantur et in peccatis tabescant vel desperent, vel ne redeant et diu abstineant a confessione, aut alienentur a religione, vel in futuris confessionibus peccata reticeant et sacrilegia cumulent, vel si sine periculo infamiæ et scandali abstinere non possint a sacra communione. Sub conditione absolvi etiam possunt pœnitentes surdo muti, surdastri vel idiomate utentes ignoto, quorum dispositionem confessarius dubiam habet nec sufficienter scrutari potest (2).

Nota. 1) Necesse non est conditionem exterius exprimere, sed satis est eam mente retinere. Cf. n. 23 ubi alii etiam

---

(1) Lehmkuhl, *de Sac. pœnit.* n. 425.

(2) Cf. S. Alph. l. VI, nn. 431, sqq., *Prax. Conf.* n. 102, 104; Gousset, *theol. mor.* t. 2, n. 473; Gury, t. 2, n. 435, sqq.; 622; Lehmkuhl, *de sac. pœnit.* n. 273; Berardi. *De Recidivis* n. qui ibidem n. 160, sq. censet conditionate absolvi etiam posse pœnitentes mentem ita confusam habentes aut modo tam confuso loquentes, ut ex eorum responsionibus nihil percipi possit, et puellas confitentes culpas contra castitatem quas prudenter examinare non potest, nec percipere quit an agatur de peccato mortali.

assignantur casus in quibus absolutio sub conditione dari potest.

2) Confessarius pœnitentem sub conditione ob dubiam dispositionem absolutum non debet impellere aut hortari ad communionem. Si tamen pœnitens illam suscipere vult vel ex illius omissione periculo infamiæ aut gravis incommodi exponeretur, a communione prohibendus non est; quare nihil dicat confessarius. In casu pœnitens in bona fide existens, communicabit forsan justificatus, forsan per attritionem dispositus ad gratiam primam *per accidens* recipiendam, vel saltem formale sacrilegium non committet (1).

ART. V.

De officiis confessarii erga varios pœnitentes.

Dicendum de modo quo confessarius officium medici præsertim et judicis exercere debeat erga varias pœnitentium species, v. g. erga *occasionarios*, seu qui versantur in occasione proxima, *consuetudinarios* et *recidivos*, *ignorantes mysteria fidei*, *moribundos*, *confitentes sola venialia*, *pueros*, etc.

§ I.

De pœnitentibus qui versantur in occasione proxima.

Dicitur I de notione et distinctione occasionis proximæ, II de obligatione eam vitandi, III de absolutione occasionariorum.

I

NOTIO ET DISTINCTIO OCCASIONIS PROXIMÆ.

195. Occasio peccati est *circumstantia externa rei*

(1) Gousset, l. c. n. 473; Gury, t. 2. n. 436, sqq; Berardi *de Recid.* n. 175.

sive personæ alliciens ad peccandum. Periculum peccati latius patet, quia oriri etiam potest ab intrinseco, v. g. ex habitu, etc. Occasio peccati est *proxima*, si multum allicit et frequenter perducit ad peccatum formale ; secus est *remota* (1). Unde ad judicandum quod aliquid sit moralis occasio proxima, necessarium est, ait Suarez, « vel ut ex genere suo talis sit quæ *frequenter* inducat homines similis conditionis ad tale peccatum, vel ut experimento constet in hoc homine habere talem effectum. »

Multiplex distinguitur occasio proxima : 1° *absoluta*, seu *per se*, quæ ex sua natura communiter homines frequenter ad peccatum perducit, v g. cohabitatio cum concubina, aspectus fixus rei valde turpis, etc. ; vel *relativa*, seu *per accidens*, quæ hunc hominem, spectata fragilitate ipsi propria, frequenter ad peccatum perducit, ut esse potest v. g. collocutio cum persona diversi sexus, frequentatio tabernæ, chorearum, etc.

Non consentiunt DD. circa *frequentiam* requisitam ad occasionem proximam. Alii enim requirunt ut homines in ea constituti *semper* vel *fere semper*, vel saltem *ut plurimum* peccent, alii sufficere dicunt *ut frequenter* peccent (2). S. Alph. ut occasionem proximam *absolutam* habet eam in qua homines communiter ut *plurimum* peccent, ad *relativam* vero non requirit ut quis *fere semper* aut *frequentius* in ea peccet sed sufficere docet quod *frequenter* labatur (l. VI, n. 452).

Ex dictis infertur : *a)* Occasio proxima dignosci potest a *priori*, ex objecti illecebra, ex pœnitentis fragilitate et propensione ad peccatum, indole, cæterisque

---

(1) Ratio cur altera occasio appelletur proxima altera vero remota, hæc videtur esse inter occasionem proximam et peccatum nihil mediare, propter quandam conjunctionem necessariam moraliter, quam videtur habere cum peccato, remota autem non ita videtur conjuncta, qnatenus mediat major libertas hominis per quam consequitur peccatum. (Lugo, disp. 14, n. 149).

(2) Cf. Gury-Ball. n. 628.

adjunctis. Hinc sine prævio lapsuum experimento, ingressus in domum meretriciam, cohabitatio cum puella juniore ac leviore, censetur occasio proxima respectu juvenis fragilis ad libidinem proni. Dignoscitur *a posteriori*, per experientiam, ex lapsuum frequentia.

b) Occasio uni potest esse remota, alteri vero proxima vel uno tempore et loco esse proxima, alio vero remota.

2° Occasio proxima est *præsens*, seu *in esse, continua*, vel *absens, interrupta, non in esse*. Prior ea est quæ semper aut fere semper præsens adest, quin opus sit illam quærere, v. g. habitatio cum concubina vel ancilla, retentio imaginis ad libidinem incentivæ. Posterior per intervalla occurrit vel quæritur, v. g. occasio tabernæ, ludi, choreæ, socii periculosi.

3° Occasio est *voluntaria*, quæ facile, seu sine gravi incommodo removeri aut vitari potest, vel *involuntaria*, seu *necessaria*, quæ sive physice sive moraliter removeri aut vitari non potest. Occasio *physice* necessaria est quando absolute removeri aut vitari non potest, v. g. retentio cum concubina in eodem carcere, in eadem navi ; *moraliter* vero, quando removeri aut vitari non potest sine peccato, scandalo, gravi infamia, vel gravi detrimento spirituali aut temporali.

4° Occasio proxima alia oritur ex re *mala* vel *inutili* ; alia vero ex re *bona* et *honesta*, v. g. ex exercitio alicujus artis vel officii.

II

DE OBLIGATIONE VITANDI OCCASIONEM PECCATI.

196. *Prænota*, 1° Quæstio restringitur ad occasionem *proximam*, Nam si de *remota* agitur : *a)* non datur obligatio vitandi occasiones omnes remotas peccati mortalis ; nam ejusmodi occasiones ubique occurrunt et vitari nequeunt sine magno et jugi incommodo.

Si tamen *b)* occasio quædam particularis speciale aliquod quamvis haud grave afferat periculum peccati mortalis, venialis videtur obligatio illam vitandi, nisi causa quænam adsit eam frequentandi, vel aliqua cautela adhibeatur, vel nisi illud periculum adeo leve sit ut meræ possibilitati peccandi æquiparari possit. *c)* Si occasio remota prævidetur paulatim inductura occasionem proximam, tunc præsertim urgenda est obligatio illam vitandi, vel per media opportuna impediendi ne proxima fiat. Cf. Lehmkuhl, n. 486, 489.

2° Occasio proxima vitari potest duplici modo: *a) physice*, re vera seu materialiter illam removendo vel deserendo, v. g. ejiciendo, vitando personam periculosam; — *b) moraliter* et *æquivalenter*, illam uti dicitur de proxima faciendo remotam, quando nimirum sine physica seu materiali separatione, grave periculum peccandi tollitur vel redditur leve et remotum per opportuna media adhibita, quæ *vim occasionis* et *passionis diminuant* et *vires spirtuales augeant*.

Ita v. g. vis occasionis diminuitur vitando aspectus fixos complicis, colloquia et præsentiam solitariam cum ipso, item si puella seductori minetur se rem patefacturam esse, si clamare incipiat, violentiam externam adhibeat ad eum avertendum, si opportune rem deferat alicui qui efficax remedium afferre potest (Cf. S. Alph. Prax. Conf. n. 58).

Vis passionis diminuitur, nullum ei præbendo fomentum per otium, libertatem sensuum, turpes cogitationes, pravas lectiones, intemperantiam, etc.; item illam refrænando per laborem, jejunia et alias macerationes, quatenus prudenter fieri potest; speciatim vero de persona amata non cogitando, non loquendo, etc.

Vires demum spirituales pœnitentis augentur oratione et sacramentorum frequentatione. Curandum itaque est ut pœnitens quolibet mane et vespere, præcipue vero pulsante tentatione, Deum ac B. M. V. deprecetur; ut quatenus fieri potest, sacrificio Missæ assistat, preces

novendiales instituat. S. Alph. l, VI, n. 455, præsertim commendat propositum non amplius peccandi quotidie coram imagine Crucifixi renovatum. Maxime etiam consulenda est quotidiana recogitatio de novissimis, lectio spiritualis, et præsertim frequens confessio, eaque sine mora post relapsum instituta.

197. His prænotatis, circa *obligationem et modum vitandi occasionem proximam peccati mortalis,* duplex statuitur regula :

Reg. I. Occasio proxima *voluntaria* peccati mortalis, *physice* vitari, seu removeri aut deseri debet. — Est sententia communis ; ex obligatione enim vitandi peccatum sequitur obligatione vitandi illius periculum proximum, et ea, quæ quadam necessitate secum trahunt peccatum, saltem quando moraliter possumus eas occasiones vitare. Accedit propositio 61 damnata ab Innoc. XI : « Potest aliquando absolvi, qui in proxima occasione peccandi versatur, *quam potest et non vult omittere ;* quinimo directe et ex proposito quærit, aut ei se ingerit. » Infertur mortaliter peccari, si quis sine gravi causa excusante sese objicit occasioni vere proximæ peccati mortalis. Quare interrogandi sunt pœnitentes occasionarii quanto tempore in occasione continua permanserint, et quoties interruptam frequentaverint.

Nota. Obligatio *physice* vitandi occassionem proximam *voluntariam* peccati mortalis, juxta nonnullos (1), in raro casu exceptionem pati potest, modo firma adsit voluntas adhibendi media quæ prævideantur fore efficacia ad eliminandum periculum proximum peccandi. Afferuntur casus sequentes : *a)* quando occasio ex seipsa, imo attenta etiam fragilitate pœnitentis, fere nullam vim habet, et eatenus tantum in peccatum induxit, quatenus pœnitens nullis cautelis usus est ; *b)* quando occasio non valde magnam

(1) Cf. Berardi, *de occasionariis,* n. 19 sqq.

vim habet, et ex alia parte pœnitens fortis animi paratus est extraordinaria media adhibere, dum de cætero in occasione ipsa (quæ per hæc media extraordinaria remota reddatur) ex honesto et rationabili motivo permanere velit; *c)* quando periculum grave ita exsurgit ex influxu duarum occasionum, ut, si una auferatur, altera non amplius periculum grave producat.

Practice non est admittenda exceptio, si occasioni adjungitur vehemens passio, habitus pravus valde intensus, præsertim vero in materia luxuriæ, v. g. ex occasione personæ perdite amatæ.

198. Reg. II. Occasio proxima *necessaria* physice vitanda non est, sed sufficit et saltem requiritur ut *moraliter* seu *æquivalenter* vitetur. — Ita etiam communis sententia; tunc enim occasio peccati quæ ex se peccatum non est nec necessitatem inducit peccandi, minime intenditur, sed solum ex gravi causa permittitur, et confidere licet fore ut, auxiliante gratia Dei quam sine temeritate sperare tunc licet, et mediis adhibitis, periculum peccati fiat leve ac remotum et lapsus præcaveatur (1).

Quær. 1°. Quandonam occasio censeatur *necessaria* et *physice non vitanda?*

Resp. Occasio censetur necessaria et physice seu materialiter non vitanda, non solum quando datur *physica* seu omnimoda *impossibilitas* illam materialiter vitandi, sed etiam quando datur *impossibilitas moralis* aut *gravis difficultas*, v. g.:

1° Si occasio proxima physice vitari non potest *sine peccato*. Ita sæpe uxor deserere non potest maritum, aut miles militiam, aut monialis monasterium.

---

(1) In quam rem hæc habet S. Bas. (*Const. Mon.* c. 4): « Qui urgente aliqua causa et necessitate se periculo objicit, vel permittit se esse in illo, cum tamen alias nollet, non tam dicitur amare periculum, quam invitus illud subire; et ideo magis providebit Deus, ne in illo pereat. »

2° Si physice vitari nequit sine *gravi scandalo;* ut si ex discessu uxoris a marito sequeretur ruina spiritualis in filiis, scandalum in populo (S. Alph. l. VI, n. 455) aut,

3° sine *gravi detrimento spirituali.* Hinc ait Gury « non esset obliganda ad exeundum statim e domo famula pro casu in quo exire non posset, nisi in æquale periculum et forte in majus incideret. » Cas. Consc. n. 699 sqq.). Cavendum tamen ab hallucinatione (v. ibid. n. 693).

Hinc etiam ad impediendum magnum damnum spirituale proximi, licitum est se exponere probabiliter periculo peccandi, si damnum spirituale alia via non posset impediri (v. S. Alph. l. II, n. 26, et l, VI, n. 453).

4° Si occasio physice vitari nequit sine *gravi detrimento temporali in bonis vitæ, famæ vel fortunæ.* — Rationem conclusionis et simul regulam eam applicandi tradit Segneri his verbis : « Præceptum deserendi occasionem impositum fuit a lege naturali, ut diminuantur peccata, non vero ut augeantur. Quando itaque practice major difficultas adest in dimittenda occasione quam in abstinendo a peccatis occasione remanente, tunc obligatio illam deserendi adesse non potest. » (1).

Requiritur igitur causa vere gravis (2), nec sufficit

---

(1) Eamdem regulam tradit Fr. Giordanini, subdens ad hoc judicium ferendum opus esse multa sapientia, multa prudentia ac discretione, ac insuper multo lumine quod desursum sit, nec fere idoneum ad id esse confessarium novitium sed qui diuturna experientia non modo in confessionibus excipiendis peritiam habeat, sed præterea qui noscat mundi hujus conditiones.

(2) Cf. prop. 62 damn. ab Innoc. XI « Proxima occasio peccandi non est fugienda, quando causa aliqua utilis aut honesta non fugiendi occurrit, » et 63 « Licitum est quærere directe occasionem pro bono spirituali vel temporali nostro vel proximi, » et prop. 41 damnatam ab Alex. VII : « Non est obligandus concubinarius ad ejiciendam concubinam si hæc nimis utilis esset ad oblectamentum concubinarii, vulgo regalo, dum, deficiente illa, nimis ægre ageret vitam et aliæ epulæ tædio magno afficerent concubinarium et alia famula nimis difficile inveniretur. »

causa excusans ab aliis præceptis, v. g. audiendi Missam, jejunandi. Eo gravior autem debet esse causa, quo occasio est periculosior, ad enormius peccatum inducens, difficilius reddenda remota, et quo minor est spes emendationis.

Cavendum heic etiam ab hallucinationis periculo ; pœnitentes enim qui multum occasioni adhærent, facile prætextus obtrudunt, vel incommoda exaggerant ut in illa possint permanere (1).

Generatim tanquam causæ sufficientes habentur : si deserendo physice occasionem, magnam infamiam quis deberet subire (2), — vel artem, negotiationem, officium relinquere (3), — a statu suo decidere, vel ad gravem necessitatem redigi (4), — si filius familias deberet domum paternam deserere. Notant etiam plures theologi, eos qui propter extremam fragilitatem inveniunt occasiones proximas in rebus passim occurrentibus, teneri quidem ad cautelas adhibendas, non tamen ad eas occasiones universim vitandas ; id enim esset quid intolerabile (5).

III

DE ABSOLUTIONE OCCASIONARIORUM.

199. Inter sententias rigidorum qui nunquam absolvunt ante amotam occasionem, et laxiorum qui absolvunt semper ac pœnitens dicit se contritionem habere, media

---

(1) Ut causa insufficiens habetur, si concubinarius mediocriter dives deberet famulæ dimittendæ solvere salarium centum aureorum (S. Alph. l. IV n. 455), quod hodie æquivalet 1000 francis.

(2) S. Alph. l. 3, n. 435.

(3) Ibid., n. 438.

(4) S. Alph. l. 3, n. 437, 441, et l. 3, n. 31. Gury (*Cas. consc.* n. 690) quærit an ancilla excusetur, ita ut remanere possit cum hero quocum *identidem* peccat « quia a pluribus annis herus stipendium annuum ipsi non persolvit, nec est persoluturus, si discedat? » Et respondet hanc ancillam excusari, « si *valde pauper sit*, et stipendium notabile ipsi debeatur ; v. g. multorum annorum ». Cf. S. Alph. l. III, n. 437, 441, et II, n. 31.

(5) Cf. Lugo, *de Pœnit.* D. 15, S. 4, n. 50.

incedit via S. Alph. cujus doctrina ad sequentes regulas reducitur :

Reg I. Absolvi non potest pœnitens qui non vult *physice* vitare occasionem proximam *voluntariam* peccati mortalis. — Idem dicendum si occasio licet remota, *nisi statim deseratur,* brevi futura sit proxima. Constat ex dictis supra n. 197. (S. Alph. l. VI, n. 452).

200. Reg. II. Pœnitens qui habet occasionem *voluntariam interruptam*, 1) bis aut etiam ter absolvi potest, antequam eam actu deseruerit, modo serio promittat se eam deserturum. — 2) si vero postea aliqua emendatio non appareat, differri debet absolutio donec actu occasionem deseruerit, nisi signum extraordinarium ostendat contritionis et firmi propositi (1).

Ratio 1[i] est, quia confessarius in casu prudenter credere potest pœnitenti testanti suum propositum, si aliunde gravis non sit præsumptio contra ipsum. Adverte tamen occasionarium recidivum heic supponi qui non sit simul consuetudinarius. De quo postea dicendum.

Ratio 2[i] est, quia si nulla vel inchoata emendatio adsit, repetita illa inconstantia voluntatis suspectam facit sinceritatem propositi pœnitentis, quæ suspicio signo aliquo extraordinario elidenda est (v. supra n. 186, 187).

Nota. Enuntiata regula spectat confessarium tanquam *judicem ;* nam quatenus est *medicus*, differre poterit absolutionem, si dilatione confirmandus sit pœnitens ad propositum suum exsequendum (v. supra n. 192). Et censet s. Alph. ex officio medici differendam esse absolutionem donec occasio amota fuerit, *quando commode differri potest* (2). Quæ ultima verba attendenda sunt;

---

(1) S. Alph. l. VI, n. 452-454. *Prax. Conf.* n. 66, coll. 66. *Il confessore directo,* c. 15, n. 10.

(2) l. VI. n. 454: « Nunquam absolverem, qui est in occasione proxima extrinseca..., præsertim si de materia turpi semper ac absolutio commode differri potest... scilicet « usquedum tollatur occasio,

magna enim consideratione et cautela opus est in medicinali absolutionis dilatione, neque ea utendum, si timeatur eam pœnitenti fore nocivam vel valde onerosam (v. n. c.). Unde ratio habenda est locorum, in quibus v. g. fides vivida est vel languida, personarum et circumstantiarum. Opportuna præsertim poterit esse dilatio absolutionis, si amotio occasionis proximæ sit valde difficilis et magnum conatum requirat, præsertim si uno alterove actu occasio removeri possit. Cf. superius dicta *de medicinali dilatione absolutionis* (n. 192), *de disponendo pœnitente indisposito* (n. 189) *de absolutione danda aut differenda dubie disposito* (n. 194).

201. Reg. III. Pœnitens qui versatur in occasione *voluntaria in esse*, ne prima quidem vice *ordinarie loquendo*, absolvi potest, priusquam occasionem actu removerit (S. Alph. l. VI, n. 454, 456, 463, 464; *Prax. Conf.* n. 67, sq.).

Ratio est, quia etiamsi confessarius absolvere possit ut judex, si pœnitens prudenter existimetur habere firmum propositum occasionem physice removendi, non potest tamen ut medicus, propter proximum periculum infringendi propositum. Remotio enim occasionis in esse, præsertim in materia luxuriæ, v. g. ejectio concubinæ vel famulæ quacum peccatur, exigit arduam sui victoriam, et pœnitens occasionis præsentia fascinatus et emollitus facile omittit occasionem removere. Nam occasio luxuriæ præsens ita mentem excæcat ut omnia proposita e memoria deleat. S. Alph. n. 454, *Prax. Conf.* n. 67.

Dictum est: *ordinarie loquendo*; nam plures dantur exceptiones, modo pœnitens ex signis contritionis credatur firmum habere propositum occasionem quamprimum dimittendi, et adhibendi cautelas ad præcavendum relapsum.

---

si voluntaria sit; si vero necessaria, donec periculum recidendi ex proximo fiat remotum.

Excipitur enim : 1° si occasio absque magna difficultate removeri possit ; quod præsertim contingere potest extra materiam luxuriæ, v. g. si pravus liber comburendus sit; 2° si gravis urgeat causa ad statim absolvendum pœnitentem, v. g. : *a)* periculum mortis, in quo pœnitens statim occasionem removere non potest, propter temporis angustiam, grave scandalum aut gravem infamiam. (Gury, *Cas. Consc.* n. 724). — *b)* Periculum infamiæ, quia sine gravi infamia abstinere non potest pœnitens a s. communione, vel illico post confessionem removere occasionem ; *c)* Gravis difficultas brevi redeundi ad confessionem et alium adeundi confessarium. — *d)* Periculum gravis damni spiritualis ; si nempe prudenter timetur pœnitentem dimissum sine absolutione per longum tempus alienandum esse a sacramentorum usu et religionis exercitiis, et profundius peccatis immergendum. Excipitur 3° si pœnitens signum extraordinarium præbeat contritionis et firmi propositi ; ob quod credi possit abesse periculum inconstantiæ in proposito. Sed tunc etiam congruentius differtur absolutio usque ad remotionem occasionis, si cito et facile removeri possit, nec gravis aliqua causa impellat ad indilatam absolutionem.

Enumeratæ causæ non differendi absolutionem potissimum valent quando prima vice confitetur pœnitens. Valere quoque interdum possunt, quamquam difficilius, si post confessionem fidem fregit ; sed tunc requiritur signum extraordinarium contritionis, quo elidatur suspicio indispositionis, ut confessarius qua judex possit absolvere. Plures absolutionem solum permittunt recidivo post unam confessionem, alii id etiam post unam alteramve aut tertiam confessionem ; nam ut ait Layman : « Neque in his casibus universalis regula statui debet, cum fieri possit, ut, licet aliquis semel et iterum admonitus... concubinam non dimiserit, *nunc tamen evidentiora mutatæ voluntatis indicia præ se ferat,* ut ejus promissio acceptari et absolutio dari possit. »

Nota. Exposita S. Alph. doctrina re ipsa non differt a doctrina Suarez qui tradit quidem pœnitentem posse absolvi antequam occasionem dimiserit, sed plures ponit limitationes (1).

202. Quær. *Quamdiu differenda sit absolutio occasionario*, si dilatio necessaria sit aut opportuna propter dubiam ejus dispositionem vel constantiam ?

Resp. Differenda est absolutio donec occasio ita sublata est, ut non maneat probabile dubium circa dispositionem aut constantiam pœnitentis ; quod quidem a multis pendet circumstantiis : interdum enim dilatio unius alteriusve diei sufficit, ut si unico actu obtruncari potest occasio, v. g. dimissione concubinæ ancillæ, destructione perversi libri, etc. Inderdum requiritur et sufficit dilatio octo, decem aut quindecim dierum. Semper autem sufficiens erit dilatio unius mensis (S. Alph. l. vi n. 463) ; sed ad mensem differenda non est, si infra illum pœnitens occasionem adire non potest, vel si timendum sit ne redeat

---

(1) Ita scribit Suarez, *de Pœnit.* d. 32, S. 2, n : 3 : « Tota difficultas ad hoc revocatur, quando ex confessione resultat specialis obligatio restituendi vel relinquendi occasionem proximam in futurum. Circa quod primum observandum est, *non semper debere confessorem cogere pœnitentem, priusquam illum absolvat, ut id exsequatur quod facere tenetur*... quia hæc obligatio non semper urget pro statim, et quia satis est, ut pœnitens credatur habere firmum propositum suam obligationem implendi, cui credendum est, *præsertim si tunc primum incidit in hanc occasionem vel obligationem et non est inventus infidelis vel inconstans in similibus propositis, nec ex aliis conjecturis potest talis suspicio probabiliter concipi*... Aliquando vero oportet remittere pœnitentem et illum non absolvere, donec suam obligationem impleat, præsertim quando iterum atque iterum illam confessus est et implere promisit neque implevit ; quia alias relinqueretur in morali occasione peccandi et ejus propositum non potest judicari efficax, quando convincitur esse in mora et posse et non facere. Quapropter oportet confessores in hoc esse cautos et constantes, ne graventur peccatis alienis. »

pœnitens, ut sæpe timendum erit, nisi pœnitens sit docilis et recipiendæ absolutionis valde cupidus. Cf. S. Alph. *Prax. Conf.* n. 72 (1). Si dilatio ad mensem opportuna videatur, inducatur pœnitens ut citius redeat per confessarium confortandus.

203. Reg. IV.— 1) Pœnitens existens in occasione proxima *necessaria*, absolvi potest, quin occasionem physice relinquere teneatur, si prudenter judicetur dispositus et paratus congrua media adhibere quibus occasio fiat remota. — 2) Si vero post confessionem *recidivus* fuerit, seu eodem modo relapsus fuerit et media præcepta neglexerit, differenda est absolutio donec aliqua saltem emendatio appareat, nisi signum extraordinarium dispositionis exhibeat. (S. Alph. n. 455). 3) Hæc spectant officium confessarii ut judicis; nam expedit vel etiam oportet ut confessarius qua medicus istis occasionariis prima vice confessis vel recidivis differat absolutionem, donec periculum fiat remotum, *semper ac absolutio commode differri potest.*

Ratio 1ⁱ et 2ⁱ est quia adjuvante gratia quæ *vigilanti* et *oranti* non deerit illi qui periculum peccandi non quærit, sed gravem ob causam permittit, adesse potest firmum propositum non peccandi et sperari emendatio. Recidivo autem differenda est absolutio, quia præbet suspicionem infirmi propositi, nisi hæc elidatur signo extraordinario.

Ratio 3ⁱ est, quia existimat S. Doctor confessarium « nullum aptius antidotum ministrare ei qui est in occa-

(1) « Que faire à l'égard d'un pénitent qui se trouve dans une occasion prochaine et volontaire, mais une occasion qui ne se présente que rarement, p. ex. une fois par an ? S'il parait disposé à renoncer entièrement à cette occasion, on peut l'absoudre une première et seconde fois, comme l'enseigne S. Charles, et même une troisième fois, au jugement de S. Liguori. Si après cela, il ne s'est corrigé ni éloigné de l'occasion, on lui différera l'absolution jusqu' à ce qu'il donne des signes extraordinaires de contrition. » *Gousset*, n. 565. In casu enitendum ut pœnitens ita disponatur ut opus non sit dilatione.

sione proxima, quam dilationem absolutionis ; dum experientia docet, quod pœnitentes, postquam absoluti discedunt, ut plurimum negant media præscripta adhibere et sic facillime recidunt. Cum converso *quando ipsis absolutio denegatur, vigilantius satagunt remedia exsequi et tentationibus obsistere, impulsi quidem a timore, ne cum ad confessionem redibunt, iterum sine absolutione dimittantur.* » (n. 455). Attendenda est limitatio posita a S. Alph. *semper ac commode differri potest absolutio* ; facile enim adesse potest gravis causa suadens ad indilatam absolutionem (v. n. 192). Perpendere imprimis debet sacerdos quale remedium magis profuturum sit pœnitenti, an impertita absolutio qua gratia sacramentalis confertur, an dilatio absolutionis. Advertit autem Berardi dilationem præsertim urgendam esse « quando tota occasionis obtruncatio dependet a virili resistentia, quam pœnitens v. g. semel vel iterum occasioni ipsi opponit, ut potest contingere dum res sunt adhuc in initiis, et etiam in femina, quæ sive verbis, sive factis ita possit tentatorem a se repellere, ut non sit supponendum quod amplius sit reversurus. » (*De occasionariis* n. 112). (1)

Recolenda sunt etiam dicta superius (n. 194) de concedenda interdum absolutione *dubio* disposito, si qua gravis necessitas exigat.

204. Quær. Quid faciendum, *si pœnitens existens*

---

(1) Sententia S. Alph. sub regula IV indicata, si in toto suo complexu sumatur, non discrepare videtur a doctrina Suarez qui de existenti in occasione necessaria scribit : « Neque est illi neganda absolutio etiamsi iterum atque iterum reincidat, maxime si aliquantulum se contineat et numerum peccatorum paulatim diminuat ; interdum vero differri potest absolutio, et major aliqua pœnitentia vel cautio adhiberi : quod si tandem experimento constet hæc non sufficere, cogendus est interdum pœnitens ad tollendum occasionem etiam cum gravi temporali nocumento ; semper tamen magna prudentia necessaria erit, ut scandalum vitetur. »

in occasione necessaria, post unam alteramve confessionem in eadem peccata sine ulla emendatione sit relapsus.

Resp. 1°. Iste pœnitens omni modo adjuvandus, hortandus, ut alia atque alia opportuna et efficaciora media adhibeat, et dispositus atque paratus illa adhibere, vel concessione absolutionis confortandus est, vel interdum ejus dilatione excitandus

2° Si occasio ita sit necessaria ut nullo modo removeri queat, v. g. propter impossibilitatem physicam, aut magnum quod consequeretur scandalum, aut quia incideret pœnitens in occasionem magis periculosam, talis pœnitens non tam ut occasionarius quam ut recidivus ex fragilitate intrinseca tractandus est, cum in ejus electione non sit occasionem removere.

3° Si vero occasio possit quidem, sed non *sine gravi detrimento temporali* removeri : si, omnibus mediis adhibitis, post plures confessiones, pœnitens eodem semper modo relapsus est sine ulla vel inchoata emendatione, ita ut de ejus emendatione etiam paulatim dumtaxat obtinenda jam quasi desperandum sit, tunc pœnitens cogendus est relinquere istam occasionem, nec alias absolvi potest.

Hæc S. Alph. sententia est *communior* (1). Lugo tamen cum nonnullis opinatur pœnitentem qui « sæpius absolutus propter grave detrimentum quod sequeretur ex remotione occasionis proximæ, eodem tamen modo semper relabitur, nec in eo ulla correctio reperitur » non esse cogendum subire illud detrimentum et relinquere occasionem illam proximam, sed tractandum esse ut consuetudinarium recidivum ex fragilitate intrinseca (1).

Nota. Quanto tempore durare possit experimentum pœnitentis antequam cogatur relinquere occasionem necessariam, non constat inter DD. Nonnulli dicunt illud durari posse per quatuor quinque vel sex confessiones. S. Alph.

---

(1) Lugo, disp.; 4, n. 196; Gury-Ball. n. 631.

indeterminate concedit *multa experimenta*. Generalis itaque regula statui non potest. Generatim dici potest locum esse experimento quousque spes emendationis non evanuerit. In hac re non parum perplexa confessarius attendere debet vim occasionis, pœnitentis indolem ac fragilitatem, nec non gravitatem incommodi et difficultatem occasionem removendi. Unde censent plures vix injungendum esse pœnitenti, ut relinquat artis vel officii exercitium ; id enim communiter hominum vires excedit. Contra, interdum vix aut ne vix quidem tentandum ut occasio fiat remota, quando v. g. perditus ardet amor inter personas diversi sexus, inter quas sublatus jam sit pudor per actus luxuriæ externos, præsertim per fornicationem ; nullum enim tunc plerumque est remedium efficax nisi ablatio occasionis, vel matrimonium.

SCHOLION

De occasionibus quibusdam particularibus.

Ut principia superius tradita facilius applicentur, operæ pretium est quasdam speciales recensere occasiones haud raro occurrentes.

205. I. De *concubinato*.

Concubinatus est frequentatus concubitus cum eadem femina quam quis in propria vel in aliena domu retinet. Si inter solutos, ut frequentius accidit, est concubinatus simpliciter dictus ; si vero unus alterve matrimonio sit junctus, est concubinatus adulterinus. Concubinatus est publicus vel occultus, et illius occasio *in esse* plerumque est voluntaria, in raro casu potest esse necessaria.

Concubinarii saluti consulendum est aliquando matrimonii celebratione, sæpius physica occasionis remotione, interdum consuli potest occasionem reddendo remotam.

Ex circumstantiis discernendum quale remedium adhiberi debeat : urgendum est matrimonium, si concubinarii sunt civiliter juncti et infelix non timetur matrimonii exitus,

præsertim quando proles natæ sunt. Locus etiam est matrimonio, si concubinarii, licet civiliter non juncti, obstinate renuunt separationem, modo gravis causa non obstet matrimonio. Si tamen matrimonium quod dicitur civile esset impossibile, non licet inconsulto Ordinario matrimonium celebrare (1). Si matrimonium contrahi non possit aut non expediat, recurrendum est ad physicam separationem, nisi hæc sit impossibilis physice aut moraliter ; tunc enim mediis efficacibus occasio reddenda est remota.

Quær. Quomodo *confessario sit agendum cum concubinariis ?*

Resp. 1°. Si occasio sit *voluntaria*, concubinarii absolvi non possunt ante physicam remotionem occasionis, nisi in raro casu urgens adsit causa, et supposito firmo proposito occasionem quamprimum removendi (v. n. 202). Vix tamen exceptioni locus est, si concubinarii sint publici, nisi forte agatur de peregrino qui in loco valde disssito concubinam habet quam firmiter proponit expellere statim ac in patriam redux fuerit. Concubinarius publicus absolutus abstinere debet a Communione in loco ubi delictum ejus est publicum, si scandalum nondum fuit reparatum.

Resp. 2° Si occasio *sit necessaria : a)* concubinarius *publicus periculose decumbens*, qui dimittere complicem non potest nec matrimonium inire potest aut debet, absolvi potest ante complicis ejectionem, modo ejus præsentia non sit conjuncta cum periculo proximo peccandi, vel periculum hoc reddi possit ac vere reddatur remotum, et modo scandalum tollatur divulgatione facta impossibilitatis dimittendi complicem et propositi quod habet infirmus quamprimum illum dimittendi. Quæ divulgatio prudenter fiat

(1) Ex decreto S. C. Ing. (20 febr. 1889) facultas fit Episcopis, concubinarios in gravissimo mortis periculo, sive per seipsos sive per alium dispensandi in impedimentis quamtumvis publicis matrimonium jure ecclesiastico dirimentibus, excepto sacro presbyteratus Ordine et affinitate lineæ rectæ ex copula licita proveniente.

per duos testes probos quibus infirmus pœnitentiam suam et propositum declarare debet.

b) Concubinarius *occultus* qui complicem illico, vel nec postea dimittere potest sine magna infamia vel gravissimo detrimento, absolvi potest, si paratus sit, statim ac poterit, eam dimittere, et mediis congruis et efficacibus removere proximum peccandi periculum, juxta dicta n. 204, coll. n. 198, 198. (1)

Notandum. Concubinarii civiliter solum juncti æquiparantur concubinariis publicis; sed ordinarie urgendum est matrimonium. Si huic obstet impedimentum *ligaminis*, procuretur divortium civile, sin minus separatio. Si neutrum fieri possit et civiliter junctus periculose decumbat, is coram testibus promittere debet, se, statim ac convaluerit, iis omnibus obtemperaturum quæ decreverit Ordinarius, omneque commercium illicitum cum concubina abrupturum. Quæ quidem promissio prudenti modo divulganda est ad sandalum reparandum. In hoc casu existimat Gousset eum vere contritum absolvi posse (Theol. mor. n. 582) (2).

206. *De choreis.* (Cf. S. Alph. l. VI, n. 429; Aertnys. de Occas. n. 27 sqq.).

Choreæ seu saltationes cum honestis personis et honesto

---

(1) Scandali et infamiæ quæ opponuntur non existit serium periculum, si fundata adsit in pluribus suspicio concubinatus, ut non raro contingit, si a multo jam tempore duret. Cœterum sub uno alterove prætextu interdum dimitti potest concubina vel ancilla complex, quin infamia timenda sit.

(2) *An qui falso existimatur a plebe concubinarius, tenetur ad separationem?* Resp. 1° Si nullo modo ansam dederit rumori, non tenetur, sed satis est divulgare hujusmodi rumorem esse falsam; tunc enim scandalum calumniose excitatum vel cessabit vel pharisaicum evadet. — 2° Si opere sive malo, sive minus recto ansam rumori dederit tenetur ad separationem, si alia via scandalum tolli non possit et separatio fieri possit sine gravi incommodo, secus, non tenetur. (Cf. Aertnys, de *occasionariis* n. 2.)

modo peractæ, non sunt ex se illicitæ nec actus libidinis, sed lætitiæ. Verum choreæ ex circumstantiis redduntur interdum *illicitæ*, v. g. propter obscœnos amplexus, tactus, vestitum, sermones, propter pravam intentionem; sæpissime vero *periculosæ*, ob familiaritatem inter personas diversi sexus, vestitus immodestiam, corporum propinquitatem in saltando, v g. in saltationis gyrantibus (valses, etc.), lasciviam musicæ, etc. Periculosæ præsertim sunt choreæ, si *frequenter* adeantur ; aufertur enim paulatim verecundia, languescit pietas, libido facile excitatur, oriri solent inconsulti amores, etc. Generatim choreæ publicæ periculosiores sunt privatis seu domesticis, præsertim eæ quæ instituuntur in pagis, in suburbanis civitatum, in cauponis, tempore nocturnæ protractæ; quia major solet esse procacitas et libertas saltantium, et ideo etiam quia postea juvenes aliquando domum deducunt puellas per tenebras, per devia, quod ansam præbet multis luxuriæ peccatis.

Præ cæteris autem maxime periculosæ sunt choreæ *larvatæ* (bals masqués) publicæ, in quibus omne frænum pudoris non raro laxatur et effrænis libido se prodit. Quare choreæ larvatæ facile reprobantur tanquam illicitæ. Monet tamen Gury rationem habendam esse circumstantiarum et majoris vel minoris periculi, quod in iis reperiri potest, (l. 1, n. 244), quod intellige etiam respectu diversarum porsonarum.

Universim in choreis major est malitia majusque periculum in viris quam in feminis (1). Plerumque periculum proximum est peccati saltem interni, pro juvenibus qui in libidinem proni sunt vel perdite amant.

Ex dictis deducitur *officium confessarii et parochi relate ad choreas*. Nimirum :

1° Choreæ in se graviter inhonestæ interdicendæ sunt sub pœna denegandæ absolutionis.

---

(1) « Non raro inveniuntur mulieres et puellæ quæ nullum aliud in choreis peccatum, quam superbiæ motus admittunt, vel etiam quæ nullo modo peccant ». Gury *Cas. Consc.*, t. I, n. 234.

2° Choreæ, si inducant periculum proximum peccati, seu sint occasio proxima peccati mortalis, et nulla adsit causa gravis illas adeundi, sub gravi peccato vitandæ sunt. — Si vero periculum sit leve, vel gravis causa excuset, tunc vel leve vel nullum peccatum aderit.

Confessarius igitur attendere debet ad *periculum personale pœnitentis, et ad causam* impellentem ad choreas adeundum ; si enim periculum peccandi sit leve, levior causa ab omni culpa etiam veniali excusare potest. v. g. finis una alterave vice per annum relaxandi animum, facilius inveniendi occasionem matrimonii, non displicendi sponso, satisfaciendi cognatis et vicinis ad choreas honestas invitantius. Si vero periculum esset grave, solæ causæ excusare possunt, v. g. gravis offensio mariti, parentum, fratrum, quæ alio modo averti non potest. Oportet tamen periculum peccati præcavere debitis cautelis, et vigilantia ad vitandas circumstantias particulares ex quibus periculum peccandi præcpiue oritur, piis cogitationibus, etc.

3° Confessarius, quantum prudenter potest, pœnitentes a choreis, præsertim frequentibus, avertat (1), et si id fieri nequeat, monitis et mediis opportunis illarum periculum minuere conetur. Moneat scilicet pœnitentem, ut rectam habeat intentionem, modestiam servet in omnibus, maxime quoad vestitum, gestus et sermones, sensibili amori non faveat, colloquium et societatem fugiat juvenum procacium, etc.

4° Obligatio deserendi choreas potest quoque oriri a prohibitione cooperandi peccatis alienis : « quo tamen in casu, si adsit bona fides et ex denegatione absolutionis non speretur fructus, procedat solum (confessarius) per viam exhortationis et moniti. » (2).

5° Choreæ publicæ in pagis et cauponis periculosissimæ

---

(1) S. Franc. Sal. choreas comparat fungis. « Utere illis parum et raro..., quamvis enim exquisite condirentur, quantitas reddit eos veneficos. » *Introd.* ad *vit. dev.* p. 3, c. 33.

(2) Marc, Instit. mor. Alph. (t. I, n. 833).

sunt, et pro multis occasio proxima peccatorum mortalium quætium in choreis, tum post illas committuntur. Quare, *a*) « si usus chorearum in parochia non exsistat, omnibus viribus eas arcere nitatur (parochus); quinimo, si spes fructus adsit, denegando absolutionem iis qui illas introducere tentant ». *b*) « Si aliquoties tantum per annum agantur, *nec spes affulgeat illas tollendi*, adlaboret ut earum pericula removeat, puta ut honesto modo peragantur, non protrahantur in noctem, juvenes et puellæ separatim aut certe non sine fideo comite domum redeant ». (Aertnys, op. c.). Severius agere poterit si spes sit choreas de medio tollendi (1).

6° Cauponibus non licet in ædibus choreas admittere, « quandocumque grave scandalum darent; ut eveniret, si adjuncta proximum periculum peccatorum adducerent, puta propter saltationum indecentiam, choreas larvatas, nimiam frequentiam, tempus nocturnum, personarum effrænationem ». (Aertnys, op. cit.).

7° Improbandæ sunt choreæ hodiernæ puerorum et puellarum (*bals d'enfants*, quippe quæ spiritum mundanum in eorum animos instillant et innocentiæ puerili valde nocere possunt.

---

(1) Ex adjunctis perpendendum est quomodo parochus agere debeat ad obtinendum chorearum eliminationem, aut eorum frequentiam et pericula removendum. Media *indirecta* semper proderunt. Hunc in finem sacramentorum frequentiam in juventute promoveat, congregationem aliquam juvenum et puellarum erigat, pietatem præsertim in puellis foveat. In confessionali parentibus et puellis persuadeat ut hæ choreas non adeant, caupones vel patres familias benevolos opportune roget, ne domi suæ choreas admittant, aut saltem earum numerum minuant. Circa tempus quo choreæ in parochia agitari solent, prædicet de quatuor novissimis, de salute, de spiritu mundi inimico Christi, de scandalo, etc. quin etiam, paternam, moderatam et prudentem exhortationem faciat ut suos parochianos *directe* a choreis avertat, ut parentes præsertim et superiores filios et subditos, in quantum possunt, impediant, ob oculos ponat pericula peccatorum, quibus in choreis se exponunt, et similia. Ita Aertnys, op. cit. n. 29.

208. III. *De spectaculis* seu *repræsentationibus theatralibus.*

1° Spectacula, (dramata comædiæ) cum nihil aliud sint quam morum et actuum humanorum pictura realis seu representatio, de se indifferentia sunt. Bona sunt, si nihil nisi licitum et justum debito modo et tempore repræsentant, mala vero sunt, si illicita vel nociva facta exhibentur verbis et modis ad libidinem aliaque peccata incitantibus (1).

2° Quædam spectacula sunt singulariter seu *absolute et graviter in se turpia*, propter facta et verba quæ per se ad libidinem valde incitant. Quod facile occurrit in conventiculis quæ dicuntur *cafés chantants*. Istius modi spectacula omnibus prorsus sunt vitanda et a confessario sub gravi interdicenda. Idem dicendum de spectaculis graviter in se impiis.

3° Plura spectacula sunt *notabiliter turpia*, propter res quæ repræsentantur et modum eas repræsentandi, verbis nempe, gestibus et cantu indecentibus, et propter vestitum lascivum actorum et actricium, et inverecundiam saltatricium in choreis scenicis (ballets) quæ intermiscentur. Quædam ex his spectaculis sunt præterea plus minusve infensa Religioni, cujus mysteria, ritus ac ministros despiciunt ac ludibrio exponunt.

---

(1) S. Th. 22. g. 168, a. 3. ad. 3. « Ludus est necessarius ad conversationem humanæ vitæ. Ad omnia autem quæ sunt utilia conversationi humanæ deputari possunt aliqua officia licita. Et ideo ipsum officium histrionum, quod ordinatur ad solatium hominibus exhibendum, non est secundum se illicitum, nec sunt in statu peccati, dummodo moderato ludo utantur, id est, non utendo aliquibus illicitis verbis vel factis ad ludum, et non adhibendo ludum negotiis et temporibus indebitis. » Ibid. a 2 permittit ludicra et jocosa ad animæ qnietem et solatium adhibere, modo hæc tria caveantur : ne scilicet delectatio quæratur « *in aliquibus operationibus vel verbis turpibus vel nocivis* » nec « *totaliter gravitas animæ resolvatur* » *tandem ut congruant personæ, tempori et loco, et secundum alias circumstantias debite ordinentur.*

a) Graviter peccant istius modi spectaculorum auctores et actores, nec non ii qui iis proxime cooperantur, aut *positive*, opera sua, pecunia, v. g. nomen suum iis dando (en s'abonnant), (1), aut *negative*, illa spectacula non impediendo, dum aut ex officio adest obligatio illa impediendi, aut dum alias commode impediri possunt. Item graviter ratione scandali peccare possunt ii, qui suo exemplo causa sunt cur alii, maxime adolescentes, pravis istis repræsentationibus assistant et ad peccatum trahantur.

b) Spectatores horum spectaculorum graviter peccant, si ex intentione venereæ delectationis assistant, vel cum proximo periculo consensus in eam (2). Hæc spectacula pro pluribus sunt occasio *proxima*, maxime pro adolescentibus. Sæpius hæc occasio est *voluntaria*, quæ vitanda est et interdicenda a confessario. Interdum potest haberi ut occasio *necessaria*, si causa gravis adsit theatrum adeundi, v. g. prudens timor diuturnæ indignationis parentum aut mariti qui adire jubent, gravium peccatorum ex parte mariti, nisi eum comitetur uxor, etc ; sed tunc ut interesse liceat, cautelæ adhibendæ sunt quæ occasionem proximam reddant remotam, v. g. magna in sensus vigilantia, abstinere ab usu perspicilli telescopii et a conspectu

---

(1) Notandum est inscriptis (abonnés) annumerandos non esse uxorem, filios familias, aliosque sub potestate alterius constitutos qui eos inscribi jussit. Præterea ubi theatrum erectum est et dotatum, dari potest casus etsi rarus, quo inscripti, secluso tamen gravi scandalo, relinqui possent in bona fide, si alias retraherentur ab usu sacramentorum.

(2) S. Aph. l. III. n. 427 ut veniale solum habet illas repræsentationes spectare ob curiositatem tantum aut vanum solatium, secluso tamen periculo consensus in turpem delectationem sed subdit : « nullo modo a mortali excusarem adolescentem, qui absque necessitate vellet curiositatis causa hujusmodi graviter turpibus comædiis interesse, nisi quis esset valde timoratus, et insuper pluries esset expertus se, illas spectando, nunquam lethaliter peccasse ; modo suo exemplo aliis adolescentibus occasionem non præbeat hujusmodi turpibus repræsentationibus assistendi. » (l. c.)

actorum et actricium qui inverecunde agunt et saltant, orationes jaculatoriæ, recordatio novissimorum et præsentiæ Dei etc.

4° Alia spectacula, etsi non notabiliter turpia, sunt tamen plus minusve periculosa ; plerumque enim profanos amores spirant et sensa mundana, et vix in iis deest aliqua circumstantia indecens. Unde facile passiones excitant et mentem vanitatibus implent. Quare cunctis, quantum prudenter fieri potest, sunt dissuadenda ; iis vero interdicenda qui in iis proximum peccati mortalis periculum incurrunt, et non excusantur causa gravi assistendi et cautelis adhibitis, ut sub 2° dictum fuit. Si quis vero leve tantum periculum subit nec grave scandalum præbet, non mortaliter peccat, et ab omni culpa excusatur si rationabilis adsit causa adsistendi.

Notandum plures ex iis qui theatrum adeunt, non attendere ad repræsentationem, nec illam intelligere, sed potissimum attendere ad musicam, quod sane periculum valde minuit.

5° Probabili periculo peccandi se exponunt frequenter ii qui hodiernum theatrum adeunt, non habita prius certitudine de gravis obscænitatis et impietatis absentia. Speciatim hac de re certiores se facere debent parentes qui filios secum ad theatrum conducunt.

Conclusio practica. Confessarius perpendere debet periculum pœnitentis ex frequentatione theatri, nec non scandalum sive mali exempli sive cooperationis quod pœnitens forte præbet, tum causam quæ impellit ad theatrum adeundum. Quo præhabito examine, *a)* si pœnitens sub gravi tenetur abstinere sive ab omnibus sive a quibusdam spectaculis, ipsum absolvere non potest, nisi abstinere velit. *b)* Si vero sub graviter non tenetur abstinere, confessarius pœnitentem, exhortando conetur avertere a theatro, vel si spectatis adjunctis id facere non possit, monitis et mediis opportunis periculum diminuere non negligat.

209. IV. *De procationibus* seu *de familiaritate inter personas diversi sexus sese adamantes.*

1° Familiaritas *absque intentione et fundata spe matrimonii futuri, ad vacandum amori profano,* illicita est, et si necdum sit, certo brevi fiet occasio proxima peccati mortalis. Proinde hæc familiaritas interdicenda est a confesario et applicanda principia de occasione proxima voluntaria. — In hac re, nunquam crudelius se geret confessarius cum pœnitente quam benignius agendo, et quo majorem severitatem adhibebit, eo melius illius saluti consulet (S. Alph. l. VI, n. 452 ; *Prax. Conf.* n. 65, 181). Eadem regula servanda est per se pro familiaritate ex vana aut valde incerta spe remotissimi matrimonii.

2° Familiaritas seu procatio *ex intentione et fundata spe matrimonii contrahendi infra rationabile tempus*, non est per se illicita, et in nostris regionibus adeo in mores recepta est, ut quidpiam moraliter impossibile exigeret confessarius, si sponsum ab adeunda et alloquenda sponsa, vel a consuetis honestis benevolentiæ signis arcere vellet. Quæ consuetudo ad rectum finem ordinari potest, ut nimirum nupturientes mutuam indolem explorent et sinceri affectus fidelitatem.

3° Cautelæ tamen semper adhibendæ sunt, quia procatio semper plus minusve periculosa est (1), imo sæpe occasio proxima luxuriæ tam internæ quam externæ ; quo casu

---

(1) Ita scribit S. Alph. : « Ego experientia doctus vix semel vel iterum permitterem sponso ad domum sponsæ accedere.... ; raro enim reperi qui in tali accessu non peccaverit saltem verbis aut cogitationibus, cum omnes aspectus et colloquia inter hujusmodi sponsos sint incentiva ad peccandum, et moraliter impossibile est ipsos ad invicem tractare et stimulos turpes non sentire ad ea quæ tempore conjugii inter se futura sint (l. VI. n. 42 ; Cf. *H. Apost.* Tract. ultimo n. 4). Notat Berardi (de occ. n. 233) rigorem S. Alph. respicere nupturientes post sponsalia inita, quo tempore crescit periculum et minor est visitationum necessitas, vel adamantes sine ulla moderatione et cautela.

tractandi sunt nupturientes, sicut ii qui versantur in occasione proxima *necessaria* (v. n. 192).

4° Cautelæ vero adhibendæ ut periculum peccati in procatione præcaveatur, vel de proximo reddatur remotum præcipue sunt sequentes :

a) Abstineant ab exhibendis istis benevolentiæ signis quibus facilius excitatur concupiscentia carnalis : et si necesse sit quædam exhibere benevolentiæ signa, ea sola exhibenda sunt, aliis præsentibus, quæ consuetudo patriæ, urbanitatis et honesti amoris testificatio postulant (1).

b) Maxime exigendum ut nupturientes nunquam soli, præsertim in loco secreto, versentur. Qua in re graviter urgenda est vigilantia parentum, præsertim vero matris.

c) Procatio per longius tempus non est protrahenda, sed matrimonum infra rationabile tempus subsequi debet. Quantum sit illud tempus, pro omnibus casibus determinari non potest, sed prudenti arbitrio relinquitur, ad quod efformandum multum conducunt praxis timoratorum et modus cautus vel incautus conversandi (2). Prudens igitur confessarius satagat a frequentatione avertere eos inter quos non nisi post longum tempus matrimonium contrahi possit aut contrahendum fore prævideatur. Quo tamen casu per-

---

(1) Urbanitatis ac benevolentiæ gratia et in honesti amoris ostensionem, nupturientibus licent pudici tactus, v. gr. manuum apprehensio, et amplexus *secundum patriæ consuetudinem*. Præcavendum tamen periculum consensus in motus carnales si forte oriantur. In sponsis contractu sponsalitio inter se ligatis, nonnemo opinatur a gravi excusari posse amplexus et tactus honestos, si in iisdem delectatio venerea quædam admittatur aut intendatur, modo absit periculum et affectus copulæ aut pollutionis, et periculum consensus in pollutionem si forte suboriatur imprævisa. Sed communis sententia practice tenenda docet delectationem venereamintentam vel voluntarie admissam, semper esse mortalem in sponsis non secus ac in aliis solutis. Cf. Gury Ball. t. 1, n. 414.

(2) Scribit Aertnys : « Generatim loquendo, si intra semestre vel saltem intra annum matrimonium contrahatur, tempus modum non excedit. » (De occas. n. 46).

mitti poterit frequentatio inter personas honestas, si magnis interpositis intervallis fiat et necessariis adhibitis cautelis. Frequentatio autem regulariter rumpenda est si facta jam sit vel futura prævidetur occasio proxima (1).

d) Curandum ut visitationes non sint nimis frequentes. Stari autem potest consuetudini timoratorum (2).

e) Si procatio facta sit occasio proxima luxuriæ externæ et fornicatio intercesserit, adnitendum ut matrimonium quamprimum contrahatur, et injungendum ut visitationes deinceps rarissimæ sint et ultra necessitatis limites non protensæ, utque præterea sub nullo unquam prætextu soli reperiantur sponsi extra vigilis familiæ conspectum. Quod si publice nota sit fornicatio propter sponsæ prægnantiam, tunc confessarius ordinarie visitationes totaliter aut quasi totaliter interdicere debet.

f) Efficaciter inducendi sunt nupturientes ut ferventer et frequenter orent, sacramenta frequentent, sedulo cogitationes sensuales reprimant etc., et se præparent ad digne sacramentum matrimonii suscipiendum.

---

(1) Quær. apud Aertnys : « *Quid agendum cum rusticis procantibus qui intendunt matrimonium, sed procationem diutius protrahere coguntur eo quod villam cito obtinere nequiverint?* Resp. Dist. 1° Si procatio honesto modo peragitur, cogi non possunt ut a visitationibus prorsus abstineant. Debent tamen se invisere rarius, idque nonnisi aliis præsentibus, imo potius in media familia. Confessarius interea pro viribus urgeat matrimonium. 2° Si procatio honesto modo non fiat, cogendi sunt ad ejusdem abruptionem ; quia jam proxima occasio est. Quod si id fieri absque gravi damno nequeat, absolvendi non sunt quoadusque se emendaverint omnesque cautiones observent; præsertim promittere debent sese raro invisuros esse. Si. his non obstantibus, semper recidant, separatio unicum remanet remedium, saltem donec matrimonium contracturi sunt. *De Occas.* n. 51, Quær. 3°.

(2) Apud nos, scribit Berardi, visitationes quolibet die octavo peractæ ruri sufficientes esse solent ; dum in civitatibus et oppidis (propter majorem commoditatem et domorum propinquitatem) tanquam insufficientissime communiter habentur. (De occas. n. 237).

210. V. *De pravis libris et diariis* seu *ephemeridibus.* (1)

Lectio istius modi librorum et diariorum potest esse prohibita jure naturali et positivo ecclesiastico.

1° Lectio librorum et diariorum Religioni aut christianis moribus infensorum, jure divino naturali sub gravi peccato prohibita est, si proximum periculum inducat perversionis in fide et obedientia Ecclesiæ debita, vel luxuriæ.

Hinc *a) regulariter* mortale peccatum est frequens vel notabilis lectio libri aut diarii graviter impii vel obscœni. — Dicitur : *regulariter*, quia si propter legentis indolem et scientiam proximum periculum non adest, a mortali potest excusari, et ab omni etiam peccato, si lectio fiat justam et gravem ob causam (quæ tamen existere non potest pro libris ex professo obscenis), seclusis tamen scandalo et positiva prohibitione Ecclesiæ.

b) Legentes libros ac diaria graviter sibi prohibita, absolvi neqeunt, nisi firmiter proponant abstinere. Libros impios et obscœnos et istius modi diaria destruere debent vel tradere confessario (2).

c) Libri tantummodo erotici, seu de amore profano agentes, absque ulla vel fere ulla impietate vel obscœnitate, prout sunt plura dramata, poemata et aliqui libri romantici moderati, sunt periculosi, maxime pro juvenibus, adeoque dissuadendi. Præterea facile iis possunt esse oc-

---

(1) Cf. Dé Brabandere, *Juris can. compendium* n. 1301 sqq.

(2) Circa necessitatem destruendi libros pravos, etc., notat R. P. Van de Kerckhove in libro *Manuale missionum* : Qui libros habent cantilenas, imagines, vel alia objecta obscœna vel fidei contraria, debent illa, si velint absolvi, ante absolutionem ad confessarium deferre destruenda (sed nominis inscriptione deleta), vel saltem serio promittere se ea ante communionem suam destructuros. Hic tamen prudenter agendum ; quia sæpe promissis non stant. Si quis satis magnam sed malam bibliothecam habet, ita ut longius tempus requiratur ad eam examinandam, debet serio consentire ut confessarius vel alius doctus sacerdos tempore possibili eam examinet et destruenda destruat. »

casio proxima; tunc vero sunt interdicendi. — Quæ res dijudicanda est ex circumstantiis particularibus, et præcipue attendendum est an lectio fiat ex fine libidinoso, aut cum speciali periculo, inspectis lectoris ætate, indole, moribus et experientia peccatorum præteritorum.

2° Libri ac diaria quæ Religioni et christianis moribus adversantur, sæpe lege positiva Ecclesiastica prohibita sunt(1). Legi igitur ac retineri non possunt nisi cum debita licentia auctoritatis quæ legem prohibitionis tulit, absente ceteroquin periculo proximo peccati.

211. VI. *De scholis.*

1° Graviter peccant parentes qui pueros instituendos committunt scholis positive noxiis, in quibus nimirum «aut docentur quædam aut aguntur doctrinæ catholicæ aut bonis moribus contraria, quæque citra animæ detrimentum neque audiri possunt neque peragi.» (Inst. S. C de P. F. ad Episc. Fæd Statt. Americæ Sept. 30 Junii 1875). Ratio est, quod proximum perversionis periculum nequeat fieri remotum, ideoque omnino vitandum sit cum quocumque damno temporali. Proinde istius modi parentes absolvi nequeunt nisi resipiscant.

---

(1) Romanus Pontifex jus habet pro universa Ecclesia prohibendi pravos libros, etc. Quod quidem jus exercet sive immediate sive mediante S. Cong. Ind. aut Inq. Episcopi pro suis diocæsibus potestatem habent prohibendi etiam cum censura sive libros, sive etiam diaria quæ periculum afferunt. Pius IX in Epist per S, J. C. data 24 Aug. 1064, universis Episcopis mandat ut non solum jure proprio, sed etiam *tanquam Sedis Apost. delegati* ad librorum, libellorum et ephemeridum prohibitionem procedere valeant. Ad Apostolicum vero judicium ea deferantur quæ profundius examen exigunt, vel in quibus ad salutarem effectum consequendum, supremæ auctoritatis sententia requiritur (Pennachi, *Comm. in Const. Ap. S.* t. p. 136). — Pro diocesi Brug. præ oculis habenda est *Instructio practica pro confessariis circa obligationem et modum extirpandi lectionem pravorum librorum et diariorum*, 4 feb. a. 1858.

(2) Cf. *Juris Can. Comp.* n. 1360 sqq.

2° Improbandæ sunt scholæ *neutræ*, seu religionis expertes (1), iisque non licet pueros committere instituendos, nisi sufficiens causa adsit, et periculum perversionis ex proximo reddi queat et revera reddatur remotum, institutione nimirum et educatione christiana extra tempus scholæ, et sollicita cura parentum ut diligenter pueris suis advigilent. (Instr. cit) (2).

212. VII. *De cauponis.*

Cauponæ plurium sæpe peccatorum sunt occasio proxima, et præcipue ebrietatis et luxuriæ.

1° Occasio luxuriæ sæpe nascitur ex aliqua particulari circumstantia vel sociorum vel personæ alterius sexus in caupona habitantis, illamve adeuntis, vel ibi potum subministrantis; et satis tunc erit hanc circumstantiam auferre vel vitare : quod si id fieri nequit, caupona ipsa deserenda est, nisi hæc in raro quodam casu occasio sit vere necessaria.

2° Si cauponæ frequentatio sit occasio proxima ebrietatis perfectæ, propter aliquod consortium, vel quia ibidem nimia facilitate præbetur potus copiosior exinde inebriandis, necesse est illam cauponam deserere in qua hujusmodi circumstantiæ reperiuntur, et illæ tantum frequentari possunt cauponæ in quibus cautelis adhibitis præcavetur periculum ebrietatis.

---

(1) Prop. 48 Syllabl a Pio IX damnata sic sonat : « Catholicis viris probari potest ea juventutis instituendæ ratio quæ sit a catholica fide et ab Ecclesiæ potestate sejuncta, quæque rerum dumtaxat naturalium scientiam ac terrenæ socialis vitæ fines tantum modo vel saltem primarium spectet. »

(2) Cf. Aertnys, de occasionariis, n. 38 sqq. Ibi n. 42, ait absolutione indignos non esse parentes « qui filios scholæ publicæ negative tantum noxiæ (neutrali in qua nihil fidei et moribus contrarium docetur) tradunt... dummodo pravo non ducantur motivo, et aliter catholicæ liberorum educationi sufficienter provideant. » sed ait exceptionem faciendam esse « ubi et quatenus Episcopus harum scholarum frequentationem prohibuit. »

3° Si vero bibulus nullam cauponam adire potest quin se inebriet, quamlibet vitare debet, nisi necessitas adsit, vel eam adire possit cum sociis qui eum efficaciter possint et velint impedire ab excessu in potu.

213. VIII. *De perversis sociis.*

1° Si de sociis agitur quibuscum pœnitens non habet consuetudinem amicitiæ, sed quos identidem solummodo et veluti casu sive laborando sive itinerando reperit, quique pravos habent sermones, confessarius pœnitentem admonebit, ut tales homines, quatenus fieri potest, devitet; data autem necessitate cum illis conversandi, pravos sermones obtruncare seque ab eis cito expedire curet.

2° Si vero agitur de sociis quibuscum pœnitens consuetudinem habet amicitiæ : *a)* si pœnitens sit adhuc innocens seu a malitia venerea immunis, tunc confessarius exigere debet separationem a sociis qui turpes sermones habent, quamvis forte sermones hucusque habiti gravem malitiam non continerent. Ratio est, quia periculum grave exsurgit ex familiari consuetudine cum hujusmodi sociis. *b)* Si vero pœnitens jam malitiam veneream edoctus sit, perpendere debet confessarius an subsistat occasio proxima, qualis aderit si socius ad peccata carnalia eum pertrahit, vel si turpes sermones commiscet, ita ut inspecta tum eorum turpitudine, protractione ac frequentia, tum fragilitate pœnitentis, de gravi periculo peccandi dubitari nequeat ; tunc confessarius separationem exigere debebit, nisi forte occasio necessaria sit, quia socios illos in officina reperit præter quam alia non datur in qua artem acquirendam edoceri possit. Admonendi autem sunt parentes gravis obligationis pro filiis suis officinas eligendi ubi periculum non patiantur perversionis fidei et morum. *c)* Eodem, ut patet, rigore utendum si pœnitens amicos habet incredulos et impios qui ejus fidem et obedientiam Ecclesiæ convellere student (Berardi, l. c.).

§ II.

De habituatis seu consuetudinariis et recidivis.

214. I. *De Habituatis.* — *Habituatus,* seu *consuetudinarius* dicitur ille qui frequenter peccando contraxit habitum seu consuetudinem alicujus peccati, quem nondum confessus est. Contraxisse autem habitum censetur si quinquies in mense in peccatum externum lapsus est, modo inter peccata aliquod intervallum intercedat, vel semel in mense per annum peccatum luxuriæ cum complice commisit, v. g. fornicationis (s. Alph. *Prax. Conf.* n. 70). Multo major numerus requiritur in peccatis *oris* et *cordis,* v. g. bis terve in hebdomada. — Ceterum veteres, prætermissa numerica illa determinatione, consuetudinem considerabant quæ quodammodo transiit in naturam.

Habitus dat facilitatem et physicam inclinationem ad actum (1), non semper tamen conjungitur cum habituali et deliberato voluntatis affectu erga peccatum; sic peccata blasphemiæ, imprecationis, imo et pollutionis, non raro committuntur ex impetu passionis seu ex fragilitate, quin ad illa detur voluntatis habitualis affectus; hic autem solet adesse in odio, furto et pravo amore, et necesse tunc est ut pœnitens hunc affectum detestetur et retractet quoad voluntatis deliberationem.

De absolutione consuetudinariorum sit hæc regula:

Consuetudinarius qui prima vice confitetur suum habitum, potest absolvi, etiamsi nulla emendatio præcesserit, modo contritus eam serio proponat.

Communissima est sententia cum s. Alph. (n. 459) contra nonnullos rigoristas, qui ante absolutionem requirunt ha-

---

(1) Habitus dicitur etiam *vitium* et peccandi *occasio proxima interna,* et quamvis esse possit sine ulla occasione proxima extrinseca, sæpe tamen ex hac oritur, augetur et roboratur.

bitus extirpationem experimento comprobatam. Ratio est, quia ipsa confessio rite facta et testimonium pœnitentis est signum ordinarium et sufficiens contritionis, nisi obstet positiva præsumptio in contrarium ; atqui habitus per se non inducit hanc præsumptionem indispositionis præsentis, quamvis cæteroquin prævideatur relapsus propter voluntatis inconstantiam et mutabilitatem. Confessarius pœnitenti opportuna suggerere debet remedia ad præcavendum relapsum et consuetudinem vincendam. — Censet tamen s. Alph., si habitus sit valde radicatus, confessarium posse, si pœnitenti profuturum judicet et aliud non obstet, ad breve tempus differre absolutionem, tum ut exploret quomodo pœnitens remedia exsequatur, tum ut majorem de suo vitio horrorem concipiat (*Prax. Conf.* n. 70) (1). Verum hæc medicinalis dilatio nonnisi raro et cautissime adhiberi potest, et ordinarie præstat statim absolvere et consulere frequentiam confessionis.

215, II. *De recidivis.* — Recidivus dicitur relate ad confessionem, et in rigore vocis ille est qui post confessionem reincidit in peccata confessa, sive consuetudinarius sit, sive non. In acceptione tamen theologica et relate ad absolutionem dandam vel negandam, recidivus intelligitur *consuetudinarius* qui *semel* (S. Alph.) *aut pluries (Lugo) in confessione monitus, eodem modo in peccata confessa reincidit, sine ulla emendatione, et sine ullo adhibito emendationis medio et conatu.* Istius modi recidivus interdum dicitur *formaliter recidivus*, et circa ipsum difficultas suboriri potest, tum circa judicium efformandum de sincero ejus dolore et efficaci proposito (2), tum circa ejus emendationem procurandam.

---

(1) Idem censent aliqui si agatur de puero aut adolescente qui incipit committere peccata luxuriæ et in periculo versatur illorum habitum contrahendi ; cavendum tamen ne postea negligat confsssionem vel peccata reticeat.

(2) « Ex relapsu frequenti in idem specie peccatum infertur quædam

Ex dictis infertur theologica acceptione *formaliter recidivos* non esse eos, qui post confessionem in alia peccata prolapsi sunt, vel qui in eadem quidem peccata, sed antea non admoniti, vel nunc aliquatenus emendati redeunt, ut ecce si per aliquod tempus se continuerint, aut saltem inviti ac reluctantes lapsi fuerint, aut præscripta media a confessario adhibuerint. Quare istius modi pœnitentes rite confessi et affirmantes se contritos cum proposito emendationis, absolvi possunt, nisi aliunde constet eos esse indispositos.

216. Quæstio autem est an et quandonam absolvi possint *formaliter recidivi* seu *consuetudinarii qui jam in confessione moniti, eodem modo reinciderunt, sine ulla emendatione, et sine ullo adhibito emendationis conatu et medio.*

Prætermissis et rejectis tum sententia Rigoristarum qui dicunt nunquam eos esse absolvendos, nisi per longam experientiam constet de eorum omnimoda emendatione (1), tum laxiore sententia quæ doceret semper eos absolvendos quoties testantur se dolere et proponere emendationem (2) ;

Resp. 1° Confessarius qua judex formaliter recidivum absolvere potest quoties *prudenter* judicat illum esse con-

---

adhæsio voluntatis ad illud determinate peccatum, unde fit locus suspicioni, et aliquando etiam judicio, nisi contrarium aliunde colligatur quod occulta aliqua peccati approbatio comitata fuerit vel comitetur priorem vel præsentem ejus peccati detestationem, atque id circo hæc fuerit vel sit respective insufficiens et inefficax ad salutarem pœnitentiam. » Andreucci, *Conf. recid.*

(1) Merbesius, Juenin, Witasse, Concina etc. (v. L. Andreucci, l. c.)

(2) Ab Innoc. XI damnata est propositio 60 : « *Pœnitenti habenti consuetudinem peccati contra legem Dei, naturæ aut Ecclesiæ, etsi emendationis spes nulla appareat, nec est neganda nec differenda absolutio dummodo ore proferat, se dolere et proponere emendationem.* » Hæc propositio videtur per invidiam fuisse conficta a Jansenianis.

tritum cum firmo proposito emendationis, licet judicetur relapsurus ; dispositio enim sufficiens est dolor et propositum præsens, non emendatio futura.

Sed ex quo signo prudenter id judicare poterit? S. Alph. jam post primam confessionem requirit signum aliquod extraordinarium (l. VI, n. 459). Altera sententia ibi relata hujusmodi signum requirit post tertiam aut quartam confessionem, antea vero signum dumtaxat ordinarium. Eorum ratio est, quia post primam aut saltem post plures confessiones, adest vehemens præsumptio seu fundata suspicio contra sinceritatem doloris et firmitatem propositi præsentis. « Qui enim, ut ait Lugo (Disp. XIV, n. 160) firme proponit rem sibi moraliter possibilem, non ita facile sui propositi obliviscitur, sed saltem per aliquod tempus perseverat et difficilius aut rarius cadit. » Hæc autem suspicio destrui debet signo aliquo extraordinario (1). Tertia demum sententia, omissa mathematica illa determinatione et mentione signi extraordinarii, docet istos recidivos ex fragilitate intrinseca, posse absolvi si ex signo ordinario *prudenter* judicentur dispositi.

Tres illæ sententiæ practice haud ægre inter se componuntur. Et sane 1° S. Alph. qui cæteris est rigidior, plura refert signa extraordinaria minime difficilia, ut vix fieri queat pœnitentem, nisi sit obduratus, unum aut aliud non habere post ferventem exhortationem qua confessarius tenetur eum disponere. Signa autem quæ refert, in exemplum dumtaxat adducuntur, et regula generalis esse potest, id omne tanquam signum extraordinarium haberi posse, quod aliquid addit signo communi et ordinario, nempe confessioni debito seu convenienti modo factæ, et præbet

(1) Relapsus cito, facile et frequenter subsequens confessionem etiam pluries iteratam, non est quidem signum evidens et certum præsentis indispositionis, sed fragilitatis et inconstantiæ ; facile tamen prudens dubium ingerit ; cui enim prudenti non suspecta ea fides est, quam quis pluries fefellit ? Oportet igitur ad dandam absolutionem, depellere illud dubium aliqua circumstantia quæ diversa sit a consueta pœnitentis affirmatione, quæque ideo dicitur signum extraordinarium.

motivum sufficiens ad removendam prudentem suspicionem quæ in casu supponitur haberi de indispositione pœnitentis. Unde in *Prax. Conf.* post enumerata signa extraordinaria, sic concludit S. D. n. 75 : « Denique semper ac aliquod adest signum quo prudenter possit judicari pœnitens mutasse voluntatem, bene absolvi potest. « 2° Patroni tertiæ sententiæ inter signa ordinaria plura recensent quæ S. Alph. æstimat extraordinaria (v. sup. n. 187). Et, si dicunt credendum esse testimonio pœnitentis affirmantis se esse contritum, intelligendum est testimonium quod prudens et et studiosus confessarius, *spectatis omnibus adjunctis*, existimare posset esse hic et nunc serium ac voluntatem peccandi excludere (1).

Resp. 2° « Certum est, ait Lugo, quando sacerdos, *attenta consuetudine et propensione aliisque circumstantiis*, judicat pœnitentem non averti sufficienter ab illo peccato, non posse eum absolvere » (2).

Adverte pœnitentes indispositos a confessario debere disponi, quod quidem sæpe cum fructu fit, ut testatur Leo XII. De qua obligatione v. sup. n. 189.

Resp. 3° Recidivo *dubie* disposito differenda est absolutio, nisi gravis urgeat causa ipsum statim sub conditione absolvendi, v. g. si timetur ne dimissus non redeat

---

(1) Tres illæ sententiæ opponuntur Rigoristis. Ad eorum autem objectionem quod sola temporis probatio sit signum mutatæ voluntatis, resp. S. Alph. « Voluntatis mutatio pendet a divina gratia, quæ tempore non indiget, et in instanti operatur ; et ideo non solum per experimentum temporis, sed per alia quædam signa patefieri potest. *Propterea quoties pœnitens affert vera signa doloris et propositi, bene absolvi poterit.* » (L. VI, n. 459).

(2) Lugo, *de Pœnit.* Disp. XIV, n. 166. Ibidem de consuetudinario recidivo post plures confessiones, scribit : « Ad judicium ferendum de dispositione præsenti, deservit si pœnitens *pecularia signa ostendit* ; item si jam curam aliquam ad consuetudinem extirpandam adhibuit, si nunquam admonitus de mediis adhibendis, ad tollendam consuetudinem, nunc autem admonitus libenter ea suscipit et proponit adhibere illa media. »

et profundius peccatis immergatur, a sacramentis retrahatur etc. (v. n. 194).

Resp. 4° Confessarius ut *medicus* debet præcavere relapsum pœnitentis. Ad hunc finem, tenetur *a)* pœnitenti suggerere remedia ad pravum habitum extirpandum (v. n. 171). Libidinosis commendanda praxis quotidianæ orationis cum animi recollectione atque fervore, quotidiana meditatio tum novissimorum tum dominicæ passionis, sacramentorum frequentia, qua nihil contra pollutionem efficacius (1), devotio ad Virginem Immaculatam, sensuum in levioribus mortificatio, fuga occasionum, otii, pravorum consortiorum et lectionum, imploratio divini auxilii pulsante tentatione, conversio ad alia prorsus objecta. Nec negligenda sunt media naturalia (2). — *b)* Potest confessarius recidivo satis disposito, ad breve tempus differre absulutionem, si dilatio profutura sit ejus emendationi, nec ipsi allatura periculum infamiæ aut damnum spirituale, Sed generatim præstat eam non differre. Ipse S. Alph. censet *raro* expedire ut absolutio differatur recidivo ex *fragilitate intrinseca*, ut accidit in peccatis pollutionis, delectationis morosæ et similium ; quia major sperandus fructus ex gratia sacramenti, quam ex dilatione absolutionis ; quare Rit, Rom. ait : « *in peccata facile recidentibus utilissimum fuerit consulere, ut sæpe confiteantur.* » Maxime juvat statim post lapsum confiteri. Interdum tamen prodesse potest opportuna dilationis comminatio. Ipsa etiam dilatio aliquando utilis esse potest, v. g. si remedia a longo tempore fuerunt

---

(1) De peccato pollutionis scribit Toletus : « Vix puto esse aliud efficax remedium quam frequentissimam communionem adhibere : est enim hoc sacramentum maximum frenum, et qui hoc non utitur, non sibi promittat emendationem nisi per miraculum. » Quo remedio maxime usum fuisse S. Philippum Nerium, ex ejus historia constat.

(2) Media naturalia juxta Aertnys sunt : temperantia in somno, in cibo et potu, præsertim vespere, abstinentia vespere a vino. non cubare supinus nec molli lecto, mane mature surgere. *De Occas. et recid.* n. 16. Quær. 7°.

frustra adhibita, si vitii principiis, maxime in adolescente, obstandum sit (l. VI, n. 463 464; Prax. Conf. n. 76, 77).

217. *Notanda.* 1) Quæ dicta fuerunt respiciunt consuetudinarios et recidivos sine occasione externa voluntaria. Hæc enim si adsit, applicandæ sunt regulæ de occasionariis. Et notandum quod juxta S. Alph., occasionarius in occasione interrupta, bis terve absolvi potest, non impleta promissione eam deserendi, non vero si formaliter sit recidivus propter occasionem proximam. Dilatio medicinalis absolutionis magis etiam opportuna esse potest in recidivo ob occasionem externam, quia remotio ejus magis pendet a voluntate quam habitus extirpatio. Cf. supra n. 192.

2) Facilius habetur contritio, si recidivus non habet habitualem affectum animi erga objectum illicitum, et solum ex fragilitate et ex pravo affectu transeunte peccat; tunc enim non mutanda sed præsertim corroboranda est voluntas ut attentius vigilet, validius repugnet et diligentius mediis præscriptis utatur. Si vero peccata committuntur ex pravo habituali affectu animi, insuper mutanda est voluntas, et confessarius efficere debet ut pœnitens pravum suum affectum detestetur et immutet quoad *voluntatis deliberationem*, quamvis tamen propensio sensibilis manere possit.

3) Multa longanimitate opus est in curatione recidivorum. Experientia quippe docet innumeros esse qui emendantur quidem, at non statim penitus emendantur, sed post aliquod spatium temporis, præsertim si sacramenta frequentaverint et bonum repererint confessarium. Quare cum recidivis potissimum magna illa cautio adhibenda est, de qua agitur in Cat. Rom. « ne assueti isti Ecclesiæ sacramenta frequentare, absolutionis denegatione vel etiam imprudenti dilatione ab illis arceantur, cum ingenti æternæ salutis discrimine. »

§ IV.

De iis qui publicum scandalum dederunt.

218. Rit. Rom. præscribit absolutionem negandam esse iis *qui publicum scandalum dederunt, nisi publice satisfaciant et scandalum tollant.* Intelligitur autem scandalum datum quod de facto perseverat in se vel in effectu. Hæc obligatio satisfaciendi petitur ex eadem lege charitatis qua prohibetur scandalum alteri præbere.

Ad scandali reparationem requiritur ut, omisso dein actu scandali activi, insuper tollatur, quoad moraliter fieri potest, influxus malus qui perdurat Modus autem tollendi hunc influxum, determinandus est ex diversis circumstantiis scandali dati ejusque influxus, necnon publicitatis scandali et personarum quæ scandalum dederunt ac passæ sunt. Modus interdum definitur lege ecclesiastica.

Hinc 1° Qui libros perniciosos distribuit, non solum ab eo abstinere debet, sed etiam, quantum potest, libros e manibus aliorum tollere.

2° Qui scripto vel voce perversas doctrinas propagarunt, debent, quantum fieri potest, earum ulteriorem divulgationem impedire, easque interdum publice retractare.

3° Si publicum scandalum datum sit per peccata communia, v. g. ebrietatis, blasphemiæ, fornicationis. etc., scandali reparatio sufficiens plerumque habetur per vitam publice et sincere christianam.

4° Si agatur de scandalo dato per professionem publicam impietatis, per apostasiam, etc., aliquando scandalum sufficienter reparatur per vitam publice et sincere christianam, interdum requiritur reparatio publica, ne sacramenta videantur irreverenter tractari et in fidelibus minuatur horror erga hujusmodi crimina.

5° Ad absolvendos pœnitentes adscriptos *sectis massonicis* aliisque a Rom. Pont. sub excommunicationis pœna vetitis, confessarii, justa tenorem consuetum Indulti concedentis

facultatem absolvendi, debent exigere ut « *a respectiva secta omnino se separent eamque abjurent, libros, manuscripta ac signa sectam respicientia, si quæ retineant, in manus confessarii tradant, ad Ordinarium quamprimum caute transmittenda, aut saltem, si justæ causæ id postulent, comburenda* ; injuncta pro modo culparum, gravi pœnitentia salutari cum frequentia sacramentalis confessionis, aliisque injunctis de jure injungendis. » Præterea per se requiritur ut Episcopo denuntient *occultos* sectæ duces et coryphæos, si quos noverint (1).

Notanda. — *a*) Si adscriptio pœnitentis sectæ vetitæ occulta sit, sufficit renuntiatio secreto intimata, et abjuratio coram confessario facta. *b*) Si publica sit adscriptio pœnitentis, ejus abjuratio publica esse debet et sufficienter divulgata ad scandali reparationem. Modus publicæ abjurationis non est definitus : in pluribus locis fit coram duobus saltem testibus probis qui illam, quoad necessarium est, divulgent. Convenit abjurationem a pœnitente scripto fieri subscribentibus testibus, eamque custodiri in cancellaria episcopali. (Cf. *de Euch.* n. 148 seqq.) Cavendum est confessario ne suspicionem incurrat violati sigilli ; quare retractatio facienda est extra confessionem, et melius est, quantum fieri potest, ut fiat ante confessionem, quia minus tunc erit periculum hujusmodi suspicionis, et præcavetur negligentia in præstanda reparatione.

---

(1) Hæc denuntiandi obligatio eadem est ac pro hæreticis denuntiandis, eodemquo modo interpretanda. Cessat obligatio, *a*) si duces certo sunt noti ; sed non ideo cessat, quia eorum nomina in ephemeridibus leguntur (S. C. O., 15 junii 1870). — *b)* Si ex denuntiatione grave damnum denuntiatori obveniret, dummodo tamen damni communis absit omne periculum, *c*) si nulla spes coercitionis eluceat, v. g. in locis ubi, ob libertatem omnibus assertam errores impune grassantur. Nec censura astringit, ut olim, ad denuntiandos alios qui non sunt coryphæi ac duces. Cæterum, etiamsi lex ecclesiastica denuntiandi non existeret aut cessasset, manere potest obligatio ex jure naturali proveniens. Cf. Godschalk, *De censuris in particulari*, p. 76, 77 ; Gury. Ball. t. 2. n. 975 sub IV.

Quær. *An scandalum quod quis dedit reipsa sublatum esse debeat*, antequam pœnitens absolvi possit ?

Resp. Per se id non requiritur ; sed sufficit voluntas scandalum quam primum et quantum fieri potest, tollendi : per accidens vero id requiri potest, v. g. *a)* si, propter tractam jam antea fidem, pœnitentis propositum scandalum reparandi suspectum redditur ; *b)* si dilatione absolutionis pœnitens efficacius sit excitandus ad remotionem scandali valde arduam quam alias prætermissurus timetur, ut si agatur v. g. de venditore picturarum et librorum turpium, etc ; *c)* si scandalum sit enorme et publicam indignationem excitet, ita ut absolutio ante illius amotionem data offenderet fideles aut scandalizaret debiles, ipsis præbendo ansam facilius peccandi et in eorum animis horrorem similis criminis minuendo (Th. Mechl. *de Sac. Pœn.* n. 98.).

§ V.

De ignorantibus mysteria fidei.

219. 1° *Absolvi valide non potest pœnitens qui fidem explicitam supernaturalem non habet in Deum remuneratorem.* — Ratio, quia fides in duplex illud mysterium certo necessaria est necessitate medii ad justificationem adulti. Proinde absolutio esset invalida, quamvis supponeretur ignorantia invincibilis ; et confessiones antecedenter sic institutæ forent repetendæ.

Pœnitentes igitur illa mysteria ignorantes instrui debent prius quam absolvantur, et de ignorantia culpabili contritionem habere debent. Instructio autem danda est in ipso confessionis actu moribundis, aliisque qui præ senio ingeniive tarditate rudimentorum fidei memoriam retinere non valent, necnon iis quibus absolutio sine gravi incommodo differri nequit. Satis autem est ut pœnitens eliciat actum fidei circa hæc mysteria a confessario cum fidei objecto formali proposita. Cum istis pœnitentibus

confessarius etiam præformare debet actus fidei, spei et contritionis, illisque imponere necessitatem ulterioris instructionis in fidei mysteriis.

2° *Pœnitens ignorans mysterium SS. Trinitatis et Incarnationis, non potest licite absolvi, priusquam instructus illius fidem habeat explicitam, — excepto casu necessitatis.*

Ratio est quia, cum certa non sit sententia probabilior asserens fidem explicitam illius mysterii necessariam non esse necessitate medii, sacramentum periculo nullitatis exponeretur. Excipitur tamen casus necessitatis quo tempus deesset ad docendum pœnitentem, ut v. g. in articulo mortis; tunc enim absolvi potest absque prævia instructione. Si tamen supervivat infirmus, post instructionem iterum erit absolvendus. — De instructione danda in actu confessionis, applicanda sunt modo dicta sub 1°.

Infertur: *a)* Confessiones institutæ cum ignorantia *actu graviter culpabili* mysteriorum SS. Trinitatis et Incarnationis, invalidæ sunt ac sacrilegæ, adeoque repetendæ, et de ipsis confessionibus ac ignorantia accusare se debent pœnitentes et dolere (1). *b)* Si autem ignorantia non fuerit graviter culpabilis, confessiones probabilius fuerunt validæ nec urget obligatio illas repetendi. (Ball., t. 1, n. 196).

3° *Pœnitens scitu necessaria solum necessitate præcepti, etiam ex gravi sua culpa, ignorans, statim absolvi potest, si alioquin bene dispositus de negligentia sua dolet ac firmum propositum habet illa quamprimum addiscendi.*

Ratio est, quod requisita ad sacramentum pœnitentiæ existere possunt absque explicita cognitione illarum veritatum. Satis est igitur ut pœnitens graviter reus, sufficienter

---

(1) Ab Innoc. XI damnata est prop. 68: « Absolutionis capax est homo, quantumvis laboret ignorantia mysteriorum fidei, et etiamsi per negligentiam etiam culpabilem nesciat mysterium SS. Trinitatis et Incarnationis D. N. J. C. ». Cf. Tractatum de fidei præcepto: — Si qui impares sunt ad addiscendum illas veritates, hi excusantur a culpa, et in hac materia pueris comparandi.

instructus de sacramento pœnitentiæ firmum habeat propositum culpabilem suam ignorantiam depellendi per debitam diligentiam in comparanda sibi doctrina christiana. Si tamen suspectum propositum pœnitentis est, quia v. g. pluries jam fidem fregit, absolutio regulariter differenda est, donec sufficienter instructus fuerit. *Cf.* Bened. XIV, Const. *Etsi minime.*

Infertur confessiones antea institutas ab ignorantibus necessaria necessitate præcepti non fuisse invalidas, nisi ignorantia fuerit actu graviter culpabilis, seu sine culpæ cognitæ detestatione et sine proposito addiscendi.

Nota. — Circa fidei veritates scitu et creditu necessarias, prudenter interrogandi sunt pœnitentes qui ex modo confitendi aut vivendi, aliisve causis merito præsumuntur illas ignorare.

§ VI.

De pœnitentibus obligatis ad restitutionem.

220. Inter pœnitentes absolutionis incapaces, recensentur a Rit. Rom. ii *qui aliena, si possunt, restituere nolunt.* Quæritur itaque quomodo confessario agendum cum *pœnitentibus qui certo sub gravi tenentur ad rei alienæ restitutionem, nec ab ea justam ob causam excusantur, aut in bona fide relinqui possunt?* (1).

---

(1) Cf. Tract. *de Jure et Just.* — Circa officium confessarii in materia justitiæ notentur sequentia : *a*) Si pœnitens casum restitutionis sibi dubium proposuit, et confessarius ex improviso dubium solvere nequit, differat responsum donec casum penitius examinaverit aut consilium exquisierit ; attamen, si pœnitens commode redire non possit, et dispositus sit stare decisioni viri docti consulendi, absolvi potest. — *b*) Si facta casus inquisitione, obligatio restituendi vere maneat dubia, pœnitens ad restitutionem obligandus non est. — *c*) Si obligatio restituendi certa est, confessarius erga pœnitentem qui potest restituere, urgere debet obligationem restituendi, nisi per accidens pœnitens in bona fide relinqui possit, quia non datur probabilis spes fructus ex admonitione.

Resp. 1° *Per se* quidem non requiritur ad absolutionem, ut pœnitens jam peregerit restitutionem, sufficit enim sincera et firma voluntas restituendi. Attamen *per accidens* requiritur aut saltem consulendum ut prius restituerit, si nimirum propter neglectam, præsertim pluries, restitutionem post confessarii monitionem, suspecta redditur pœnitentis dispositio aut constantia. Unde ait Suarez : « *Aliquando oportet remittere pœnitentem, et illum non absolvere, donec suam obligationem* (restituendi) *impleat, præsertim quando iterum atque iterum illam confessus est et implere promisit neque implevit.* » (*de Pœnit.* disp. 32, s. 2). — Quinimo, quando agitur de restitutione valde ardua rei alienæ quam detinet pœnitens, censet S. Alph. eum ne prima quidem vice absolvendum esse priusquam restituerit, quia secus ingens est periculum omittendi restitutionem (l. IV. n. 682 ; *Prax. Conf.* n. 184).

A regula tradita de præmittenda restitutione ante absolutionem, excipi potest : *a*) quando id vel physice fieri nequit, vel nonnisi cum gravissimo incommodo, et pœnitens ceteroquin prudenter judicatur firmo animo paratus ad obligationem suam exsequendam ; *b*) si res sit cum pœnitente valde cordato propositique tenaci, vel cum pœnitente stabili et frequenter ad confessionem accedente, qui nondum reperti sunt suam fregisse fidem.

Ad præcavendam omissionem restitutionis, consultum erit pœnitenti præfigere temporis spatium intra quod restituat, modumque restituendi, vel etiam comminari absolutionem postea differendam, si restitutio neglecta fuerit.

Resp. 2° Si agatur de pœnitente *graviter decumbente*, is inducendus est ut summam pecuniæ vel personæ discretæ et fide dignæ vel confessario committat creditori restituendam, tacito nomine debitoris, si ex delicto provenit obligatio restitutionis (1). Si vero restitutio hic et

(1). Expedit ut confessarius qui restititutionem fecit pro alio, indicato ejus nomine, a creditore accipiat apocham (quittance) factæ solutionis.

nunc fieri nequeat, infirmus efficaci modo curam habere debet ut restitutio postea fiat per hæredes vel per alium. Generatim tamen non expedit ut confessarius (cum expressa licentia pœnitentis) suscipiat in se onus hæredes admonendi de restitutione facienda, ne oriatur suspicio fracti sigilli et traducatur confessio ; nec accepta licentia uti potest, si hujusmodi periculum adsit (1).

§ VII.

De pœnitentibus venialia solum confitentibus.

221. Ad practicam quæstionis solutionem præstat distinguere tres classes pœnitentium venialia dumtaxat confitentium.

Prima classis eorum est qui ordinarie quidem in peccata mortalia non labuntur, sed venialia parvifaciunt, eaque cum plena deliberatione, ac etiam ex consuetudine et ex adhæsione habituali committunt, nec de emendatione solliciti sunt.

Istiusmodi pœnitentes, qui imperfecti dici possunt, a solis venialibus absolvi nequeunt, nisi studio confessarii dispositi firmum habeant propositum speciem saltem aliquam venialium vel graviora quædam venialia vitandi. Semper autem consultissimum est, ut peccatum aliquod grave anteactæ vitæ jam confessum adjungant ; idque necessarium est si prudenter dubitetur de sufficienti dolore circa venialia (v. supra n. 11-12, 68). Cavendum ne hæc adjunctio peccatorum præteritorum fiat ex mera consuetudine, absque excitata contritione de illis, et ne ansam præbeat pœnitenti socordiæ in fuga venialium.

Monet Th. Mechl., n. 29, hujusmodi pœnitentibus differendam esse absolutionem, si id videatur medium efficax ad excitandam eorum vigilantiam, nisi tamen

(1) Gousset, Theol. mor. t. 2. n. 1036, et t. 2, n. 583.

potior aliqua ratio suadeat absolutionem impertiri, ut v. g. *a*) si timeas pœnitentem latentis peccati mortalis reum esse, *b*) si festi solemnitas etc., ad sacram communionem invitet, *c*) si timeatur pœnitentis pusillanimitas, *d*) ne diutius pœnitens gratia sacramentali privetur. Generatim semper melius est ut alio quam dilatæ absolutionis modo, horum pœnitentium fervor excitetur.

Secunda classis comprehendit proficientes in pietate, qui deliberate quidem venialia committunt, sed non ex consuetudine voluntaria aut habituali affectu, sed ex infirmitate quadam humana. In istis personis ordinarie non diu post habetur remorsus conscientiæ.

Hujusmodi pœnitentes, ut manifestum est, a solis venialibus confessis absolvi possunt, nec ex illorum in eadem aut similia peccata relapsu argui potest defectus contritionis et propositi, præsertim si aliquam diligentiam adhibuerint (v. sup. pag. 92, nota 41). Consultum est interdum de uno alterove veniali graviore in particulari elicere contritionem cum proposito practico emendationis, et adjungere peccatum anteactæ vitæ saltem in specie generica (v. n. 11-12).

Tertia classis perfectorum est, qui conscientiæ puritati ita student, ut nonnisi raro venialia plane deliberata committant, et quorum ordinariæ culpæ proveniunt ex subreptione, et imperfecte solum sunt deliberatæ, ut v. g. inordinati motus subitaneæ iræ, impatientiæ, leves negligentiæ in reprimendis motibus sensualitatis, etc. Hujusmodi personæ simul ac sua peccata advertunt, de iis dolent et diligentius ea cavere proponunt.

Manifestum est relapsum etiam frequentissimum in hæc et similia peccata non prodere defectum contritionis ; ac proinde tales pœnitentes toties absolvi possunt quoties confitentur ; et si dubium oritur num defectus quos confitentur, imperfectionis potius quam veri peecati rationem habeant, necesse est ad absolutionem ut unum alterumve peccatum certum anteactæ vitæ adjungant (v. n. 13).

222. *Notanda circa confessionem venialium.*

1° Quamquam ut ait Lugo « in ipsis etiam venialibus solet aliquando argui imperfectus dolor ex uniformi perseverantia in eisdem sine ulla specie emendationis, in iis tamen facilius potest præsumi propositum validum, quia impossibilitas materiæ facere potest, quod non obstante repetito dolore et proposito in eadem sæpius relabamur. » (*De pœnit.* Disp. XIV, n. 166). Occasiones enim proximæ peccatorum venialium frequentissimæ sunt et sæpe inevitabiles. De quo argumento Cf. supra p. 92. animadversionem Layman.

2° Notat Sporer : « Non raro inveniuntur pœnitentes, præsertim mulieres, diu examini conscientiæ incumbentes, minimas culpas maxima cum anxietate requirentes, et confessiones suas ultra modum protrahentes, attamen de dolore et efficaci proposito parum curantes. Tales serio hortandi, ut dimissa anxia illa cura afferendi omnia venialia in specie et numero, ea dumtaxat quæ magis conscientiam gravant et quæ potissimum extirpanda sunt, cum serio dolore et firmo proposito emendationis clavibus subjiciant. Imo expedit, ut ex istis venialibus unum vel duo præcipua seligant, quæ specialiter illorum profectui obstant, de quibus maxime doleant, emendationem proponentes. » Optimum tamen per se est in gravioribus quibusdam venialibus numerum explicare.

Ut humilior sit confessio venialium, suadendum ut eorum indicentur origo vel circumstantiæ quæ pœnitentem magis humiliant v. g. superbia, invidia, avaritia, tenax adhæsio suæ voluntati, etc. — Multum etiam refert concipere proposita determinata pro casibus individuis ; generalia enim et confusa proposita sunt sæpius torpida et inefficacia.

223. SCHOLION. *De directione piorum pœnitentum.*

Studeat confessarius pœnitentes pios ad perfectionem

statui eorum convenientem adducere (S. Alph. *Praxis Conf.* n. 21 sqq.). Hinc,

1° Pœnitentes pios excitare debet ut sedulo vitent venialia plene deliberata, utque ea quæ ex subreptione et mera fragilitate oriuntur, et semi deliberata in dies minuere satagant vigilantia in seipsos et praxi examinis particularis (1). — Admonendi sunt ne post admissa peccata animum despondeant, et quidquam de contentione ad acquirendam perfectionem remittant, utque ex ipsis suis lapsibus fructus spirituales colligant, nimirum cognitionem sui vigilem et confisam in Deum, ac pœnitentiæ orationisque fervorem.

2° Confessarius pœnitentes doceat actiones suas, orationes, officia status bene peragere, et in omnibus rectam habere intentionem qua omnis finis inordinatus excludatur divinumque beneplacitum intendatur. Si quis autem advertatur esse in rebus agendis proprii judicii tenax, corrigendus est.

3° Exerceant se præcipue pœnitentes in debita obedientia erga confessarium, parentes, maritum, suos respective superiores, in charitate erga proximum, in mansuetudine erga domesticos, in patientia, in cogitatione de præsentia Dei, in ferventi devotione erga SS. Sacramentum, SS. Cor Jesu, B. M. V., etc.

4° Orationi mentali pro captu suo quotidie per aliquod tempus incumbant, nec eam aut alia pietatis aut mortificationis exercitia, ob ariditatem spiritus unquam omittant. Mortificationi autem christianæ sic incumbant, ut internam

---

(1) Huc faciunt verba S. Thomæ, 3, q. 87, a. 1 : « Pœnitentia de peccatis mortalibus requirit, quod homo proponat abstinere ab omnibus et singulis peccatis mortalibus. Sed ad pœnitentiam peccatorum venialium requiritur, quod homo proponat abstinere a singulis, non tamen ab omnibus, quia hoc infirmitas humanæ naturæ non patitur ; debet tamen habere propositum se præparandi ad peccata venialia minuenda, alioquin esset ei periculum deficiendi, cum desereret appetitum proficiendi seu tollendi impedimenta spiritualis profectus, quæ sunt peccata venialia. »

externæ anteponant, hanc vero non negligant. Quoad mortificationem externam positivam et specialem, ut v. g. jejunia, instrumenta pœnitentialia, etc., nihil agant sine consilio confessarii. Hic vero generatim minus concedat quam rogetur ; gulæ et sensualitati coercendæ præsertim intendat ; in somni mortificatione concedenda discretus sit ; et imprimis hortetur ad mortificationes negativas, cujusmodi sunt privare se visu aut auditu rerum curiosarum, etc. (cf. *Prax. Conf.* n. 145 sq.). Non est facile fidendum illarum spiritui quæ studiose extraordinaria sectari deprehenduntur, nisi adsint signa certa eas impulsu divino duci.

5° Hortetur confessarius ad ordinem aliquem diurnum, quantum fieri potest, servandum, et ad frequentiam sacræ communionis, ratione tamen habita regularum quæ hanc materiam respiciunt (v. *de Euch.*). Pœnitentes frequenter communicantes semel tantum regulariter in hebdomada confiteantur. Si vero in venialia lapsi sunt et opportuna confitendi occasione carent, non ideo a sacra communione abstinere debent, cum venialia aliis etiam mediis remittantur. Quin et quidam timorati, teste S. Alph., *Prax. Conf.* n. 148, sæpe utilius sese propriis actibus, utpote qui tunc ferventiores esse solent, quam confessione ad communionem disponent.

6° Quod in specie spectat moniales quæ vi status tendere debent ad perfectionem, curam impendat confessarius ut perfectissime vota sua servent ac proprii instituti regulas, exercitia spiritualia cum fervore peragant, et quotidie proficiant in sequela Christi pauperis, patientis, mitis et humilis corde. Humilitas autem et charitas duæ sunt virtutes in quibus omnis vita religiosa communis ut in cardinibus vertitur. Discant igitur moniales propriam voluntatem et proprium sensum frangere atque aliis se accommodare, persuasum habentes, id magis meritorium esse quam graviora facere ex propria voluntate.

Peccata et defectus ad quæ cavenda et extirpanda præsertim attendat confessarius sunt fere hæc : omnia

quæ vitam communem laedunt et quemdam proprietatis sensum sapiunt, inobedientiæ vel querelæ contra superiorissam, aversio et similia, læsio charitatis erga sorores religiosas, singularis familiaritas cum una alterave, familiaritas et lubens conversatio cum extraneis, acedia et tepor (1).

§ VIII.

De puerorum confessione.

224 Ut ministerium puerorum confessiones excipiendi rite et cum fructu peragatur, sequentia notanda sunt :

1° Multum refert confessioni præmittere convenientem puerorum præparationem, in qua practice instruantur circa requisita ad sacramentum pœnitentiæ, ad sinceram omnium peccatorum confessionem et contritionem excitentur, examen conscientiæ peragatur circa peccata a pueris committi solita, atque eliciantur actus virtutum theologicarum, præcipue vero contritionis.

2° In ipsa confessione benignus, mansuetus et patiens esse debet confessarius, ne peccata reticeant vel etiam a confessione deterreantur (2). Puerum sinat sua explicare

---

(1) Ad virtutum et vitiorum accuratam cognitionem, consulendi sunt libri ascetici probati, v. g. opera pia S. Franc. Salesii, S. Alph., Ludovici Granatensis, Imitatio Christi, Rodriguez Gaudier (*de perfectione vitæ spiritualis*), Scupoli, (*Pugna spiritualis*), etc. Utilissima est ea pars Summæ S. Th. quæ secunda secundæ appellatur, « ubi virtutum omnium, oppositorumque vitiorum rationes, omnesque, prope dixerim, fibræ exquiruntur. » Gury. Ball. t. 1. n. 178. Cf. etiam S. Alph. *Prax. Conf.* in qua expenditur quo modo se gerere debeat confessarius in directione personarum spiritualium circa meditationem, orationem contemplationis et alia dona supernaturalia.

(2) Scite monet Konings, *Theol. mor.* 1482 « Parvuli publice in Ecclesia ad confessionem admittantur, sed singulis diebus aut diei partibus is tantum eorum numerus qui commode audiri possit, ita nimirum ut nec ipsi expectando tædii, nec confessarius audiendo properationis periculo exponantur. »

peccata, supplendo, si necesse fuerit, interrogatione circa obedientiam parentibus debitam, mendacia, reverentiam in Ecclesia, furtula, rixas, interdum sed cautissime circa castitatem, ex responsis ad ulteriora procedendo (v. n. 191 sq.). Cavendum namque ab una parte est ne pueri edoceantur malitiam quam ignorant, ab altera vero ne pravam consuetudinem contrahant. Notandum etiam pueros quamdoque in materia gravi solum venialiter peccare, quia in confuso levem solum malitiam apprehendunt (1), sed interdum etiam in materia levi posse graviter peccare propter conscientiam erroneam ; hæc autem prorsus corrigenda est.

3° Pueri peccata confessi suaviter monendi sunt ut a peccatis deterreantur et ad praxim virtutum excitentur, adhibitis rationibus quæ tenellum eorum animum movere possint. Præsertim vero adjuvandi sunt in eliciendo actu contritionis. — Rudes vero et parum instructi interrogandi sunt circa mysteria fidei.

4° Quod spectat *absolutionem puerorum*, *a)* confessarius pueros plane rationis compotes et sufficienter dispositos absolvere debet si peccata certo aut dubie mortalia confessi sint, quin imo, venialia solum confessos absolvat (2). Si vero, etiam post confessarii exhortationem maneant

---

(1) Notat Aertnys : « Actiones inhonestæ puerorum qui luxuriæ adhuc ignari sunt, plerumque non sunt habendæ ut peccata mortalia quia commotionem veneream non habuerunt, vel hujus malitiam nondum apprehendunt... In praxi tamen propter notum axioma « Principiis obsta, » confesarius debet pueros qui jocos impudicos exercuerunt, severius corripere, ut in posterum ab omni immunditia abhorreant, simul tamen paterno modo loquatur, ne pueri, si forte relabantur, peccata illa postea ex timore reticeant. E converso, inveniuntur etiam, idque non raro in urbibus, pueri mature corrupti, in quibus malitia et notitia luxuriæ prævenerunt ætatem, et de quibus, proh dolor ! dici debet : « tantillus puer et tantus peccator ! »

(2) S. Alph. l. vi. n. 635. Graviter errant confessarii. qui pueros nunquam ante priman communionem absolvunt. Hujusmodi abusum alicubi vigentem reprobavit Pius ix (*Analecta Juris Pont.* a 1868).

dubie dispositi, absolvi non possunt, nisi gravis urgeat causa illos absolvendi (v. n. 194).

b) Si dubitetur de perfecto rationis usu, pueri confessi dubie mortalia, conditionate absolvendi sunt etiam si recidivi sint ; ex dilatione enim absolutionis non speranda est melior dispositio. Imo probabiliter sic absolvi possunt, saltem post duorum triumve mensium intervallum, quamvis sola venialia confessi essent, ne diu priventur gratia sacramentali, et fortasse etiam sanctificante, ob occultum aliquod peccatum grave (S. Alph. l. VI, n. 432; Cf. *Prax. Conf.* n. 95).

5° Pœnitentia pueris ordinarie injungatur levior quam adultis, eaque regulariter statim post confessionem implenda. Illis multum commendetur devotio erga Virginem Deiparam, et consuetudo recitandi ter *Ave Maria*, mane et vespere cum illa vel simili invocatione : *Mater mea, libera me a peccato mortali.* S. Alph. *Prax. Conf.* n. 91.

§ IX.

De pœnitentibus scrupulosis.

225. Prænotanda. Scrupulus est inanis apprehensio cum anxietate conjuncta, alicubi esse peccatum, ubi non est. Conscientia *scrupulosa* est ea ait S. Alph , « quæ ob levia motiva, absque rationabili causa seu fundamento, *sæpe* formidat de peccato, ubi revera non adest. » (l. I, n. 11). Conscientia scrupulosa omnino differt a conscientia *timorata*, quæ sollicite quidem, sed sapienter juxta prudentiæ christianæ regulas, omne, etiam levissimum peccatum vitat.

Scrupuli a Deo permittuntur, quia suam utilitatem habent, attamen curandi sunt, quia secus, gravia secum damna afferunt. Scrupuli, supposita obedientia, utiles esse possunt ad punienda peccata præterita, ad emundandam

conscientiam ad hominem magis cautum reddendum, ad augendum meritum patientis, et præterea ad reddendum hominem magis idoneum ad alios afflictos dirigendum ac adjuvandum (1).

Scrupuli tamen, si non curantur, maxime noxii esse possunt ; animam enim reddunt intricatam, desolatam, perplexam, desperabundam, confundunt intellectum, judicii vim perturbant, hominem reddunt ineptum ad multa bona opera, et interdum periculum inducunt sive desperandi, sive studium virtutis ac pietatis deserendi, et laxandi habenas veris peccatis. Corpori etiam multis modis nocent.

226. Ut confessarius molestissimum suum munus erga scrupulosos rite obeat, I examinare debet an pœnitens sit vere scrupulosus, II expendere causas scrupulorum, III congrua remedia adhibere et IV prudentem modum agendi servare cum scrupulosis.

I. *Confessarius examinare debet utrum pœnitens sit vere scrupulosus*. Is autem dignoscitur : 1° ex pertinacia judicii, qua scrupulosus confessarii aut alterius viri docti consiliis non acquiescit, varios consulit et fatigat et suum tamen sæpe judicium sequitur ; 2° ex frequenti mutatione judicii ob leves causas, unde oritur inconstantia et perturbatio in agendo ; 3° ex reflexionibus impertinentibus innumerarum circumstantiarum ; 4° ex eo quod timeat in omnibus peccatum, etiam in iis actionibus quas alii reputant esse honestas, et contra sapientium et proprium sæpe judicium sit inquietus ; 5° ex eo quod excutiendæ conscientiæ non faciat finem, minutissima explicet et confessiones diligenter factas ex toto vel ex parte pluries repetere vult ; b) ex eo quod preces suas anxius recitet easque de novo ordiatur, etc. In particulari signa præsentis scrupuli sunt ;

---

(1) Notant plurimi scrupolosos non raro in mortis periculo magnis abundare consolationibus, etiam ex eo quod semper conati sint conscientiam conservare mundam Deumque non offendere.

si per illum experiatur pœnitens se nimium angi et turbari, vel si alias expertus sit sé similia apprehendisse sine fundamento.

Non potest autem, saltem statim, ut scrupolosus judicari ille, qui sollicitus est, imo moderate anxius ne Deum offendat, vel qui in uno tantum alterove casu habet transeuntem scrupulum. — Sedulo etiam advertendum interdum fieri, ut quis scrupulosos sit in una materia, in alia vero non, sed imo interdum laxus.

227. II. *Confessarius expendere debet causas scrupulorum*. Causæ autem sunt vel *intrinsecæ* vel *extrinsecæ*. Causa *intrinsecæ* naturales et dispositivæ tam ex parte corporis quam animæ, sunt : 1° complexio corporis quæ facile inclinat ad tristitiam et timorem, v. g. indoles melancholica, item mala cerebri affectio qua phantasia facile excitatur et perturbatur ; 2° animi pusillanimitas et dejectio, 3° judicii naturalis infirmitas ; 4° mentis subtilitas quæ difficultates innumeras invenit quas solvere non potest ; 5° occulta superbia et pertinacia in proprio judicio ; 6° nimia sollicitudo cavendi quidquid aliquam speciem mali habet, atque consuetudo eligendi semper rigidiora, etc.

Causæ *extrinsecæ* sunt : 1° Consortium cum scrupulosis, lectio librorum qui nimis rigidi sunt vel non intelliguntur ; 2° suggestio dæmonis phantasiam perturbantis etc., 3° specialis Dei permissio justissimas ob causas. — Scrupuli censentur a dæmone provenire, si scrupulosus sentiat se ad teporem adduci, a virtute retrahi et præsertim ad desperationem adduci ; a Deo autem censentur specialiter permitti, si pœnitens ad fervorem incitatur.

228. III. *Confessarius congrua remedia adhibere debet*. Hæc autem sunt :

1° Humilis et cœca obedientia confessario. Hæc est remedium omnium maxime necessarium et efficax.

Quo modo autem scrupulosus formare possit suam

conscientiam sic explicat Lessius apud Croix : « *Quamvis ego, quoad me, potius judicarem me ad hoc teneri seu hoc peccatum esse etc. ; quia tamen meus confessarius dicit contrarium, possum et volo facere hoc quod ille mihi dicit, et certus sum me bene facere ; quia Deus vult ut faciam quod ille mihi dicit, cum ipse sit mihi interpres divinæ voluntatis.* » (1) Etsi autem error contingeret, non peccaret pœnitens ratione obedientiæ, quam præstare debet confessario.

Præstat generatim ut unus idemque confessarius retineatur. Nec ad eum in singulis dubiis recurrat scrupulosus ; hoc enim fovet scrupulos, sed ab eo accipiat generalia principia a quibus nullius scrupuli causa recedat.

2° Alterum remedium est scrupulos *cogitatione non fovere, sed contemnere et contra illos operari,* ex præmisso nempe judicio vanam esse apprehensionem peccati. Quod quidem judicium ob auctoritatem confessarii aut aliam practicam regulam efformatum, non debet in quolibet particulari casu adesse actu et reflexe, sed sufficit ut habitualiter aut virtualiter existat, seu ut scrupulosus habitualiter sciat se debere sua dubia spernere (2). Sic enim habetur judicium certum de honestate actionis, quod in scrupuloso solum tollitur per contrarium judicium certum, non vero qer concomitantes formidines et hæsitationes.

---

(1) Theol. mor. l. I, n. 540; Cf. s. Alph. L. 12, sqq. ubi plura habet de obedientia scrupuloso prorsus necessaria.

Cf. S. Alph. l. I. n. 19. : « Nec opus est in quolibet particulari actu hoc judicium efformet, nempe quod scrupulos contemnere debeat ex præcepto confessarii. Satis est enim quod ex *judicio prius formato* contra scrupulos agat ; quia propter experientiam præteritam in ejus conscientia judicium illud *habitualiter* sive *virtualiter* existit licet *tenebris* obscuratum. » Notant theologi plures non modo licitum sed et interdum obligatorium esse contra scrupulos operari, si nimirum adest periculum instans gravis nocumenti. Verum hæc obligatio non urget graviter in singulis actibus, sed in genere ; scrupulosi tamen ordinarii a gravi peccato excusantur, propter infirmitatem qua laborant.

Sic agendo contra scrupulos, pœnitens non agit contra conscientiam, sed contra phantasticas umbras. Et si materialis error forte contingeret, ille potius permittendus quam scrupulos fovere.

3° Pro scrupulosis *inhærendum est sequentibus regulis :* *a*) Scrupuloso nihil est peccatum, quod non statim sine ulla disquisitione et hæsitatione evidenter ut tale cognoverit, quia v. g. illud a confessario rescivit vel expresse legit in catechismo; *b*) Scrupuloso id licet quod viderit communiter fieri a probis hominibus, etsi sit contra ejus propriam opinionem; *c*) Scrupulosus non debet confiteri peccata nisi primo intuitu evidenter sciat ac prompte jurare possit illa fuisse mortalia nec unquam rite confessa. *d*) Dubia scrupulosi non sunt rationabilis causa quidpiam agendi aut omittendi vel hærendi. — Ratio omnium est, quia in scrupuloso, ex nimio timore peccandi turbatur ratio ita ut non possit recte rem examinare. *e*) Leges positivæ non obligant cum magno incommodo.

4° *Causæ scrupulorum sunt removendæ.* Igitur pertinax frangat suum judicium, superbus suæ prudentiæ non confidat, rudis instructionem petat, timidus meditetur bonitatem Dei quæ non imponit præcepta ad insaniam redigentia. Scrupulosus assuescat operari juxta sententias benigniores. Pluribus etiam commendentur fuga otii, recreationes honestæ, occupationes quæ animum distrahunt et defigunt. Remedium autem universale est humilis et fiducialis oratio.

Corollarium. Ex indicatis modo remediis, colligitur quomodo tractandi sunt varii scrupulosi. Tripliciter ut plurimum pœnitentes scrupulis vexantur, ut advertit S. Alph. : « Alii anguntur a pravis cogitationibus quibus assentire se timent. Alii propter confessiones quibus satis nunquam se fecisse dubitant. Alii propter timorem peccandi in qualibet operatione quam acturi sunt. » (L. I. n. 15).

Et 1° quidem *scrupulosis circa confessiones*, *a*) non

permittatur repetitio præteritarum confessionum vel confessio peccatorum præteritæ vitæ, nec etiam deliberata de iisdem recogitatio, nisi certi sint et prompte jurare possint se reticuisse voluntarie aut involuntarie peccata certo mortalia, vel propositum habuisse eadem peccata gravia iterum committendi. Hæc norma agendi præsertim urgenda est, quando pœnitens post peractam semel confessionem generalem permissus est aliquoties addere peccata forsan omissa. *b*) Quoad confessiones *ordinarias*, monendus pœnitens scrupulosus quod non teneatur adhibere nisi examen et diligentiam valde mediocrem, nec tantam quantam alii. Nec permittatur scrupulos examinare et confiteri, maxime si jam ad satietatem eos audiverit confessarius; secus enim fons scrupulorum non exhaurietur. Quin etiam, scrupulosus, interdum excusatur a præcepto integritatis materialis, ob grave corporis aut animæ damnum.

2° Scrupulosus *circa consensum præstitum pravis cogitationibus contra fidem, castitatem, charitatem*, etc., *a*) jubeatur illas cogitationes ut phantasmata despicere, et postea non inquirere an consenserit, nec illas confiteri nisi absque hæsitatione certus sit et cum juramento testari possit se consensisse. — *b*) Suadendum sæpe ut non directe pugnare velit contra judicia temeraria, sed contemnat et mentem ad alia divertat. — *c*) Dissuadendum, ut ex metu consentiendi scrupulosus gestu vel verbis se defendat contra tentationes. Ista enim possunt phantasiam magis excitare et turbationem augere.

Heic etiam notetur scrupulosum interdum absolute excusandum esse a præcepto correctionis fraternæ; quia ratio ejus turbata impotens est ad discernendum an urgeat illud præceptum nec ne, et propter continuas anxietates quas secus pateretur.

3° Scrupulosi qui *in plerisque actionibus timent peccatum et ne cum dubio operentur*, debent libere, et audacter operari, scrupulo contempto, quoties peccatum

sine inquisitione evidens non apparet. Nec permittendum ut se accusent de factis cum dubio.

4° Scrupulosi circa auditionem missæ teneant benigniorem sententiam de sufficientia attentionis externæ cum intentione assistendi actui religioso. — Scrupulosi circa recitationem horarum canonicarum, moneantur, posita intentione Deum colendi, quam satis est virtualiter perseverare, sufficere attentionem ad rectam pronuntiationem verborum. — Nec eis permittatur ad scrupulo satisfaciendum, aliam Missam audire, horas canonicas repetere. — Scrupulosus circa celebrationem sacrificii Missæ, moneatur dubitari non posse de intentione debita, nisi certus sit se eam exclusisse; assuescat verba consecrationis non altiore voce pronuntiare quam reliqua secreta recitet, et licet ob strepitum non advertat se ea pronuntiare, nihil repetat. Si distractus nesciat an quid omiserit et non recordetur se consecrasse, v. g. vinum, non turbetur, sed pergat et supponat, se omnia recte fecisse; nam errores non fiunt sine advertentia, ubi quis ex habitu operatur. — Si hæreat perplexus quid facere debeat, hæsitationem abjiciat, eligendo id quod primo menti occurrit ut melius et in eo permaneat nec rursus examinet an bene statuerit, sed pergat (1).

229. IV. *Confessarius debet prudentem modum agendi servare cum scrupulosis.*

1° Debet esse benignus et patiens, ne afflicto addat afflictionem; interdum tamen severitate utendum, sed cum mansuetudine conjuncta, quando v. g. pertinacia judicii aut laxitas in quadam materia vincenda est.

2° Confessarius pœnitenti respondeat, prompte, resolute, nihil hæsitans, uno semper eodemque modo; et sequendo partem benigniorem et dubitationes interpretans in meliorem partem. Nec sui responsi det rationes, quia

(1) Ballerini, *Opus Theol. mor.* Tract. II *de Cons.* n. 202.

secus has scrupulosus postea examinat, sibique aut dubias reddit aut in casum suum minus quadrare existimat, et sic se magis implicat.

3° Non permittat scrupulosum, post unam alteramve vicem, suos scrupulos et dubia fuse explicare, sed eum non auditum ad communionem dimittat vel absolvat a peccato certo ; longæ enim ac repetitæ scrupulorum explicationes eos fovent ac nutriunt.

4° « Satagat prudens confessarius hujusmodi pœnitentibus regulas potius generales quam particulares præscribere ; regulis enim particularibus scrupulosi fere nunquam se resolvere valent ad operandum, quia semper dubitant an regula illa prescripta possit valere pro casu occurrente, qui sæpius videbitur illis differre a casu præterito collato cum confessario. » Ita s. Alph. l. I, n. 14. Scrupulosis frequenter commendet necessitatem et securitatem omnimodæ obedientiæ.

5° Scrupulosos in peccato lapsos ad magnam fiduciam excitet, hac enim maxime indigent.

§ X.

De moribundis.

230. Quæstio tractanda non respicit periculose infirmos qui sui compotes confiteri possint ; nulla enim in casu occurrit specialis difficultas : applicanda sunt principia superius tradita, quod nimirum sufficiat confessio formaliter seu moraliter integra, quantum moraliter loquendo, hic et nunc potest fieri, et quod in gravi necessitate absolvi possint dubie dispositi (Cf. n 105, 107 et n. 194).

Quæstio itaque est *an et quomodo absolvi possint ac debeant moribundi usu sensuum destituti ?*

Resp. Moribundi usu sensuum destituti absolvendi sunt, si ob rationem aliquam etsi tenuiter solum probabilem, præsumuntur attriti absolutionem velle vel antea voluisse,

seu de quorum incapacitate et indispositione moraliter certo non constet. — Ratio est, quod in extrema necessitate spirituali tentanda sint extrema et absolutio dari possit etiam cum dubio de ejus valore, S. Alph. l. VI, n. 482. — Consequenter, illis solis moribundis neganda est absolutio qui hic et nunc sui compotes eam recusant, aut manifeste sunt indispositi, vel qui sensibus destituti nullo modo præsumi possunt attriti

Infertur :

1° Absolvendi sunt moribundi sensibus destituti, si antea « confitendi desiderium sive per se sive per alios ostenderint. » Constat ex Rit. Rom. *de Sac. pœnit.* Ratio est, quia istud desiderium confessario relatum per testes immediatos vel mediatos, æquivalet confessioni genericæ confessario factæ. Absolutio autem absolute dari potest.

2° Moribundi qui professi sunt catholicam religionem, sub conditione sunt absolvendi, quamvis nulla dederint signa pœnitentiæ, antequam privarentur sensibus. — Sententia et praxis est hodiedum communis (1). Ratio est, quia præsumi potest, illos interne mentis compotes saltem per aliquod intervallum, habere vel habuisse contritionem et voluntatem confitendi, quam etiam significare voluerint aut nunc velint motu aliquo corporis, suspiriis anxia respiratione, etc. (2). Quare plures docent probabi-

---

(1) Plures olim gravissimi theologi, Suarez, Vasquez, Lugo etc. tenebant hujusmodi moribundos absolvendos non esse, quia deest omnis externa confessio, quæ est pars materialis essentialis. Aliqui ex praxi hodie communi hujusmodi moribundos absolvendi, confirmare volunt sententiam quod actus pœnitentis non sint vere materia proxima sacramenti, sed solum dispositiones, quæ in casu necessitatis non debent esse externæ. De qua quæst. v. Bucceroni, *De absolut morib.* : Ballerini, *Opus theol. mor.* t. 5. n. 402, sqq. Cæterum omnes practice conveniunt absolutionem dandam esse, sed dissentiunt in conciliando hanc praxim cum principiis theoreticis de natura sacramenti pœnitentiæ.

(2) S. Alph. l, VI, n. 481 : « In eo casu bene adest prudens dubium quod moribundus vel ante destitutionem noverit suæ damnationis

liter absolvi posse sub conditione catholicos qui vel in ipso peccandi actu sensibus destituuntur (1).

3° Quia locus aliquis relinquitur simili præsumptioni, plures opinantur sub conditione absolvi etiam posse illos qui catholice educati postea facti sunt apostatæ, liberi cogitatores, etc. si sensibus sint destituti, nullo ante edito signo pœnitentiæ (2). Quin imo, non desunt qui id licitum existiment, quamvis ante sensuum deliquium confiteri renuissent (3). Contra, de his ultimis scribit Bucceroni : Quomodo sane sacerdos posset tunc in tali moribundo, vel tenui probabilitate, desiderium confessionis dolorem et propositum præsumere. Opus vere est in tali casu miraculo divinæ gratiæ, sed miraculum præsumi non potest. Quare non videtur quod hujusmodi moribundus possit ullo modo absolvi, si nolimus revera margaritas ante porcos projicere et J.-C. Sacramenta risui et contemptui exponere. » (*De morib absol.* n. 9.)

---

periculum, vel post destitutionem ad illud advertat in aliquo lucido intervallo, in quo præsumitur velle et petere absolutionem signis vere sensibilibus, nempe per suspiria, motus corporis, saltem per anxiam respirationem, quamvis tunc ista signa non percipiat confessarius. » — Bucceroni in comment. *de moribundorum absolutione* n. 12, scribit : « Ego ipse dum hunc commentarium conficerem, morti proximus *indifferentia illa signa* interne ordinabam ad exteriorem manifestationem interioris doloris et desiderii confessionis et absolutionis, pluribus fratribus meis sacerdotibus præsentibus, qui tamen illa non advertebant. » Et ibid. Petrus Marchantius refertur de seipso extremo periculo post Ext. Unct. laboranti ita scribens : « Sensibus omnibus destitutus eram, excepto auditu ; ratione autem et firmo judicio et recto intus utebar,... firmiter me Dei misericordiæ commendabam et pium affectum aliquem foris conabar præstare. »

(1) S. Alph. l. VI, n. 483 ; Gousset theol. mor. n. 585 ; Gury n. 506. Notandum absolutionem, si scandalum timeatur, ita impertiendam esse ut ea non percipiatur. In casu autem omnimodæ ebrietatis expectandum est donec hæc dissipata sit, nisi mors instet.

(2) Marc, *Instit. mor. Alph.* n. 1855, Haine, *Theol. mor. de Pœnit.* n. 53.

(3) Bonal, *Institiones Theol.. de Pœnit.* n. 213 ; Haine, l. c.

4° Hæretici in hæresi nati et educati, quos non certo constat esse formales hæreticos, sensibus destituti, juxta aliquos, conditionate absolvi possunt (1). Sed illud prorsus negat S. Alph., etiamsi darent signa pœnitentiæ, *nisi absolutionem expresse petant* ; quia tales nunquam prudenter præsumi possunt ea signa præbere in ordine ad confessionem a qua summopere abhorrent (l. VI. 483). Excipiunt etiam alii hæreticos sensibus destitutos, qui antea *voluntatem proclivem in fidem catholicam* ostenderunt (2). Absolutio dari potest schismaticis moribundis qui admittunt sacramentum pœnitentiæ, et qui præsumi possunt in bona fide fuisse, vel culpam suam retractare.

Nota practica. Sacerdos vocatus ad moribundum catholicum sensibus destitutum, remotis pro posse adstantibus, illum imprimis moneat de sua præsentia, deinde ad contritionem excitet de omnibus peccatis quæ in genere confiteatur, de danda absolutione præveniat, suggerat invocationem nominis Jesu pro pœnitentia, ipsumque absolvat, absolute si antea petiverit confessarium, secus sub conditione, v. g. si es capax, mente retenta (3). Si res moram non patitur, illico eum absolvat, verbo ad summum habito de contritione, et si infirmus supervivit, faciat sacerdos ut modo dictum est. — Monendi sunt inservientes istiusmodi infirmis, ut si appareat lucidum intervallum, sine mora confessarium ad-

---

(1) La croix, VI, 1886; Renter *Nec. Conf.* n. 203; Gury, *Cas. cons.* n. 488 ; Haine, l. c. *de Pœnit.* Q. 53, ubi etiam explicatur modus agendi cum hæretico sensibus non destituto.

(2) Kenrick, tr. XVIII. Q. 11. scribit : Hæretici « qui licet catholicam fidem nunquam professi sunt, voluntatem proclivem in eam ostenderunt, possunt eo in discrimine (si moribundi sunt et sensibus destituti) sub conditione absolvi, si in suis sectis fuerunt jam baptisati, sed in dubio de valore hujus baptismi debet prius baptismus sub conditione iterari.

(3) Pluribus medicis testantibus, auditus plerumque usque ad extremum tempus persistit, nec raro, reliquis sensibus jam plane extinctis adhuc remanet (Capelmann. *Medic. part. De Agonia*). — Sermo confessarii ad infirmos sit brevis nec clamosus.

vocent, etiam de nocte, et interea infirmo præforment actus contritionis.

2° Aliquoties iterari potest absolutio moribundi sensibus destituti, saltem si sensuum destitutio diu duret (1). De qua re hæc monet S. Alph.: « Si tamen infirmus jam sensibus caret, et nullum doloris, nec absolutionis desiderii signum ostendit, non expedit valde sæpius intra eumdem diem absolutionem ei impertiri.... unde opus est ut aliquod notabile temporis spatium intermediet. Verum in hoc sacerdos ex conscientia quam noverit infirmi, se dirigere debet; nam si ille habituatus fuit in pravis cogitationibus, si aliquo vulnere moritur, aut aliqua odii vel impuri amoris passione est irretitus, si infirmitas est nimis acerba, et ipse non libenti animo suffert, tunc sæpius absolutio dari potest; sin autem, sufficit ut trium aut quatuor horarum spatium intercedat; frequentius tamen, si jamjam moriturus est. » *Prax. Conf.* n. 276.

231. SCHOLION. *De cura infirmorum et moribundorum.* — Qui curam animarum gerunt tenentur ex officio visitare infirmos et eorum curam habere, idque sæpius, præsertim ingravescente morbo et periculo mortis imminente. Monet Rit. Rom. non postremas esse muneris pastoralis partes ægrotantium curam habere. Alii confessarii infirmorum ex charitate obligari possunt. — Omnes infirmi, cæteris paribus, sine acceptione personarum, visitandi ac curandi sunt, præsertim vero pauperes « qui humanis auxiliis destituti, benigni ac pravidi pastoris charitatem et operam requirunt » (Rit. Rom.), nec non peccatores.

Legantur et pia meditatione recolantur Rit. Rom. de *visitatione ac cura infirmorum, de modo juvandi morientes, de ordine commendationis animæ*, item ordinationes diocesanæ (2), et theologiæ quæ dicitur pastoralis

(1) Cf. Vander Moeren, *Tr. de Sac. Pœn.* n. 43.

(2) Statuta Diœcesana, Past. Brug.

interpretes (1). Testatur S. Alph. non adesse charitatis opus magis acceptum Deo, magisque ad animarum salutem conducens quam in extremo vitæ periculo positos ad sancte moriendum adjuvare.

232. Eo præsertim pertinere debet cura infirmorum ut 1° rite sacramentum Pœnitentiæ suscipiant, 2° ut præmuniantur ac roborentur contra dæmonis insidias et tentationes, eorumque merita augeantur.

1° Quoad sacramentum pœnitentiæ : *a*) præsertim curandum est de contritione. Infirmos prudenter interdum interrogare debet num tranquilli sint circa confessiones præteritas, an non teneantur onere alicujus restitutionis aut reconciliationis. Magna etiam libertas conscientiæ infirmis procuranda est et opportunitas alterius confessarii (2).

b) Maxime refert infirmos post receptum viaticum confessos pluries absolvere, ut magis de statu gratiæ securi reddantur, gratiæ incrementa recipiant majoremque pœnarum remissionem. — Non abs re erit, ait S. Alph., ægrotum dum mente pollet monere, ut si loqui non possit, signum aliquod determinatum det, dum absolutionem quærit, aut dum confessarius ipsi conferre vult, ex. gr. oculos claudat vel reserat, manum elevet, caput inclinet, et similia (Prax. Conf. n. 276).

c) Quærit Reuter, « quid sentiendum de pacto, quod moribundus jam confessus inivit cum confessario, ut in agone adhuc semel absolvatur ? Resp. Quum ad novam absolutionem, saltem extra casum necessitatis, requiratur nova accusatio, jubeat confessarius eum, absolutione recepta, in genere rursum se accusare et dolorem elicere cum

---

(1) S. Alph. *Prax. Conf.* Reuter *Neo Conf.* Aertnys, *Theologia Pastoralis*.

(2) Provide igitur Statuta Diœc. et aliæ ordinationes præcipiunt ut sacerdotes parochiæ mutuos infirmos periculose decumbentes visitent. — Multi, ait S. Alph. etiam in puncto mortis, ultima recipientes sacramenta, propter verecundiam peccata reticuerunt.

proposito ; quo facto potest eum agonizantem denuo absolvere, saltem nisi mora nimis longa inter agonem et præmissum dolorem intercesserit ; in hoc enim casu expedit renovare dolorem ante agonem. Si tamen in agone signa pœnitentiæ nova daret, absolvendus esset ; quemadmodum etiam si non temere timeretur, ne relapsus sit in grave peccatum. » (Nec Conf. n. 220).

2° Ad vincendas dæmonis insidias ac tentationes et ad augenda merita, oportet removere impedimenta et objecta periculosa, excitare et adjuvare infirmos ut sæpe et ferventer eliciant actus fidei, spei, charitatis, contritionis, patientiæ, resignationis, conformitatis cum voluntate divina, unionis cum Christo Domino patiente. Suggerendæ ipsis piæ aspirationes, orationes jaculatoriæ ad Christum Salvatorem, B. M. V., SS. Angelos custodes, S. Josephum etc. (v. *Rit. Rom.* et *Prax. Conf.*) — Sacerdos ipse studeat assistere infirmo agonizanti, quantum poterit, alioquin curam habeat ut alii pios tunc ipsi affectus suggerant.

ART. V.

De sigillo sacramentali.

Obligatio confessionem tenendi secretam, vocatur *sigillum*, sumpta metaphora a sigillo materiali, quo obsignantur epistolæ et res illæ quas volumus omnino esse occultas et secretas. Definitur autem : *obligatio immutabilis, citra licentiam pœnitentis, perpetuo servandi silentium circa ea quæ ex sacramentali confessione cognita sunt, et quæ propalata cederent in injuriam pœnitentis vel sacramenti.*

Dicendum I de obligatione sigilli, II de sigilli objecto, III de ejus subjecto, et IV de violatione sigilli.

§ I.

De obligatione sigilli.

233. I. *Confessarius ad sigillum tenetur* 1° *jure naturali*, 2° *præcipue vero jure divino positivo, nec non* 3° *jure Ecclesiastico.*

1° *Jure naturali,* quo prohibetur violare secretum commissum, et proximo injuste infamiam aut aliud incommodum inferre.

2° *Jure divino positivo*, et quidem valde convenienter institutioni et necessitati hujus sacramenti. Colligitur ex praxi et perpetua Ecclesiæ traditione quæ cum Apostolica traditione cohæret (1). Finis divini præcepti est bonum commune pœnitentium et reverentia sacramento debita, ne scilicet difficilior et odiosa reddatur confessio, et sic ab ea deterreantur fideles. Quare S. Th. docet quod præceptum de celanda confessione consequitur ipsum sacramentum, et præceptum de confessione facienda. Rationem congruentiæ sic evolvit : « Dicendum quod in sacramentis ea quæ exterius geruntur, sint signa rerum quæ exterius contingunt, et ideo confessio qua quis sacerdoti se subjicit, signum est interioris subjectionis qua quis Deo subjicitur : Deus autem peccatum illius qui se subjicit per pœnitentiam, tegit. Unde et hoc oportet in sacramento pœnitentiæ significari : et ideo de necessitate sacramenti est quod confessionem celet.... Et præter hoc sunt aliæ utilitates hujus celationis, quia per hoc homines magis ad confessionem attrahuntur et simplicius peccata confitentur. » Suppl. q. 11, a. 1.

---

(1) Huc referuntur verba S. Leonis : « Illam etiam *contra Apostolicam regulam* præsumptionem, quam nuper agnovimus a quibusdam illicita usurpatione committi, modis omnibus constituo submoveri, ne de singulorum peccatorum genere libellis scripta professio publice recitetur, *cum reatus conscientiarum sufficiat solis sacerdotibus indicari confessione secreta.* » (Ep. ad Episcopos in Campania).

3° *Jure ecclesiastico*. « Caveat, ait Conc. Lat. IV, sacerdos ne verbo aut alio quovis modo aliquatenus prodat peccatores. » et decernit violatorem sigilli puniendum esse pœna (sententiæ ferendæ) depositionis et perpetuæ detrusionis in arctum monasterium.

Infertur sigillum obligare ex *justitia* ratione famæ non lædendæ et servandi secreti commissi hic etiam tacite promissi, et *ex religione*, ob reverentiam sacramento debitam. Ideo violatio sigilli habet malitiam *injustitiæ et sacrilegii*.

234. II. *Obligatio sigilli strictissima est et immutabilis, citra licentiam pœnitentis.*

Unde 1° *nullo unquam casu*, ullius boni consequendi aut mali vitandi causa, *quodvis* vel *minimum* peccatum aut quid aliud sub sigillo confessionis cadens, *directe* vel *indirecte ante* vel *post* mortem confitentis sine mortali peccato *sacrilegii* revelari potest. Unde communis est sententia non dari parvitatem materiæ in *directa* violatione sigilli, seu quando de determinata persona revelatur aliquid ad sigillum pertinens, quamvis dari possit in violatione *indirecta*, quando periculum revelationis aut gravaminis pœnitentis est valde remotum (1). Malitia tamen *injustitiæ* gravis vel levis esse potest pro ratione materiæ.

Summus iste rigor obligationis sigilli oritur ex jure positivo divino, ob Ecclesiæ bonum, confessionis reverentiam et securitatem ; hæc enim expostulant ut omnis prorsus auferatur timor ne in aliquo casu licita esse possit revelatio notitiæ sacramentalis.

2° In materia sigilli non licet uti opinione probabili sive facti sive juris contra sigillum ; sed moraliter certum esse debet rem non fuisse dictam in sacramentali confessione vel non cadere sub sigillo. S. Alph. n. 633. Ratio est, quia secus maxime odiosa fieret confessio, et

(1) De his omnibus Cf. S. Alph. L. VI, n. 633, 634, 656, 657.

jus certum pœnitentis prævalere debet, ne prætextu dubii in confessario periculum immineat probabile revelandi peccata aut quidvis aliud quod in ordine ad confessionem manifestatum fuerat.

235. III. *Obligatio sigilli oritur ex omni et sola confessione saltem inchoative sacramentali,* quæ nempe ex intentione confitentis fit judici saltem existimato fori interni pœnitentialis, in ordine ad obtinendam absolutionem sive nunc sive postea. — Omnis enim et sola confessio sacramentalis rationem præcepti continet. Nihil autem refert, quod quacumque ex causa non subsequatur absolutio aut hæc invalida sit.

Infertur : 1° Non oritur obligatio sigilli ex confessione ficta ad furandum, illudendum vel pervertendum confessarium : etsi hoc casu adhuc prudenter tacendum sit, quia suspicio induci potest fracti sigilli, et quia peccatum proximi secretum sine causa propalari non potest.

2° Nec oritur obligatio sigilli si quis conscientiam aperiat unice ad petendum consilium aut obtinendum aliquod beneficium, vel si extra confessionem secretum committat sub sigillo confessionis. Quando tamen res istis modis communicata ex natura sua et intentione communicantis secretum exigit, adest obligatio secreti naturalis gravior aut levior pro rei exigentia. — Conscientiæ manifestatio superiori extra confessionem facta, non sigilli, nisi quis velit inchoare sacramentalem confessionem, sed secreti naturalis strictissimam obligationem inducit.

3° In dubio an quidpiam a pœnitente dictum fuerit in ordine ad confessionem, confessarius tenetur ad sigillum. s. Alph. n 837.

236. IV. *Ex accepta licentia pœnitentis cessat obligatio sigilli, et confessarius uti potest notitia sacramentali intra fines licentiæ concessæ.* Tunc enim cessat injuria pœnitentis et sacramenti, nec propterea sacramentum fit onerosum. Cf. Suarez *de Pœnit.* Disp. 33, s. 5.

Oportet autem ut hæc licentia 1° sit *formalis* et *expressa*, nam præsumpta, tacita, interpretativa (etiam in bonum pœnitentis) non sufficit ; alias enim sigillum exponeretur periculo cum gravi incommodo ipsius sacramenti.

2° Ut sit *libera* ac *spontanea*, non vi, dolo, vel per preces importunas extorta, vel etiam per metum reverentialem ipsius confessarii obtenta. — Unde pœnitenti proponi quidem possunt rationes concedendi licentiam, sed si nolit, importune urgeri non potest ; alioquin invalide concessa censetur, nec ea uti potest confessarius. S. Alph. n. 651.

3° Ut *non sit revocata* ; nam pœnitens pro lubito, etiam sine causa, semper potest licentiam valide revocare.

4° Licentia utendi notitia sacramentali non nisi ob gravem causam danda est ; quod tamen valorem licentiæ non respicit.

5° Necesse non est ut licentia *scripto* detur (quod regulariter non expedit); sufficit eam dari *verbo*, — aut etiam *facto*, v. g, si pœnitens extra confessionem incipiat loqui cum confessario de dictis in confessione, potest, is cum ipsomet pœnitente de iisde n prosequi, non vero de aliis loqui. Manifestum est confessarium in usu notitiæ sacramentalis, neque in personis quibus loquitur, neque in tempore, neque in aliqua circumstantia, posse excedere limites in licentia determinatos.

237. *Notandum*. Duo distinguuntur modi communicandi licentiam seu facultatem loquendi de dictis in confessione: 1° retinendo notitiam sub sigillo, sed concedendo licentiam utendi notitia sacramentali ad talem vel talem effectum. De hac licentia modo dictum fuit. — 2° Communicando confessario notitiam extrasacramentalem seu mere humanam circa dicta in confessione, si v. g, pœnitens res semel dictas in confessione distincte repetat extra confessionem, vel si etiam intra confessionem confessario communicet notitiam humanam. dicendo ex gr.: omnia quæ dixi in confessione sint dicta ut homini extra confessionem, etc.

Magnum est discrimen inter utrumque illum modum.

Nam: *a)* Licentia priori modo communicata est *revocabilis*, altera vero *irrevocabilis*. *b)* Si confessarius loquitur ex priori licentia, notitia aliis communicata transit cum et sub obligatione sigilli; et illi omnes tenentur ex sigillo confessionis; secus vero si confessarius altera seu extra-sacramentali notitia utatur, tunc enim audientes non tenentur ad secretum sigilli, sed ad secretum naturale teneri possunt pro qualitate materiæ; qua propter *c)* quando confessarius utitur priori licentia, potest et debet dicere se scire ex confessione et loqui ex licentia pœnitentis, ut alter debito modo recipiat; sed in posteriori modo non potest dicere se audivisse in confessione, quia non loquitur ex illa notitia neque ex licentia respectu illius, sed ex nova scientia. *d)* Licentia utendi notitia sacramentali convenienter concedi et adhiberi non potest sine gravi causa vel utilitate rationabili; altera vero licentia seu notitia humana concedi potest ex mera voluntate sine causa quæ ad sacramentum vel pietatem pertineat. Suarez, *de Pœnit.* Disp. 33, § 5.

Si dubitatur quo modo data fuerit licentia loquendi de auditis in confessione, præsumenda est licentia utendi notitia sacramentali, quæ magis est in favorem pœnitentis; et ita sæpius et convenienter datur in ordine ad petendum consilium circa directionem et absolutionem pœnitentis. Quando vero intenditur finis sacramento extrinsecus, v. g. directio ipsius confessarii pro sua agendi ratione extra confessionem, erga seipsum vel erga alios, vel circa ipsum pœnitentem, tunc magis expedit dari notitiam mere humanam, ut confessarius liberius et securius agere queat. Utraque autem notitia sive sacramentali sive humana caute utendum, ne perturbationes et scandala oriantur. Cf. supra n. 110.

§ II.

De objecto seu materia Sigilli.

238. I. Sigillum confessionis se *directe* extendit ad peccata confessa, ad peccatorum objecta et complices, necnon ad circumstantias quæ ad peccatorum confessionem aliquo modo pertinent vel pertinere existimantur a pœnitente, et ex quarum revelatione infamia aut aliud incommodum confitenti evenire potest. Ratio est, quia istorum omnium revelatio redderet confessionem odiosam et ab ea homines retraheret.

II. Sigillum se *indirecte* extendit ad ea, quæ licet ex se non cadant sub sigillum, per ea tamen posset deveniri in notitiam vel suspicionem eorum quæ directum sunt objectum sigilli, vel gravamen pœnitenti inferri propter suam confessionem. « Indirecte id, quod non cadit sub sacramentali confessione, etiam ad sigillum confessionis pertinet, sicut illa per quæ posset peccator vel peccatum deprehendi. » (S. Th. Suppl. q. II. a. 2.)

Corollaria.

1° Directe sub sigillum cadunt omnia peccata *mortalia* pœnitentis tam in *genere* quam in *specie*. Et non solum peccata *præterita*, sed etiam *futura*, si intentione se accusandi quis confitetur propositum illa perpetrandi. S. Alph. n. 663. — Item *venialia* in *specie* vel eorum *frequentia* aut *gravitas*. Non tamen violat sigillum confessarius, si generatim et indefinite dicat pœnitentem confessum esse venialia tantum ; confessio enim necessario supponit veniale saltem peccatum ; secus si dicat esse confessum venialia *plurima* vel *grandiuscula*. In priori tamen etiam casu indirecte violatur sigillum, si exinde conjici possit alios pœnitentes graviora fuisse confessos. Semper autem ab hujusmodi abstinendum, quia facile scandalum præbent et confessionem reddunt exosam. S. Alph. n. 646 et DD. ibidem cit.

Notandum. a) Non solum peccata vera sed etiam ea

quæ peccata non sunt, sed a pœnitente declarantur quia putabat esse, cadunt sub sigillum. Alioquin enim confessio redderetur odiosa, præsertim pro indoctis qui distinguere nesciunt quid necessarium aut utile, quid supersuperfluum vel vitiosum sit ad confessionem. Lugo, *de Pœnit.* Disp. 23, n. 59.

b) Peccata publica vel confessario aliunde nota sub sigillum cadunt, quatenus ex confessione nota sunt. Potest quidem confessarius uti scientia sua humana, modo tamen ex scientia sacramentali rem non confirmet aut circumstantiam aliquam addat, et modo scandalum non præbeat. Consultissimum igitur sæpius est ut confessarius non utatur scientia sua humana eorum quæ etiam novit ex confessione, præsertim quando limites utriusque scientiæ non distincte percipiuntur.

2° Sub sigillum cadunt peccata *complicis* sive licite sive illicite detecti. (v. supra n. 109-110). Non frangitur sigillum, si confessarius ex licentia pœnitentis moneat complicem ; quia complex ex confessione alterius complicis non acquirit jus ad secretum sacramentale, quod in favorem confitentis institutum est. Hac tamen licentia raro et cautissime utendum (v. sup. n. 110). Cf. S. Alph. n. 64. Gury n. 663.

3° Item *objecta* et *occasiones* peccatorum pœnitentis, ut si pœnitens confiteatur se male gavisum fuisse de homicidio, vel illo ad vindictam excitatum, homicidium cadit sub sigillum. — Verum si ista peccatorum objecta sint publica, etsi per accidens confessario ignota, sæpe ex modo dicendi patebit pœnitentem eorum notionem potius supponere vel prævie dare, quam sigillo velle includere. Non potest tamen confessarius dicere, vel ex adjunctis suspicionem injicere se ista cognovisse ex pœnitentis confessione, ne indirecte reveletur ejus peccatum, ob motam suspicionem quod pœnitens causam habuerit loquendi de istis objectis et occasionibus.

4° Quod spectat *circumstantias* peccatorum, v. g.

pœnitentis qualitates, statum, defectus naturales, corporales aut morales etc. :

a) Circumstantiæ, etiam post absolutionem declaratæ, ex mente pœnitentis fundata vel non, explicandi suam conscientiam et peccata, cadunt sub sigillum, si pœnitentis interest illas taceri, ut quando circumstantiæ sunt probrosæ aut erubescendæ et occultæ, v. g. defectus natalium, macula originis, etc. Ratio, quia ex istius modi circumstantiarum revelatione confessio odiosa et onerosa redderetur non minus quam ex revelatione peccatorum. — Si vero circumstantiæ non sint probrosæ aut erubescendæ, nec occultæ, non raro præsumi potest pœnitens illarum notitiam humanam supposuisse, vel dare voluisse confessario non clausam sigillo, v. g. si pœnitens declaret se esse sacerdotem, conjugatum, medicum, etc. (1) Adesse tamen interdum potest periculum indirectæ revelationis, ob suspicionem injectam quod declarata fuerit circumstantia ad peccati explicationem.

b) Si pœnitens circumstantias nullo modo ad confessionem peccati spectantes, *incidenter* seu *concomitanter* narrat, vel etiam si illas confessarius, non ex relatione pœnitentis, sed ipse eas videt et percipit, v. g. pœnitentis surditatem, balbutiem, ruditatem, halitum male olentem etc., circumstantiæ sic notæ non cadunt sub sigillum.

---

(1) Lugo ad dignoscendum quænam circumstantiæ a pœnitente declaratæ cadant sub sigillum, statuit recurrendum esse « ad intentionem pœnitentis : quippe hic aliquando eas narrat solum quasi præsuppositive et quasi extra confessionem, ut aliquam notitiam præsupponendam det confessario ad melius postea intelligendum suum peccatum, volens supplere notitiam communem quæ deest confessario de ejus persona aut de rebus aliis publicis quas per accidens confessarius ignorat, et hæc non videntur committi sub sigillo, quando non sunt peccata. Alia vero dicit pœnitens, sed coactus, ut manifestet peccatum suum, quæ alioquin non diceret, nisi ad eum finem, et hæc videntur ab eo dici sub eodem sigillo ; quia ex modo dicendi satis constat se illa ita dicere, ut extra confessionem nunquam ea dicturus esset: *et hoc modo* videtur dicere *illa omnia, quæ dicit, nisi ex ipsa publicitate rei constet solum priori modo dicta fuisse (de Pœnit.* D. 23, n. 32).

Verum, ad prudentiam spectabit confessarii de iis etiam rebus tacere quæ stricte non cadunt sub sigillum, quia fideles semper aliquod scandalum patiuntur et timent ne de suis etiam rebus aut ille aut alius confessarius loquatur. Præterea quæ occulta sunt sæpe cadunt sub obligationem *secreti naturalis*, quod strictius in casu obligat ob reverentiam sacramenti.

5° Nudum factum *confessionis peractæ* non cadit per se sub sigillum, indirecte tamen cadere potest, si v. g. ex adjunctis colligi potest pœnitentem habuisse peccata gravia vel reservata. Confessarius tamen ad secretum naturale tenetur, si quis ex proposito clam accesserit ad confitendum.

6° *Absolutio concessa* non cadit directe sub sigillum, sed indirecte cadit si inde suspicio ingeritur, peccatum mortale aut veniale aliquod in specie vel plura et graviora venialia fuisse commissa a pœnitente, vel alios pœnitentes non fuisse absolutos. *Absolutio* vero *negata* per se cadit sub sigillum ; quia regulariter prodit peccata mortalia et defectum contritionis ; nisi constet eam negatam fuisse propter defectum rationis vel materiæ. — Infertur schedulas testimoniales confessionis solum testari posse peractam confessionem nulla facta mentione absolutionis.

7° *Pœnitentia imposita* cadit sub sigillum, nisi levissima sit quæ pro minimo veniali peccato imponi possit, et ejus speciem non revelet. S. Alph. n. 641.

8° Peccata in ipsa confessione a pœnitente *commissa* nec accusata, v. g. peccata iræ, contumeliæ in confessarium, etc., non sunt *per se* et *directe* materia sigilli, sed per accidens et *indirecte*, si eorum revelatio suspicionem ingerit gravioris peccati commissi a pœnitente vel ejus indispositionis. Peccat tamen confessarius temerarie revelans hæc peccata occulta pœnitentis, quamvis non adesset periculum indirectæ violationis sigilli. Infertur furtum a pœnitente commissum in actu confessionis nec accusatum non cadere sub sigillum. Gury n. 658.

9° *Virtutes* et *dona divina* per se non sunt objectum sigilli, nisi tantum manifestentur ut circumstantiæ peccatorum, ratione v. g. majoris ingratitudinis erga Deum vel inconstantiæ in propositis (S. Alph. n. 642). Durante autem vita pœnitentis, plerumque sunt materia secreti naturalis, propter pœnitentis voluntatem.

10° *Scrupuli, a)* Si declarentur a pœnitente existimante illa esse peccata, sunt certo materia sigilli ; *b)* scrupulositas pœnitentis quam confessarius non ex scrupulorum confessione, sed ex modo loquendi et agendi pœnitentis percipit, juxta S. Alph. n. 644. cadit sub sigillum ; juxta alios vero cadit sub obligationem secreti naturalis, si sit occulta, non tamen sub sigillum, nisi ejus manifestatio indicium præberet plura peccata saltem putativa commissa fuisse. Lugo, disp. 23, n. 59.

§ III.

De subjecto sigilli.

239. Regula certa est *eos omnes qui ex confessione sacramentali, immediate vel mediate, licite vel illicite, cognoverunt peccata aliaque quæ sub sigillo cadunt, teneri obligatione sigilli.* — Communis est sententia, quia omnimoda securitas sacramenti hanc sigilli extensionem exigit ut quævis notitia ex confessione accepta annexum sibi habeat onus sigilli.

Hinc sigillo tenentur :

1° Confessarius quilibet, non solum legitimus, sed etiam fictus, quamvis laicus esset, qui a pœnitente erronee existimatur legitimus ; quia saltem ex intentione pœnitentis confessio ei facta sacramentalis fuit.

2° Interpres per quem pœnitens confessus est. Communior sententia contra paucos illum secreto dumtaxat naturali arctissimo constringentes. Interpreti assimilatur ille qui rogatus scribit confessionem rudium, mutorum

vel ignorantium idioma confessarii, qui volunt hoc medium adhibere ut possint integre confiteri. Cf. s. Alph. n. 647.

3° Superior a quo extra confessionem, per confessarium aut pœnitentem immediate aut per epistolam, petitur facultas absolvendi a reservatis, vel coram quo de jure se sistit pœnitens a reservato peccato absolutus (1). — Nota tamen facultatem absolvendi a reservatis peti ac regulariter petendam esse sine designatione pœnitentis, nec aliter peti posse sine ejus expressa licentia.

4° Sigillo tenentur adstantes qui vel de industria ac proinde sacrilege, vel casualiter, dum quis confitebatur, peccatum a pœnitente aut a confessario audierunt, et omnes alii quibus adstantes illud patefecerunt ut ex sacramentali confessione cognitum. Audientes tamen confessionem pœnitentis, non tenentur sigillo, quando ille ad sui confusionem publice confitetur; eatenus enim confessio non est sacramentalis. S. Alph. n. 647.

5° Sigillo tenentur omnes illi qui ex sacrilega vel imprudenti confessarii locutione cognoverunt alicujus confessionem. — Et notandum est tum confessarios, tum alios qui sub sigillo alicujus confessionem cognoscunt, inter se de hac colloqui non posse ; unusquisque enim relate ad alium tenetur sigillo.

6° Sigillo obligantur omnes a confessario de licentia pœnitentis circa hujus confessionem consulti, nisi pœnitens confessario dederit notitiam extra sacramentalem. Est doctrina fere communis et omnino practice tenenda contra aliquos qui in casu solum secretum naturale sed arctissimum admittunt. Cf. S. Alph. n. 648, qui ibidem monet : *a)* eum qui sic consulitur, posse de proposito pluries loqui cum confessario, donec judicium completum fuerit. *b)* Si duobus confessariis pœnitens seorsum con-

(1) Communis sententia contra aliquos qui solum arctissimum secretum naturale admittunt (v. Ballerini, *Opus Theol. mor.* in Busembaum Medullam, t. v., n. 912 sqq.).

fessus sit cum licentia concessa consulendi tertium quempiam, hic poterit cum alterutro confessario loqui de auditis ab altero, quia id pertinet ad recti consilii successum, et licentia pœnitentis præsumitur. Contrarium opinatur Lugo, Disp. 23. n. 30.

7° Sigillo obligatur sacerdos cui pœnitens suam conscientiam aperit in ordine ad confessionem ipsimet faciendam ; secus, si ex intentione alteri confitendi, tunc enim solo secreto naturali tenetur, S. Alph. n. 649.

8° Sigillo obligatur legens chartam in quo scripta confessio continetur : *a*) si eam legat dum pœnitens scripto confitetur sacerdoti præsenti ; *b*) si legat epistolam qua pœnitens a prælato petit licentiam ut absolvi possit a peccato reservato ; et etiam, juxta plures, *c*) si charta a confessario ipso fuerit amissa post confessionem, vel post confessionem inventa fuerit in confessionali. Ratio omnium affertur, quia in his casibus charta illa est confessio inchoata vel manens (1).

Extra hos casus legens et evulgans chartam confessionis faciendæ vel factæ, quam pœnitens amisit, non peccat contra sigillum sacramentale, neque eo tenetur ; sed secreto solum naturali, ita ut graviter peccet si eam consulto legit vel evulgat, nisi agatur de levissimis culpis quæ pœnitentem non diffamant. S. Alph. n. 650. — Ratio est, quia illa scriptura in casu non est confessio, sed tantum præparatio libera confessionis pro memoria juvanda, ex qua non provenit jus sigilli.

9° Pœnitens non obligatur sigillo confessionis, cum in ejus favorem impositum sit, et ab eo possit dari licentia revelandi ; sed interdum tenetur *secreto naturali*, ne scilicet seipsum sine justa causa infamet, et præsertim ne quidpiam ex auditis a confessario revelet cum injusto confessarii damno aut contra ejus rationabilem voluntatem, vel cum injuria aut contemptu sacramenti. Monet S. Alph. n. 547,

(1) Laymann, *de Pœnit.* cap. 14, n. 19, Lugo, disp. 23, n. 48, 49.

graviores rationes pœnitenti, quam aliis esse servandi secretum naturale (1).

Ad extremum adverte principaliter sigillo teneri confessarium, et secundario alios ; ideoque pœnæ statutæ a Conc. Lat. solum respiciunt confessarios qui peccatum pœnitentis præsumpserint revelare.

240. Quær. 1°. *An confessarius potest loqui cum ipsomet pœnitente de præteritis ejus confessionibus ?*

R. 1°. Confessarius *extra confessionem* non potest cum pœnitente, sine ejus licentia, loqui de materia sigilli ex præterita ejus confessione nota. Licet enim non detur revelatio peccati, peccat tamen contra sigillum, quia talis locutio onerosa est pœnitenti et confessionem reddit odiosam. S. Alph. n. 651.

R. 2°. Potest sine fractione sigilli cum pœnitente *intra confessionem* loqui de iis quæ novit ex præteritis ejus confessionibus ; quia loquitur in eodem foro. Attamen discreta sit hæc locutio et nonnisi justam ob causam quæ spectet officium judicis et medici ; nam grave solet esse pœnitenti quod ipsi memoria refricatur præteritæ vitæ, nisi forte longa adsit consuetudo confitendi eidem sacerdoti. Generatim igitur decet confessarium Dei vices gerentem in se referre quod de ipso Deo dicitur : « *Peccatorum et iniquitatum eorum non recordabor amplius.* » (Heb. X, 17).

Quær. 2°. *Quomodo respondere debet confessarius interrogatus de materia sigilli ?*

R. 1°. Confessarius interrogatus de peccato confesso,

---

(1) Consulendum ut pœnitentes de dictis in confessione non loquantur sine rationabili causa. Increpandi autem sunt ii qui ludibrii vel insulsæ levitatis causa loquuntur de interrogationibus sibi in confessione factis, de monitis et consiliis acceptis, de imposita pœnitentia, et ita interdum confessionem et confessarium ludibrio et hominum dicteriis et suspicioni exponunt. — Quum autem frequenter pœnitentes inter se de suis confessionibus colloquantur, confessarius semper prudentissime se gerere debet in omnibus.

debet vel repellere interrogationem ut iniquam, etc., vel potest, aut etiam debet, si prior responsio relinquat suspicionem, respondere, etiam cum juramento, si opus sit, *se nescire*, quamvis etiam interrogetur ut minister Dei et impellatur ad respondendum sine ulla æquivocatione. Nec mendacium aut restrictio mentalis hic occurrit; ut enim ait S. Th., in 4, d. 21, q. 3; *Homo non adducitur in testimonium nisi ut homo, et ideo absque læsione conscientiæ potest jurare se nescire quod scit tantum ut Deus.* Et ibidem: *Illud autem quod in confessione scitur, est quasi nescitum, cum nesciat ut homo, sed ut Deus.* Non potest autem addere se nescire *extra confessionem*, quia indirecte innueret se scire ex confessione.

R. 2°. Eodem modo respondeat si interrogetur de impertita absolutione. Poterit etiam in hoc casu respondere: *Functus sum officio meo* ».

Nota. Confessarius interrogatus an consecranda sit hostia vel deferenda pro communione pœnitentis confessi quem non absolvit, remittat interrogantem ad ipsum pœnitentem. Gury n. 659. — Sacerdos qui infra Missam hostias consecrare debet pro determinatis pœnitentibus ante missam confessis, tot hostias consecret quot sunt pœnitentes confessi, quamvis non omnes absolverit.

§ IV.

241. Circa violationem sigilli sequentia statuuntur principia:

I. Sigillum confessionis strictiori sensu sumptum violatur 1) *directe*, si peccata et ea quæ sub sigillum cadunt revelantur de pœnitente aut alio v. g. complice expresse aut æquivalenter designato; 2) *indirecte* vero, si aliquid dicitur aut fit aut omittitur, ex quo suggeritur notitia vel probabilis suspicio peccati aut materiæ sigillo clausæ

circa pœnitentem aut alium, v. g. complicem. — Confessarius revelans peccatum pœnitentis subjacet pœnis ferendæ sententiæ jure Ecclesiastico statutis.

II. Sigillum confessionis ample acceptum, seclusa etiam revelatione directa vel indirecta, violatur per usum notitiæ sacramentalis cum gravamine vero vel apprehenso pœnitentis et injuria sacramenti. Constat ex propositione a. 1682 ab Innoc. XI damnata : « *Scientia ex confessione acquisita uti licet, modo fiat sine directa aut indirecta revelatione et gravamine pœnitentis, nisi aliud multo gravius ex non usu sequatur, in cujus comparatione prius merito contemnatur.* » Ergo non licet uti notitia confessionis cum ullo gravamine pœnitentis, etsi ex non usu longe majus, imo maximum sequatur ; neque, ut expresse addit S. Inq., talis usus permittitur quamvis abesset revelatio directa aut indirecta. Cf. S. Alph, n. 657. Ratio est, quia confessarius « obligatur ad vitandum id omne, extra confessionem, quod redderet ipsam odiosam et difficilem pœnitentibus ; quare, licet in prædicto casu non esset proprie revelator confessionis, peccaret tamen contra sigillum, quod obligat ad continendam taliter notitiam illam, ut neque ad opera possit practice deservire contra ipsum pœnitentem. Sicut peccat contra sigillum qui cum pœnitente loquitur, licet nihil prorsus revelet. » Lugo, d. 23, n. 100).

Advertendum ad illicitum illum usum notitiæ sacramentalis non requiri quod pœnitens sciat sibi gravamen inferri, vel id fieri ex illa notitia ; nam si revera ex ea fit, licet pœnitens id ignoret, redderet confessionem maxime difficilem : si enim antecedenter pœnitens sciret posse confessarium uti illa notitia occulte contra pœnitentem, retardaretur non minus sed potius magis a confessione peccati, quam si sciat posse illum tale aliquid facere, advertente ipso pœnitente. Lugo ibid. n. 98.

Usus notitiæ sacramentalis illicitus etiam est, si vergat in detrimentum non ipsius pœnitentis, sed com-

plicis vel tertii cujus peccatum ex sola confessione notum est (1).

III. Sigillum confessionis non violatur, *a)* si confessarius loquatur vel agat cum debita pœnitentis licentia; vel *b)* indeterminate loquatur de peccatis auditis in confessione, aut notitia sacramentali utatur, sine ullo periculo revelationis directæ aut indirectæ et sine ullo gravamine pœnitentis (S. Alph. n, 637), vel aliorum.

Sed nota 1° cavendum esse a scandalo laicorum, et cavendum quoque ne facilius putetur abesse periculum aliquod. Quare generatim abstinendum a colloquiis de peccatis auditis nisi instructio aut consilium peti debeat. Notandum 2° in dubio an adsit periculum revelationis aut gravaminis, sigillo favendum esse.

242. Ex allatis principiis, præter alia superius indicata, (n. 238), sequentia deducuntur corollaria :

1° Sigillum directe violat confessarius, qui ex scientia confessionis revelat peccata pœnitentis, quamvis aliis nota; v. g. si de homicida notorio dicat illum cum contritione esse confessum homicidium.

2° Verbis indirecte violat confessarius *a)* qui alta voce aut alio modo arguit pœnitentes, ita ut adstantes suspicari possint gravia peccata etc.; — *b)* qui dicit se pœnitentem non absolvisse sed ad aliud tempus remisisse ; — *c)* qui narrando aliquod factum, tales memorat circumstantias ut pœnitens facile ex illis dignosci possit ; — *d)* qui parentes vel superiores pœnitentis admonet ut specialiter tali tempore et loco vigilent ; — *e)* qui ex pluribus pœnitentibus notis et sibi confessis unum maxime laudat ob puritatem conscientiæ ejus, ita ut prava suspicio oriatur contra alios.

(1) Theol. Mechl. *de Pœnit.* n. 114. — Complices aliique præter pœnitentem, non habent quidem per se jus ad sigillum, sed securitas sacramenti et jus pœnitentis ad sigillum, exigunt ne sine pœnitentis licentia, aliorum peccatum confessione notum reveletur, aut propter hoc gravamen eis inferatur.

3° Sigillum indirecte factis violat confessarius, si testimonium peractæ confessionis denegat pœnitenti confesso sed non absoluto, qui illud petit extra confessionem, — vel etiam intra confessionem, in iis circumstantiis in quibus testimonium dari solet vel a superioribus exigi. Indirecte enim proderetur pœnitentis indispositio et negatio absolutionis. Testimonium confessionis dandum non est ei qui simulatam tantum confessionem instituit, v. g. ad arripiendam schedulam confessionis, modo de illa intentione certo constet. Neque etiam frangitur sigillum, si testimonium negetur ubi absunt illa externa adjuncta in quibus ob comparationem cum aliis indirecte manifestari potest confessio (1).

4° Contra legem sigilli peccat confessarius qui ex notitia confessionis revelat peccata alicujus loci, si inde ansa detur suspicandi de personis particularibus, vel infamia redundet in hunc locum ; quæ infamia recidit in ipsum pœnitentem quatenus est membrum communitatis ; atque adeo hæc revelatio cedit in gravamen pœnitentis et confessio fit odiosa. — Res moraliter dijudicari debet et considerari amplitudo et fama loci nec non modus locutionis.

Hinc : *a*) concludit S. Alph. sigillum frangi si confessarius ex scientia confessionis testatur magnum aliquod vitium regnare aut gravia peccata committi in loco, si is satis angustus sit, v. g. si non constet tribus catholicorum millibus circiter ; secus vero, si locus amplior sit et jam publice de iis peccatis constet, quo tamen casu non sine scandalo laicorum dicere potest se illud scire ex confessione L. VI, n. 654). Alibi autem sic loquitur : « Ego dicerem... quod ut possit absque legis sigilli violatione dici : *hoc in loco grassatur tale vitium,* ex. gr. *blasphemia,* oporteret ut oppidum saltem tribus personarum millibus constaret ; minus autem, si solum dicatur : hoc in loco multa peccata gravia, quin in specie exprimantur. Ut nominetur autem

(1) Ballerini, *Opus Theol. mor.* t. v, n. 917 sqq.

grave peccatum aliquod infamiam afferens, supposito etiam quod sit publicum, requiritur meo judicio, ut oppidum sit valde populo frequens, v. gr. sex aut septem millibus personarum » (H. Ap. XVI, n. 157, 158); (ex gr. si diceret : in hoc loco grassatur sodomia, adulterium).

b) Facile frangitur sigillum si sacerdos post confessiones exceptas, in eodem loco loquitur de peccatis auditis, de confessionibus generalibus ex necessitate institutis, et maxime quidem, si locus sit exiguus, vel si loquatur coram iis qui pœnitentes potuerunt videre. Hujusmodi autem locutiones semper scandalum præbent laicis.

c) Sigillum frangit confessarius si dicit se audivisse peccatum grave religiosi in determinato aliquo conventu aut monasterio. — Si autem id dicat de religioso alicujus determinati Ordinis, considerandum est an ex natura peccati quod manifestatur a confessario diffametur Ordo apud audientes, et ex ipsa confessarii locutione et adjunctis suspicio non cadat in pauca aliqua monasteria. Practice facile aderit violatio sigilli (1).

5° Contra legem sigilli peccat ille qui aliquod sacramentum sive publice sive occulte negat, vel matrimonio adsistere renuit, propter indignitatem *sola* confessionis scientia notam. Cf. S. Alph. n. 658.

6° Sigillum violat confessarius qui scientia confessionis utitur et movetur ad removendum subditum ab officio, loco vel domu, ad negandum ei suffragium in electione ad aliquod munus, professionem, etc. ad claudendum pœnitentem in conclavi ne exeat ad peccandum, ad ei auferendum claves ne furetur, vel ad quidquam agendum quod pœnitenti grave sit et molestum, v. g. si eum post confessionem severius intueatur, durius tractet, vel amara agendi ratione ostendat se recordari de ejus peccatis; — si sese subtrahit ab excipienda confessione pœnitentis, quia

(1) De hac quæstione cf. S. Alph., n. 654; Gury, Ball. n. 668; Vindices Alph. p. 624 645.

ex scientia sacramentali novit eum esse indispositum, habere conscientiam intricatam, etc.; secus esset, si haberet justam causam independentem a scientia sacramentali, ob quam aliorum etiam confessiones declinaret. — Ratio est, quod hæc omnia sunt virtualis exprobratio pœnitentis, vel saltem in ejus gravamen tendunt. Constat præterea ex Dec. Innoc. XI. Cf. S. Alph. 656-659.

Huc etiam refertur Decretum Clem. VIII a. 1594 Regularibus edito : « Tam superiores pro tempore existentes, quam confessarii qui postea ad superioritatis gradum fuerint promoti, *caveant quam diligentissime ne ea notitia quam de aliorum peccatis in confessione habuerunt, ad exteriorem gubernationem utantur.* » Quod decretum etiam valet pro confessariis sæcularibus ; quia eadem urget ratio, ne scilicet reddatur confessio odiosa.

7° Confessarius qui, ea quæ ex confessione audivit, aliunde jam nota habebat vel postea habuit, potest ex hac humana scientia loqui et agere, etiam cum damno pœnitentis. Verum cautissimus esse debet. ne existimetur scientia confessionis uti, et ne vere sigillum violet ex scientia confessionis clarius et certius loquendo vel quidquam agendo cum gravamine pœnitentis. Nunquam enim ex scientia confessionis potest confessarius cum præjudicio pœnitentis quidquid dicere aut externe agere, cujus illa scientia sit causa.

8° Non violat sigillum confessarius qui utitur notitia confessionis, advertente etiam pœnitente, quando nulla revelatio directa aut indirecta intervenit, nec ullum pœnitentis gravamen habetur vi cujus minus facilis ac libera ipsi reddatur confessio (S. Alph. n. 657). Hinc ex notitia confessionis potest confessarius orare pro pœnitente, benignius erga ipsum agere, — consulere libros et sapientes (*prudenter* tamen), — experientia ex confessarii munere acquisita uti ad rigorem temperandum, ad alios pœnitentes interrogandos et instruendos, nullam tamen dando prioris confessionis suspicionem. Item ex notitia confessionis

potest magis cautus ac prudens fieri ad vitanda pericula in quibus videt pœnitentes ruinam spiritualem vel etiam temporalem passos esse, potest mores suos reformare, corrigere defectus, socordiam suam excitare, diligentius generatim in subditos invigilare, etc., excluso tamen semper omni periculo revelationis et quolibet pœnitentis gravamine et odio in sacramentum. S. Alph. n. 657; Gury, n. 671.

9° Dictum est confessarium posse consulere sapientes, *prudenter* tamen. Unde confessarius consilio egens, illud petat ea circumspectione ut nullum adsit periculum violationis sigilli. Quare consilium petat secreto, regulariter a sacerdotibus alterius loci, casum exponat tanquam theoreticum, reticeat circumstantias non necessarias, immisceat interdum circumstantias falsas quæ casus substantiam non mutent. Si nihilominus adesset periculum revelationis, licentia consilium petendi obtineatur prius a pœnitente.

243. Quær. *Quantum peccatum sit sigilli violatio?*

Resp. 1° Violatio sigilli non est grave peccatum si desit sufficiens advertentia. « Ex defectu advertentiæ, ait Lugo, non est dubium quod possit sæpe contingere, ut in violatione sigilli detur culpa venialis: ut si (confessarius) narrat aliquam historiam, putans non agnosci personam, quæ tamen agnoscitur, et intervenit aliqua imprudentia confessarii, sed levis. Item si Prælatus fervore correctionis aliquod verbum acrius adjungit cum advertentia veniali ex aliqua notitia quam habuerat ex confessione mediate vel immediate. » Disp. 23, n. 69.

Resp. 2° Violatio *directa* sigilli plene voluntaria per revelationem alicujus peccati etiam levis, semper est peccatum mortale sacrilegii, nec admittitur tunc parvitas materiæ.

Resp. 3° Violatio *indirecta* sigilli plene voluntaria est grave peccatum, si grave sit periculum revelationis peccati

vel probabilis saltem suspicionis excitandæ. Si vero istud periculum est valde remotum seu parum probabile, plures admittunt levitatem materiæ admitti posse (1).

Resp. 4° Quando non revelatur aliquod peccatum etiam leve, sed alia res, « quæ eatenus dicitur ad sigillum pertinere, quia alias odiosa fit confessio, merito videri poterit, posse dari levem materiam. » (Ballerini, Opus Theol. mor. vol. v. n. 903).

244. Restat ut principia superius tradita de sigilli obligatione et violatione quibusdam casibus applicemus :

1° Confessarius debet omittere in confessione peccatum suum, si illud confiteri non potest sine revelatione peccati pœnitentis quod novit ex ejus confessione.

2° Confessarius qui ex confessione alterius novit peccatum complicis, hunc in confessione desuper urgere non potest interrogationibus quas secus non fecisset nec facere debuisset. Cf. supra n. 183.

3° Confessarius qui onus suscepit exsequendi restitutionem ex delicto debitam, cautelas adhibere debet ne pœnitens occultus detegatur.

---

(1) Lugo Disp. 23, n. 71 ; S. Alph. n. 635 ; Gury, n. 649. De hoc argumento ita scribit Lugo l. c. : « Facilius levitas materiæ admitti posset, quando res quæ narratur est talis, ut sit utique periculum aliquod ingerendi alicui suspicionem, sed adeo tenue periculum ac remota suspicio, ut non sufficiat ad imprudentiam gravem nec ad gravem irreverentiam contra sacramentum. Negari enim non potest obligationem non loquendi de auditis in confessione non consistere in indivisibili ; quia aliquando de illis licite loquimur, quando nullum est periculum manifestationis : aliquando manifestum est periculum, et tunc ita loqui est grave peccatum. Aliquando vero potest esse adeo remotum periculum, ut licet melius esset tacere et posset esse veniale loqui, non tamen sufficiat ad mortale. » Monet etiam S. Alph. n. 661, confessarium, generaliter loquendo in materia sigilli debere esse valde cautum ne pœnitentes ex confessione aliquod injustum gravamen subeant ; non tamen teneri ad cavendas omnes leves conjecturas quas facile faciunt homines malitiosi, sed tantum probabiles suspiciones.

4° Confessarius qui scientia sacramentali novit puellam moribundam ex fornicatione esse gravidam, non potest sine expressa illius licentia, curare ut post puellæ mortem fætus exsectus baptizetur (1).

5° Inquirunt DD. an confessarius ex confessione sciens necem sibi parari, possit externis mediis, sibi præcavere, v. g. fugiendo insidias sibi paratas, omittendo missam propter notitiam veneni in calicem immittendi. *a)* Certe confessarius cavere potest periculum, si ex cautione minime manifestatur aliis peccatum confessum, nec ullum gravamen pœnitenti affertur quod confessionem redderet odiosam ac difficilem; secus vero non potest. *b)* Si socii jam conscii peccati pœnitentis, ex cautione conjicerent pœnitentem confessum fuisse illud peccatum, plures concedunt confessarium posse sibi cavere, modo nullum gravamem pœnitenti obveniat, sed negat S. Alph. cum aliis, ob indirectam revelationem peccati confessi (n. 659). — Ceterum, casus prope metaphysicus est; nam notitia necis paratæ interdum non pertinebit ad materiam sigilli, vel pœnitens permittere debet ut confessarius sibi præcavere possit, nisi ipse forsan pœnitens gravissimum inde damnum passurus sit. Unde ait Lugo (disp. 23, n. 110) experientiam tot sæculorum ostendere, nunquam revelationem directam aut indirectam necessariam fuisse ad ea pericula fugienda,

---

(1) In hujusmodi casu si spes probabilis adest procurandi baptismum fœtui, quia puella a notabili tempore gravida est, confessarius *per se* obligare debet puellam ut statum suum manifestet prudenti medico aut mulieri. Dicitur *per se*, nam puella ad id obligari non debet si in bona fide versatur nec admonitioni obtemperatura prævidetur; enixe quidem inducenda tunc est ad status sui manifestationem, non tamen stricte obliganda. — Confessarius autem non debet onus in se suscipere imprægnationem manifestandi ex expressa licentia puellæ, nisi hæc nullo modo adduci possit ut alteri id patefaciat. Quo casu, confessarius id revelare poterit, modo præcaveatur suspicio fracti sigilli. Cf. Theol. Mechl. *de sac Pœnit.* n· 114; Gury, *cas. consc.* n. 757.

cum vel ex licentia pœnitentis, vel aliis modis obviari iis facile possit absque fractione sigilli (1).

6° Si pœnitens urget confesssarium ut eum absolvat et ei minatur mortem nisi absolvat, potest confessarius, salvo sigillo, fugere nec postea redire; quia minæ non fuerunt materia illius confessionis, sed peccatum ibi factum coram ipso confessario. Is tamen non potest dicere quod pœnitens propter negatam absolutionem minatus sit ei mortem. Lugo disp. 28, n. 116; S. Alph. n. 659.

7° Inquirunt theologi an confessarius sese excusare possit ab audienda confessione alicujus personæ, quia ex præcedenti confessione novit illam sibi esse periculosam et scandalum? R. *a)* Si periculum oritur ex eo quod pœnitens sollicitet confessarium ad peccatum, tunc is non violat sigillum excusando se et renuendo confessionem audire, quia sollicitatio illa non cadit sub sigillo, cum non sit peccatum quod pœnitens confitetur, sed quod committit in ipsa confessione. *b)* Si periculum solum novit confessarius ex cognitione peccatorum quæ pœnitens confitetur et ob quæ vehementer tentatur, tunc videtur non posse abstinere ab ejus confessione excipienda. *c)* Si periculum oritur ab ipsomet confessario, qui propter suam fragilitatem graviter tentatur dum audit talem personam, tunc confessarius potest se excusare ab audienda ejus confessione. Cf. De Lugo, d. 23, n. 116; Gury, *Cas. Consc.* n. 777 sqq.

245. Disputationem de sigillo sacramentali absolvimus notando, inauditam fere esse, providente certe Deo, directam sigilli violationem, sed interdum occurrere aliquam violationem indirectam seu ejus periculum. Quare hac in

---

(1) Cf. Gury *Cas. consc.* (2. n. 780 sqq. Ibid n. 774, 783 sqq. solvit quæstiones minime practicas de pœnitente qui ex scientia confessionis novit se non esse vere conjugatum, et de sacerdote qui eadem scientia novit Ecclesiam in qua celebrare solet esse pollutam, vel confessarium suum non esse sacerdotem.

re nulla cautela satis : et proinde *a)* ne in genere quidem loquatur confessarius unquam de peccatis ut auditis in confessione, nisi consilii necessarii petendi causa, et abstineat præsertim de iis loqui coram sacerdotibus loci ubi confessiones excipit. Aiebat Fagnanus, agens de verbis in generali habitis circa audita in confessione et absente periculo revelationis : « Id raro faciendum a viro gravi, rarissime a viro levi. »

b) Summopere cautus sit ne verbulum ullum proferat aut quidpiam agat aut innuat, unde sequi possit vel minimum odium aut irreverentia erga sacramentum, gravamen pœnitentis, aut aliorum quorumlibet offensio vel scandalum. Ideo « sacrum nobis debet esse nomen confessionis et confessio; sacrum, velatum et secretum, non risui, non ludis, non diffidentiæ, non suspicionibus, non publico quoquomodo objiciendum » (Scavini, *de Pœnit.* n. 504).

c) Erga pœnitentes et cum pœnitentibus ita externe se gerat ac si nihil ex confessione sciret ; quod quidem stricte necessarium est in iis omnibus quæ gravamen afferre possunt pœnitenti. In tota igitur agendi ratione memor sit confessarius illius effati : « Illud quod per confessionem scio, minus scio quam illud quod nescio. »
De modo judiciarie procedendi in causis violati sigilli sacramentalis, cfr. Rota, *Enchiridion confessarii et judicis ecclesiastici.*

ART. VI.

De obligatione corrigendi errores admissos.

246. *Prænotanda.* — 1° Error seu defectus a confessario admissus, versari potest circa *substantiam seu valorem sacramenti*, quia pœnitentem non absolvit aut invalide absolvit ; vel circa *integritatem confessionis*, vel circa *alias obligationes pœnitentis*, v. g. *restituendi* vel *aliud præceptum servandi.*

2° Defectus vel error potest esse graviter culpabilis

vel inculpabilis aut leviter solum culpabilis, prout in confessario culpa adest vel gravis vel nulla vel levis.

3° Defectus seu error committi potest *positive*, aliquid expresse dicendo, vel *negative*, silendo seu omittendo responsionem. Aliquando tamen omissio responsi vel silentium ex adjunctis haberi debet ut positive influens in pœnitentem, et æquivalet errori positivo.

4° Confessarius extra confessionem loqui non potest cum ipsomet pœnitente de auditis in præcedenti ejus confessione quæ sub sigillum cadunt, ne quidem ad defectum corrigendum (v. n. 240 supra ; cf. S. Alph. n. 622). Ut illæsum sit sigillum, tenetur tunc petere licentiam loquendi ipsi de aliquo circa confessionem ejus præcedentem, vel ipsum invitare ad novam confessionem in qua poterit errorem emendare. Si pœnitens in neutrum consentire velit, non licet eum monere extra confessionem, nisi, juxta multorum sententiam, solum agatur de absolutione omissa aut invalide prolata, quia nulla tunc intervenit peccati exprobratio, nec ita pudor pœnitenti injicitur, si confessarius, non petita licentia dicat pœnitenti se eum non absolvisse. S. Alph. n. 622.

5° Monitio extra confessionem facta sæpe incommodum affert, non raro magnum, tum confessario, in adeundo pœnitentem et in subeundo infamiam et pudorem, tum pœnitenti, propter pudorem quem illi injicit instauratus sermo de præcedenti ejus confessione. Interdum adesse potest scandalum, gravis nempe offensio pœnitentis cum periculo ne sacramentum fiat odiosum et sigillum frangi reputetur.

His prænotatis, de obligatione et modo corrigendi errores a confessario admissos, sequentia statuuntur principia :

247. I. Confessarius qui erravit circa *valorem sacramenti* : 1) in *extrema necessitate* pœnitentis, illum cum gravi quoque suo incommodo, tenetur monere, sive intra confessionem, sive etiam extra confessionem illæso tamen

sigillo ; 2) in *gravi necessitate*, tenetur, secluso scandalo, eum eodem modo monere, et cum gravi quidem suo incommodo, si error fuerit graviter culpabilis, secus cum minore incommodo.

Explicatur. 1° *Extrema necessitas* adest, si pœnitens defectu absolutionis in mortalis peccati statu prævidetur moriturus ; *gravis* vero si inde diu in eo statu sit permansurus. Utraque necessitas abest, si pœnitens justificandus merito prævidetur per subsequentem confessionem brevi subsecuturam, vel per aliud sacramentum, v. g. Eucharistiæ aut extremæ unctionis ; tunc enim periculum solum est ne subsequens confessio non sit materialiter integra ; quod periculum etiam tantum modo aderit, si pœnitentis peccata reservata, propter defectum jurisdictionis in confessario, solum indirecte fuerunt remissa. Gravis necessitas raro etiam aderit ex eo quod confessarius pœnitentem indispositum indebite absolverit, et plerumque etiam vix tunc sperari poterit fructus ex monitione extrasacramentali. Quare necessitas istiusmodi monitionis fere restringenda est ad casum extremæ necessitatis (1).

2° Dicitur errorem corrigendum esse sive *intra confessionem*, sive etiam *extra eam*, *illæso* tamen *sigillo*. Et quidem *a)* Si confessarius pœnitentem dispositum non absolvit, idque statim advertat post confessionem, potest illico eum moraliter adhuc præsentem absolvere, dum adhuc perdurat unio moralis absolutionis cum cæteris partibus sacramenti (2). — *b)* Si post longius intervallum pœnitens nondum monitus redeat ad confessionem, necesse non est eum monere de commisso errore, sed sufficit eum inducere ut se accuset de peccatis antea confessis ac de iis doleat. — *c)* Si vero error corrigendus non potest

(1) Berar. de *Prax. Confess.* n. 1155.

(2) Juxta omnes, confessarius pœnitentem dispositum qui discessit non absolutus, absolvere potest adhuc sedentem prope confessionale aut jam constitutum in scamno communionis.

istis modis reparari, monendus est pœnitens etiam extra confessionem, *illæso* tamen *sigillo*, ideoque petita et accepta pœnitentis licentia.

3° Dictum est in necessitate *gravi* monitionem faciendam esse, *secluso scandalo* ; nam si confessarius præsentiat ex monitione graviter offendendum pœnitentem et inde odiosum fieri sacramentum, monitio prætermittenda est, nisi urgeat periculum mortis. Cf. S. Alph. n. 619.

4° Obligatio corrigendi errorem circa valorem sacramenti est ex justitia ; quia confessarius ex officio utcumque sponte suscepto et ex quodam quasi contractu tenetur ad rite perficiendum sacramentum.

248. II. Quando confessarius solum erravit *circa integritatem* confessionis : 1) si solum erraverit *negative* seu *omissive*, non interrogando, etiam culpabiliter, confessarius non tenetur pœnitentem monere extra confessionem, sed solum per se intra eam, si redeat ad confitendum. Si vero 2) *positive* erraverit, expresse aut æquivalenter significando quædam peccata aut circumstantias non debere exprimi, tunc theoretice loquendo, tenetur monere pœnitentem etiam extra confessionem, si commode fieri possit, illæso tamen sigillo, ita tamen ut minor causa excuset confessarium si sine culpa gravi erraverit. Practice tamen loquendo, cum vix absit grave incommodum confessarii et pœnitentis in monitione extra confessionem, regulariter confessarius solum tenetur monere intra confessionem, si redeat pœnitens.

Ratio primi est, quia finito judicio sacramentali cessat obligatio interrogandi pœnitentem (s. Alph. n. 620), et quia incommodum annexum monitioni extra confessionem, excusat ab obligatione, si quæ sit, cum aliunde nihil detrimenti patiatur pœnitens ex illo defectu, et peccata omissa remissa jam sint indirecte per absolutionem directam ab aliis. — Si vero redeat pœnitens, tenetur confessarius illum monere ad procurandam præsentis confessionis integritatem ;

excusatur tamen, si prudenter et sine gravi incommodo id non possit, ut contingere potest in feminis circa peccata luxuriæ.

Ratio secundi est, quia qui causa est alteri violandi grave præceptum etiam materialiter, debet si commode fieri possit, deceptum de errore monere. Quoniam vero monitio extra confessionem vix non afferre potest notabile gravamem pro confessario et maxime pro pœnitente, Suarez aliique universim docent confessarium qui quocumque modo erraverit circa materialem confessionis integritatem, non teneri ad corrigendum errorem extra confessionem. (de *Pœnit.* Disp. 32, S. 6. n. 8).

249. III Quando confessarius erravit circa *obligationem restitutionis,* cum gravi pœnitentis aut alterius damno: 1) Si *positive* erraverit, pœnitentem expresse obligando ad indebitam restitutionem vel a debita solvendo, tenetur ex justitia errorem corrigere, vel intra confessionem, vel etiam extra (obtenta pœnitentis licentia), cum majore quidem incommodo si cum gravi culpa erraverit, cum minore vero, si sine culpa aut cum levi culpa — 2) Si vero non interrogatus *negative* solum erraverit, ex charitate monere debet, ubi commode potest, et cum majore quidem incommodo, si omissio graviter fuit culpabilis, secus, cum minore.

Explicatur. 1) Ratio prioris asserti est, quia suo consilio exstitit causa injusta et efficax damni, si adfuit culpa gravis; si vero sine culpa aut cum levi tantum culpa erravit, tenetur tamen ex justitia impedire ne damnum ex sua actione secutum perseveret. In posteriori tamen casu non tenetur cum tam gravi suo incommodo, licet teneatur cum aliquo hujusmodi incommodo, quod quidem accipiendum est respective ad damnum illatum (1). Qua

(1) De hoc argumento ita scribit Lugo: « Commodum et incommodum confessarii debet accipi respective ad damnum quod ex illo errore consequi potest; nam si inculpabiliter dixit, non esse obligationem restituendi regni, cum revera esset, non excusabitur a monendo

in re ut patet res prudentum potius arbitrio quam qua piam regula definienda est.

Ratio posterioris asserti est, quia ex charitate obligatur confessarius ne ex sua omissione sequatur damnum alterius et violatio etiam materialis legis divinæ, si commode illud possit; sed hic etiam incommodum mensurandum est respective ad damnum illatum et ad culpam admissam. Unde ait S. Alph. : « si inculpabiliter id egerit, non tenetur quidem cum gravi suo incommodo monere pœnitentem, sed tenetur cum aliquali... Et in hoc advertit Lugo incommodum mensurandum esse respective ad damnum ; quod si sit gravissimum, aderit forte obligatio illud reparandi etiam cum notabili suo incommodo. Si vero culpabiliter neglexit monere de restitutione, merito dicunt Lugo, Elbel, teneri cum majori suo incommodo ad monitionem faciendam (n. 621).

Infertur : 1° Confessarius qui ex gravi culpa malitiæ, negligentiæ vel ignorantiæ, a) *positive* pœnitentem solvit a debita restitutione, tenetur ipsemet alteri restituere, si pœnitentem postea non monuit vel tunc solum monuit quando impotens factus sit ad restituendum, dummodo tamen, pœnitens monitus restituturus fuisset. (S. Alph. n. 621). Tenetur etiam juxta Lugo Disp. 22, n. 64, et S. Alph. n. 621, contra Antoine, quando, si pœnitens monitus fuisset tempore confessionis, restituturus fuisset, nunc vero mutato animo non vult restituere postea cum monetur.

b) Confessarius qui ex gravi culpa pœnitentem obligavit ad indebitam restitutionem, isque jam restituit, tenetur ei damnum resarcire si alter non restituit.

---

pœnitente, eo quod debeat expendere decem nummos aureos et tres vel quatuor dies in itinere, quia respective ad rem de qua agitur, satis commode potest admonere, sicut qui inculpabiliter incendit ædes alienas, quæ valent centum mille aureos, non excusabitur ab extinguendo incendio, si possit uno aureo vocare sibi socios qui illud extinguant ; commode enim potest illud extinguere respective ad damnum de quo agitur. »

2° Confessarius qui sine gravi culpa pœnitentem solvit a debita restitutione vel ad indebitam obligavit, et ex gravi negligentia omisit monitionem ad quam tenebatur, damnum ex errore causatum resarcire obligatur. Excusatur autem si commode non poterat monere, vel si pœnitentem inveniat impotentem ad restituendum.

3° Confessarius qui *negative* solum erravit, tacendo de restitutione debita vel indebita, non tenetur postea ad restituendum, quamvis monitionem ex gravi culpa omiserit; quia omittendo monitionem non peccavit contra justitiam. Heic tamen nota silentium post interrogationem pœnitentis, interdum æquivalere posse influxui *positivo*.

Uberior harum quæstionum explicatio quoad obligationem restituendi, pertinet ad tractatum de justitia, ubi de cooperantibus (1).

250. IV. Si ex errore confessarii pœnitens damnum spirituale passurus sit, quia violabit præcepta Dei aut Ecclesiæ, tenetur confessarius pœnitentem monere sive intra confessionem, sive interdum etiam extra eam, secluso scandalo et obtenta ejus licentia, et cum majore vel minore incommodo prout damnum gravius est aut levius, et culpa confessario major vel minor aut nulla. — Ratio est quia qui causa est alteri violandi aliquod præceptum grave propter ignorantiam quam in illo causavit, debet illi auferre ignorantiam ut possit servare legem Dei vel Ecclesiæ.

Infertur magis stricte teneri confessarium ex cujus

---

(1) Cf. Waffelaert, Tract. II *De justitia*, t. II, n. 281-287.

Ex obligatione restituendi qua confessarius adstringi potest si errorem positive committit, deducit Reuter « quam caute procedendum confessario in materia justitiæ, ut quando certus non est de obligatione vel immunitate ab illa non statim resolvat, sed moram petat rem expendendi vel alios consulendi dicatque pœnitenti: munquid paratus es præstare omne id ad quod intelliges te obligari? Si annuat, dicat: rem istam expendam, redi post tempus ad me, aut si nequeas, adi alium visum doctum et casum expone. » *Neo Confess.* n. 53.

errore pœnitens permansurus est in occasione proxima, scandalum ingens non ablaturus, matrimonium invalidum contracturus. Si autem solum prævidetur materialis violatio alicujus præcepti, v. g. jejunii, auditionis missæ, levior est obligatio monendi nec regulariter exsequenda extra confessionem cum incommodo confessarii vel pœnitentis.

APPENDIX I.

De absolutione proprii complicis in peccato turpi.

251. *Nullus sacerdos complicem suum in peccato turpi ab hoc peccato licite et valide absolvere potest, præterquam in casu extremæ necessitatis ; — illicite autem præsumens absolvere incurrit ipso facto excommunicationem speciali modo Rom. Pontifici reservatam.*

Constat ex Const. Bened. XIV, *Sacramentum Pœnitentiæ*, confirmata et declarata ejusdem Const. *Apostolici muneris*, necnon ex Constit. Pii IX, *Apostolicæ Sedis* in qua excommunicatione latæ sententiæ speciali modo Rom. Pont. reservata plectuntur sub X : « *Absolventes complicem in peccato turpi, etiam in mortis articulo, si alius sacerdos licet non adprobatus ad confessiones, sine gravi exoritura infamia et scandalo, possit excipere morientis confessionem.* »

Hæc autem censura adeo stricte est reservata, ut facultas ab illa absolvendi semper excepta sit in facultatibus quantumvis amplis absolvendi a censuris speciali modo in Const. *Apost. Sedis* R. P. reservatis, quæ Episcopis et Missionnariis conceduntur. Quare attentata complicis absolutio dici potest casus *specialissimo modo reservatus* (1).

---

(1) S. C. U. J. 17 Junii 1866 decrevit : « In facultatibus quibus Episcopi aliique locorum ordinarii ex concessione Apostolica pollent absolvendi ab omnibus casibus Ap. Sedi reservatis excipiendos semper in posterum et exceptos habendos esse *casus reservatos in Bulla Ben. XIV* quæ incipit : *Sacramentum Pœnitentiæ.* » Hi casus sunt duo, nimirum 1) casus sacerdotis attentantis absolutionem complicis

Verba autem quibus Const. Ben. XIV primum legem prohibitivam et punitivam sancivit, sunt sequentia :

§ 4. « Demum magnopere cupientes a sacerdotalis judicii et sacri tribunalis sanctitate *omnem turpitudinis occasionem et sacramentorum contemptum et Ecclesiæ injuriam* longe submovere, et tam exitiosa hujusmodi mala prorsus eliminare, et quantum in Domino possumus, animarum periculis occurrere, quas sacrilegi quidam dæmones potius, quam Dei ministri, loco eas per sacramentum Creatori suo ac nostro reconciliandi, majori peccatorum mole onerantes in profundum iniquitatis barathrum nefarie submergunt, nonnullorum venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium, et aliquorum in theologia magistrorum consilio desuper adhibito, accedentibus quoque iteratis plurium Episcoporum supplicationibus, hac nostra in perpetuum valitura sanctione, quemadmodum a pluribus Episcopis per synodales suas constitutiones jam factum esse novimus, *omnibus et singulis sacerdotibus*, tam sæcularibus, quam regularibus cujuscumque ordinis, ac dignitatis, tametsi alioquin ad confessiones excipiendas approbatis et quovis privilegio, et indulto, etiam speciali expressione, et specialissima nota, et mentione digna suffultis, auctoritate apostolica, et nostræ potestatis plenitudine interdicimus, et prohibemus, *ne aliquis eorum extra casum extremæ necessitatis, nimirum in ipsius mortis articulo, et deficiente tunc quocumque alio sacerdote, qui confessarii munus obire possit*, confessionem sacramentalem *personæ complicis in peccato turpi, atque inhonesto,* contra sextum decalogi præceptum commisso, excipere audeat,

---

in peccato turpi, (sine necessitate extrema, ut postea explicabitur) ; 2) casus personæ *falso,* innoxium sacerdotem apud judices ecclesiasticos *denuntiantis de crimine sollicitationis*. Aliud decretum S. C. U. J. 4 Ap. 1871 statuit : « Ut in formulis facultatum quas S. C. de Prop. Fide, ubi mentio fit de casibus in Bulla Cœnæ reservatis, *substituantur censuræ speciali modo* in Bulla *Apostolicæ Sedis Rom. Pontifici reservatæ, excepta absolutione complicis in peccato turpi.* »

sublata propterea illi, ipso jure, quacumque auctoritate, et jurisdictione ad qualemcumque personam ab ejusmodi culpa absolvendam, adeo quidem, ut absolutio, si quam impertierit, nulla, atque irrita omnino sit, tanquam impertita à sacerdote, qui jurisdictione, ac facultate, ad valide absolvendum necessaria privatus existit, quam ei, per præsentes has nostras, adimere intendimus : et nihilominus si quis confessarius secus facere *ausus fuerit*, majoris quoque excommunicationis pœnam, a qua absolvendi potestatem Nobis solis, nostrisque sucessoribus dumtaxat reservamus, ipso facto incurrat.

§ 5. Declarantes etiam, et decernentes, quod nec etiam in vim cujuscumque jubilæi, aut etiam bullæ, quæ appellatur Cruciatæ Sanctæ, aut alterius cujuslibet indulti, confessionem dicti complicis hujusmodi quisquam valeat excipere, eique sacramentalem absolutionem elargiri ; cum ad hunc effectum, et in hoc casu nullus confessarius, utpote qui in hujusmodi peccati, et pœnitentis genere, jurisdictione, ut præfertur, careat, et absolvendi facultate a Nobis privatus existat, habendus sit pro confessario legitimo, et approbato. »

Perpendendum est I quid veniat nomine peccati *turpis* a quo confessarius complex absolvere nequeat ; II, quandonam licita et valida sit necne absolutio complicis ; III quandonam confessarius absolutione complicis incurrat excommunicationem ; IV quomodo agendum cum sacerdote qui hanc excommunicationem incurrit ?

254. I. Quid intelligitur per *peccatum turpe a quo confessarius complicem suum absolvere non potest ?*

Resp. Intelligitur quodlibet peccatum mortale contra castitatem, seu sextum præceptum, exterius commissum, in quo inter confessarium et pœnitentem formalis adfuit complicitas. Hinc :

Requiritur 1°. Peccatum luxuriæ *formaliter grave* ab utraque parte, non tantum in ratione actus *interni*, sed

etiam in ratione actus *externi*. Non requiritur tamen luxuria consummata; sed sufficiunt tactus, imo turpia colloquia et aspectus obscœni, modo ad mortale peccatum pertingant (1). Nihil autem refert quod personæ complices sint puberes vel impuberes, masculi vel feminæ, nec etiam, ut communius docetur, quod peccatum commissum fuerit ante susceptum sacerdotium (2).

2° Requiritur *formalis complicitas*, quæ requirit mutuum consensum exterius manifestatum et mutuam conspirationem in unum et idem peccatum mortale, ita ut sit amborum una actio moralis, seu cooperatio formalis in unum peccatum mortale et externum.

3° Communior sententia docet requiri peccatum luxuriæ *certum*, tam quoad gravitatem mortalem ab utraque parte tam quoad utriusque complicitatem formalem.

Infertur sub prohibitione Bened. XIV non cadere peccata dubia sive dubium sit facti sive juris, nec venialia, nec venialia tantum quoad actum externum, licet alteruter vel uterque graviter interne peccaverit (3). Dissuadendum tamen hujusmodi confiteri confessario in illis complici. Nulla quidem lege prohibitum est excipere confessionem complicis extra materiam luxuriæ, per se tamen non congruit, tum propter periculum, tum quia minor est verecundia. S. Th. *Suppl.* q. 20, a. 2, ad 1.

---

(1) Plures opinabantur simplex colloquium turpe non comprehendi lege Benedictina. (Cf. Bucceroni, Comm. in const. Ben. XIV, *Sac. Pœnit.* n. 68). Attamen S. C. Inq. declaravit 28 Mai 1873, « prohibitione absolvendi complicem in materia turpi, comprehendi nedum tactus, verum omnia peccata et exterius commissa contra castitatem, *etiam illa quæ consistunt in meris colloquiis et aspectibus qui complicitatem important.* »

(2) Gury, Cas. Consc. t. 2, n. 639 641.

(3) Dum agitur de actibus externis qui objective non sunt absolute graves, sed solum respective graves ob specialem fragilitatem peccantium, oportet ut ipse osculandi tangendi vel aspiciendi modus, vel aliæ exteriores circumstantiæ libidinem mortalem utrimque prodant, quod practice vix fieri potest sine mutua provocatione ad gravius luxuriæ peccatum.

255. II. *An et quandonam confessarius licite et valide necne absolvit complicem a peccato turpi?*

Resp. Triplex distinguenda est hypothesis; vel enim 1° Confessarius absolvit complicem suum a peccato complicitatis (seu in quo idem confessarius fuit complex) nondum directe remisso, vel 2° ab eodem peccato sed jam directe remisso, vel 3° absolvit complicem ab aliis peccatis in quibus non adfuit complicitas. Itaque

Resp. 1°. *Si peccatum complicitatis nondum fuit directe remissum :*

A. Sacerdos complicem suum absolvens in mortis periculo, *semper valide* absolvit, ac etiam *licite* absolvit, si alius sacerdos etiam non approbatus deficiat, vel sine gravi exoritura infamia aut scandalo vocari aut accedere nequeat; *illicite* vero, si alius sacerdos etiam non approbatus confessionem excipere possit, aut confessarius prædictæ infamiæ et scandali pericula vel sibi ipse confingat ubi non sunt, vel, quantum in se est, opportunis mediis non removeat. — Constat ex Const. Ben. XIV, *Sacram. Pœnit.* et *Apostolici muneris* (1).

Nota. — *a)* Mortis articulo, juxta communem interpretationem, æquivalet probabile mortis periculum prudenter existimatum.

b) Alius sacerdos deesse censetur, si qui præsens est renuat excipere confessionem morientis, vel si is soli confessario complici velit confiteri. Si solus adsit sacerdos publice suspensus aut excommunicatus, plures censent hunc præferendum esse complici, alii vero negant, nisi scandalum timeatur et infamia; quæ quidem vix abesse pos-

---

(1) Hæc altera Bulla hoc sensu declarat ea quæ in præced. Const. *Sac. Pœnit.* sancita erant de interdicta absolutione complicis præterquam in mortis articulo, *deficiente tunc quocumque alio sacerdote.* — Media autem removendi periculum infamiæ et scandali, sunt v. g., si confessarius complex ipse alium sacerdotem ad infirmum mittat, si per aliquod tempus a domo discedat, morbum fingat, ut alter vocetur et accedat.

sunt (1). — Nonnulli etiam permittunt confessario pœnitentem complicem absolvere, qui alias sacrilege alteri esset confessurus aliaque sacramenta suscepturus, vel a sacramentis abstinendo, suspicionem maximam de peccato cum confessario commisso ingereret (2).

c) Tunc datur infamiæ vel scandali periculum, quando ex alterius confessarii accitu vel accessu, prava suspicio contra consuetum confessarium oriretur in plebe. Timor autem dedecoris incurrendi apud alium confessarium non excusat.

d) Confessarius qui, urgente periculo mortis, licite incœpit confessionem excipere sui complicis, illam perficere potest, si alter sacerdos superveniat ante absolutionem; — vel etiam, juxta plures contra alios, si cesset mortis periculum (3). Non potest tamen confessarius qui complicem in mortis periculo absolvit, post transactum illud periculum, confessionem ejus perficere ratione integritatis, si omissum fuerit aliquod peccatum complicitatis (4).

B. Sacerdos extra mortis periculum *scienter* absolvens complicem suum a peccato complicitatis nondum directe remisso, *illicite* et *invalide* absolvit. Constat ex Const. Ben. XIV, quæ confessarium privat omni jurisdictione ad hunc effectum. Nec obstat quod pœnitens non advertat confessarium esse suum complicem; neque error communis supplet jurisdictionem.

Manet prohibitio et irritatio absolutionis, si peccatum complicitatis reticitum fuerit inculpabiliter in confessione alteri sacerdoti facta, vel expressum quidem, sed in confessione invalida.

Dictum est: *scienter* absolvens etc.; nam si absolvit non advertens pœnitentem esse suum complicem, immunis

---

(1) Cf. *Nouvelle Rev. Theol.*, III, p. 606.

(2) P. Piat, *Comm. in Const. Ap. Sed.*

(3) Gury, *Casus Consc.* II, n. 631; Bucceroni, Comm. in Const. *Sac. Pœnit.* n. 63. Hanc sententiam strenue impugnat Pennacchi, *Comm.* in Const. *Apost. Sed.* Appendix IX.

(4) Bucceroni, op. cit. n. 64.

est a peccato. De valore absolutionis controvertitur: juxta aliquos valide absolvit a peccato complicitatis, quia deest *præsumptio* et *temerarius ausus* a Ben. XIV requisitus. Juxta communiorem sententiam invalide absolvit quoad peccatum complicitatis; valide vero juxta plures quoad alia peccata, si pœnitens sit in bona fide ; duo enim distinguunt in Const. Ben. XIV, *jurisdictionis ademptionem* et *pœnam excommunicationis*. Hæc fertur contra *audentes* et *præsumentes* ; illa confessario complici simpliciter adimitur quoad peccatum turpe in quo idem confessarius fuit complex (1).

Inquirunt DD. utrum extra periculum stricte dictum mortis, confessarius absolvere possit complicem suum in casu *gravissimæ necessitatis*. Quæ necessitas supponi potest: 1° si complex alium confessarium non poterit invenire per totum vitæ decursum aut saltem per longissimum tempus, præsertim si periculum infamiæ et scandali immineat ex diuturna abstinentia a confessione et a communione ; 2° si, urgente necessitate communionis, alius confessarius haberi non potest, nec communio prætermitti, sine evidenti periculo infamiæ et scandali.

Porro, quod spectat primum casum, plures docent illum per benignam epicheiam æquiparari casui extremæ necessitatis, ideoque confessarium, secluso proximo scandali periculo, posse suum complicem absolvere etiam directe a peccato complicitatis (2). Præstat tamen ut confessarius prævidens hujusmodi necessitatem, a S. Pœnit. petat facultatem absolvendi suum complicem. Alii vero censent confessarium in illo casu posse complicem absolvere directe ab aliis peccatis, indirecte vero a peccato complicitatis (3). Juxta alios, absolutio nullo modo dari potest, quia solus mortis articulus excipitur in constitutionibus Pontificiis (4).

---

(1) Bucceroni, op. cit. n. 72.

(2) Gury, Ballerini, II n. 540, Pennacchi *comm. in const. Sac. Pœn.* p. 333 et 350, Bucceroni, Comm. in hanc const. n. 67.

(3) Salmant. VI App. VI.

(4) Griffini, III n. X et XI; Gury *Casus consc.* n. 617 et 619.

In altero autem necessitatis casu, non deest qui id licitum opinetur ; verum communis sententia id prorsus negat, quia legislator unicum solum casum, scilicet mortis, excepit ; urgenti autem istius modi necessitate potèrit confessarius pœnitenti complici permittere communionem, præmisso actu contritionis perfectæ, vel, juxta aliquos, illum absolvere ab aliis peccatis sine complicitate commissis, sub onere confitendi alteri sacerdoti peccatum complicitatis (2).

Quær. *An confessarius dubitans utrum pœnitens sit ejus complex, illum absolvere possit ?*

Resp. Si caute et prudenter interrogationes facere potest quin se prodat, ad id tenetur confessarius. Sed si non potest, aut si factis interrogationibus dubium permanet, plures censent confessarium absolvere posse (3). Si vero dubium esset an confessiones præteritæ validæ fuerint et pœnitens generalem institueret confessionem, censet Alasia, confessionem esse, si non invalidam, saltem illicitam (4).

256. Ad quæstionem positam n. 255, Resp. 2° *Si confessarius complicem suum absolvit a peccato complicitatis jam directe remisso*, nonnulli cum Ballerini docent confessarium ab illo illicite et invalide absolvere; quia Ben. XIV absolute et generatim adimit confessario jurisdictionem in illud peccatum. Longe tamen communius defendi-

(1) Ball. *Opus Theol. mor.* v. VII, n. 434.

(2) Rota, op. cit. n. 148.

(3) Gury, *cas. consc.* n. 619. Rationem affert « quia durum est valde sacerdotem adigere ad se prodendum et turpitudinem suam manifestandum cum ingenti honoris jactura. Nec præsumendum est prudentem legislatorem voluisse reum jurisdictione privare cum tanto dubio ex una parte, et tanto famæ detrimento ex altera parte. Igitur casus præsens recidere videtur in quæstionem jurisdictionis dubiæ, in qua, stante gravi causa, probabilius absolvere licet. » Cf. Bucceroni, *Comm. in const. Sac. Pœn.* n. 73.

(4) Bucceroni, l. c.

tur validam esse hanc absolutionem ; quia peccatum illud non est amplius materia necessaria sed libera. Sed multum dedecet peccatum illud confiteri in posterum confessario complici, quin imo generatim impediendi sunt pœnitentes ne alia quoque peccata confiteantur confessario complici.

257. Resp. 3° *Si confessarius absolvit complicem ab aliis peccatis in quibus non fuit complex*, distinguendum est :

A. Si peccatum complicitatis nondum ab alio confessario directe remissum pœnitens bona fide omittit, confessarius valide illum absolvit ab aliis peccatis, nec peccat si non advertat pœnitentem esse suum complicem ; si vero illud advertat, graviter peccat, excommunicationem tamen non incurrit. Si pœnitens in mala fide sit, quia novit confessarium esse suum complicem nec eum posse absolvere, ideoque culpabiliter peccatum omittat, confessio est invalida et sacrilega. Huc facit sequens Resp. S. Pœnit. 15 Maii, a 1877 :

« An incurrat censuras in absolventes complicem in peccato turpi latas, qui complicem quidem absolvit sed complicem qui complicitatis peccatum in confessione non declaravit ? Ratio dubitandi esse videtur, quia talis sacerdos, etiamsi complex sacrilege hujus peccati confessionem omitteret, et ipse culpabiliter ab interrogando abstineret, non tamen absolvit ab hujusmodi complicitatis culpa utpote non declarata, nec subjecta clavibus.

S. Pœnit. respondit ; « Privationem jurisdictionis absolvendi complicem in peccato turpi et adnexam excommunicationem, quatenus confessarius illum absolverit, *esse in ordine ad ipsum peccatum turpe in quo idem confessarius complex fuit*. Tenetur nihilominus confessarius sacerdoti, qui hac ratione complicem non tamen a peccato complicitatis absolvit, omni studio ob oculos ponere enormitatem delicti sui, et abominabilem abusum sacramenti pœnitentiæ, nec aliter ei beneficium absolutionis impertiri

quam præmissa gravissima adhortatione ut officium confessarii dimittere studeat, necnon imposita obligatione ut a confessionibus complicis audiendis in posterum omnino abstineat, monita eadem persona complice si denuo compareat, ut de peccato complicitatis, et cæteris invalide confessis apud alium confessarium se accuset. »

B. Si peccatum complicitatis ab alio confessario jam directe remissum sit, confessarius valide absolvit pœnitentem ab aliis peccatis. Non prohibetur quidem talis absolutio per const Ben. XIV, verum notant communiter DD. deterrendos esse pœnitentes ne in posterum, secluso necessitatis casu, confessarium adeant qui eorum complex fuit in peccato turpi, ut ita debitus honor sacramento servetur, et periculum novi lapsus aut saltem gravis tentationis reciproce vitetur. Et sub gravi peccato tenetur confessarius abstinere ab audienda in posterum confessione personæ complicis, si grave adsit mutui scandali periculum, vel absolutus fuit ab excommunicatione ob attentatam complicis absolutionem ; tunc enim illi injungit S. Pœnit. ut in posterum abstineat ab audiendis in posterum confessionibus personæ complicis.

258 III Inquirendum *quondonam confessarius absolvendo complicem suum in peccato turpi incurrit excommunicationem ?*

Resp. Confessarius absolvens illicite complicem suum a peccato turpi complicitatis nondum directe remisso, incurrit ipso facto excommunicationem speciali modo R. Pontifici reservatam. Constat ex const. Ben. XIV et ex const. Pii IX, *Apostolicæ Sedis* (v. n. 251).

Dicitur 1° : *Confessarius :* Constitutio enim Ben. XIV loquitur de confessariis quibus adimit jurisdictionem relate ad hoc peccatum; non comprehenditur igitur simplex sacerdos non approbatus ad confessiones.

Dicitur 2° : *absolvens :* non incurritur igitur excommunicatio, si sacerdos audit quidem confessionem, non

tamen absolvit, nisi tamen *simularet* absolvere, ut colligitur ex resp. S. Pœn. (1)

Dicitur 2 : *illicite* absolvens ; gravis enim pœna supponit gravem culpam. Hinc excommunicationem non incurrit absolvens sine advertentia ad complicitatem pœnitentis,, vel cum ignorantia legis prohibentis ac irritantis absolutionem, vel etiam cum ignorantia censuræ, modo ignorantia non sit affectata aut crassa et supina (2)

Porro, confessarius illicite a peccato complicitatis absolvit et excommunicationem incurrit, *a)* si eum absolvit extra periculum mortis, excepto, juxta nonnullos, casu quodam extremæ necessitatis qui æquiparari possit periculo mortis (cf. supra n. 255) ; *b)* Si eum absolvit in mortis periculo, quando « alius sacerdos licet non approbatus ad confessiones, sine gravi aliqua exoritura infamia et scandalo, potest excipere morientis confessionem. — Ita Const. Ap. *Sed* v. n. 251). Quinimo, *c)* excommunicationem non effugit confessarius absolvens in mortis periculo, si prædictæ infamiæ et scandali pericula vel sibi ipse confingit ubi non sunt, vel quantum in se est, opportunis mediis non conatur removere. Constat ex Ben. XIV const. *Apostolici muneris.*

Dicitur 3° : absolvens a *peccato turpi complicitatis nondum directe remisso.* Excommunicatio igitur non in-

---

(1) Quæstio proposita erat. « Utrum confessarius qui suum vel suam complicem in peccato turpi ad mentem Bullæ *Apost. sedis* n. X, simulaverat absolvisse, recitando v. g. orationem quamdam vel alia verba prononciando, aut etiam tacendo, ita ut videretur tamen per signa vel manuum gestus revera pœnitentem a peccatis relaxare incurrat excommunicationem specialiter S. Pont. reservatam... S. Pœn. respondit : « *Confessarios simulantes absolutionem complicis in peccato turpi non effugere excommunicationem reservatam in Bulla Ben. XIV. Sac Pœnit.* 1 Martii 1878. — Quæ responsio confirmata fuit S. C. O. 10 Dec. 1838.

2. Ad quæstionem « *utrum absolventes complicem in re turpi cum ignorantia crassa et supina hanc excomunicationem incurrant, an non?* S. C. O 16 Jan 1892, respondit : *In casu incurrere.*

curritur a sacerdote complicem absolvente, si peccatum complicitatis clavibus non subjiciatur, quamvis illud sacrilege reticeret pœnitens. Colligitur ex resp. S. Pœn. supra n. 257 relato.

259. IV. *Quomodo agendum cum sacerdote qui propter absolutionem complicis incidit in excommunicationem?*

Prænotandum hanc excommunicationem esse *speciali*, imo *specialissimo* modo S. Pontifici reservatam, et facultatem ab illa absolvendi non comprehendi in facultatibus quantumvis amplissimis absolvendi a censuris etiam specali modo S. P. reservatis, sed requiri indultum speciale in quo expresse hæc facultas concedatur, quæ quidem solum *sub quibusdam clausulis* conceditur.

Igitur sequentia notanda sunt: 1° sacerdos ab illa excommunicatione in articulo mortis absolvere potest, cum onere tamen pro pœnitente et quidem sub pœna reincidentiæ, recurrendi per se vel per confessarium ad S. Pontificem, ejusque mandatis obediendi, vel novam absolutionem petendi ab habente facultatem si convaluerit sacerdos sic absolutus. S. C. O. 20 Aug. 1891, et 6 Jan. 1892.

2° Extra mortis articulum, in casu urgentiori, in quo absolutio differri nequit absque periculo gravis scandali vel infamiæ, potest confessarius ab illa excommunicatione directe absolvere, sub pœna tamen reincidentiæ in eamdem censuram, nisi saltem infra memsem per epistolam et per medium confessarii absolutus recurrat ad S. Sedem. Constat ex resp. S. C. O. 30 Junii 1886 et 20 Aug. 1891.

3° Extra duos casus memoratos, pro facultate absolvendi ab hac excommunicatione, recurrendum ad S. Pœnitentiariam vel ad Ordinarium, si indulto speciali munitus sit, omni adhibita cura ut sigillum confessionis servetur integrum.

4° Dictum est facultatem absolvendi ab hac excommunicatione non nisi sub *quibusdam clausulis* concedi. Specialia enim indulta Pontificia conferunt facultatem

pro foro conscientiæ et in sacramentali confessione tantum, absolvendi a censuris et pœnis ecclesiasticis, et dispensandi super irregularitate ex violatione censurarum utcumque contracta, sub ea tamen lege ut sic absoluti et dispensati, infra mensem (aut duos menses vel aliud congruum tempus a dispensante decernendum) directe vel per medium confessarii, suppresso nomine, ad S. Pœnitentiariam recurrant, eique explicent, *quot personas complices, et quoties a peccato complicitatis absolverint, et mandatis ejusdem S. Pœnitentiariæ desuper ferendis obedire teneantur sub reincidentia in easdem censuras si contravenerint,* injuncta singulis pro modo culparum congrua pœnitentia, *quodque ab audiendis complicis confessionibus omnino* abstineant (1), aliisque injunctis de jure injungendis (2).

Sacra autem Pœn. mandare solet ut « si ille sacerdos *unam tantum personam complicem semel* absolvere ausus fuerit, abstineat, ut supra ab audiendis ejusdem confessionibus ; sed si in posterum aliud hujusmodi absolutionis crimen, quod absit, patraverit, similemque absolutionem et dispensationis gratiam a S. Pœnit. sive directe et immediate sive mediate consecutus fuerit, sciat illam nequaquam ipsi profuturam, nisi alias jam obtentæ gratiæ mentionem fecerit ; qui vero *duas* vel *bis unam* similiter absolvere attentaverit, officium parochi aut confessarii quo tam perdite abusus est, curet demittere ; qui tandem sic absolverit *tres* aut *plures*, vel *unam* ter aut *pluries*, præ-

---

(1) Hoc præceptum respicit confessionis liceitatem non vero valorem.

(2) V, g. Si pravus habitus sit extirpandus, si reconciliato pœnitenti imponenda, etc. injungere non omittat confessarius ; præsertim vero si hucusque personam complicem reus sacrilege et invalide absolverit, omnina exigendum » ut quatenus ad eum denuo accesserit monitam de nullitate præteritarum absolutionum, ad alium confessarium non complicem remittat. » Ita ex rescriptis S. Pœnit. Cf. Planchard, de const. Ben. XIV, *Sac. Pœnit.*

fatum officium infra terminum ab absolvente, pensatis circumstantiis, præfiniendum, sed non ultra sex menses, quatenus fuerit parochus, et non ultra tres menses quatenus fuerit simplex confessarius, dimittat, dimissumque amplius non resumat. Verum si ob aliquam gravem et justam causam infra prescriptum terminum dimittere nequeat, recurrat suppresso nomine litteris secretis et signatis ad S. Pœnit, rem totam exponendo, ut opportune in Domino decerni possit. »

Confessarius igitur sacerdotis excommunicatione innodati propter absolutionem complicis, attente perpendere debet clausulas appositas in rescripto quod a S. Pœnit. vel ab Episcopo recepit, easque ad amussim servare. Postquam pœnitenti injunxerit ea quæ ex rescripto injungenda sunt, eum in *actu sacramentalis* confessionis ab excommunicatione auctoritate Apostolica absolvet, et super irregularitate forsan contracta dispensabit (1). Regula est ut prius a censuris, deinde a peccatis absolvat (2), postea super irregularitate dispenset. Ab excommunicatione absolvit in forma Ecclesiæ consueta, ideoque in actu confessionis adhibet formam absolutionis a censuris quæ præcedit absolutionem a peccatis. Pro dispensatione super irregularitate adhibet formam quæ habetur in Rit Rom.

(1) Sacerdos excommunicatus irregularitatem incurrit quoties actum ordinis saltem solemniter excercet, nisi excusetur ratione necessitatis proximi, vel infamiæ vitandæ vel metus gravis.

(2) S. Pœn. 4 Jan. 1839 respondit: « In exequendis S. Pœnit. rescriptis, cavendum quidem est ut pœnitens ad peccatorum abolutionem disponatur; nihilominus validas fore absolutiones a censuris S. Sedi reservatis, etiam sine absolutione a peccafis. dummodo saltem præcesserit accusatio seu confessio peccatorum quæ sacramentalis sit. »

APPENDIX II.

De confessario sollicitante ad turpia

260. Sollicitatio ad turpia a confessario cum relatione ad confessionem peracta, immane est scelus contra castitatem religionem et charitatem, quod reum coram Ecclesia facit suspectum de hæresi, et severissimis pœnis obnoxium. Circa illud crimen leges præsertim tulerunt Greg. XV Const. *Universi*, 20 Aug. 1622, et Ben. XIV Const. *Sac. Pœn.* quæ confirmat, declarat et ampliat Const. Greg. XV. et corroborat decreta S. C. O. a. 1661 edita ad interpretationem constitutionis Gregorianæ. Intsructio S. R. U. Inq. a. 1867 confirmat et explicat Const. Ben. XIV, et mandat illam ubique terrarum inconcusse ac inviolabiliter esse observandam.

Statuit autem Ben. XIV, confessarios sollicitantes ad turpia in circumstantiis ab ipso definitis esse denuntiandos judicibus ecclesiasticis et condignis pœnis puniendos, — pœnitentes sollicitatos de obligatione denuntiandi esse admonendos a confessario, — demum casum S. Pontifici reservatum incurri a falso de crimine sollicitationis innoxios sacerdotes accusantibus apud judices ecclesiasticos. Hæc jam ex ordine explicanda sunt inhærendo constitutioni Ben. XIV aliisque Sed Apost. documentis.

§ I.

Quinam denuntiandi sunt.

261. Jure *positivo* a Const. Ben. XIV sancito, decernitur denunciandos esse « *omnes et singulos sacerdotes*,

tam *sæculares quam regulares, quomodolibet exemptos* et cujuscumque dignitatis et præeminentiæ, aut quovis privilegio et indulto munitos — qui *aliquem pœnitentem, quœcumque persona illa sit, — vel in actu sacramentalis confessionis, vel ante vel immediate post confessionem, vel occasione aut prætextu confessionis, vel etiam extra occasionem confessionis in confessionali, sive in alio loco ad confessiones audiendas destinato aut electo, cum simulatione audiendi ibidem confessionem, — ad inhonesta et turpia sollicitare vel provocare, sive verbis, sive signis sive nutibus, sive tactu, sive per se, sive per scripturam, aut tunc aut post legendam, tentaverint, aut cum eis illicitos et inhonestos sermones vel tractatus temerario ausu habuerint.* » Hisce verbis declaratur quænam personæ sunt denuntiandæ, et quale debeat esse crimen et quænam ejus relatio ad confessionem, ut inducatur obligatio denuntiationis judicialis.

261. Dicitur 1° : « *omnes et singulos sacerdotes* », quamvis etiam non sint approbati ad confessiones audiendas (1). Denuntiandi igitur non sunt laici fingentes se confessarios esse (2), nec interpretes aut nuncii sollicitationis vel illam mandantes aut consulentes, etiamsi sint sacerdotes, nec pœnitentes in confessione sollicitantes confessarium.

Dicitur 2° : « *aliquem pœnitentem quœcumque persona illa sit* », sive mares sive fœminæ sint. (Inst. S. C. Inq. 1867).

262. Dicitur : 3° « *in actu sacramentalis confessionis* », i. e. intra spatium quod intercedit inter initium confessionis ejusque finem, sive absolutio sequatur sive non ; ideo, juxta scitum illud, est spatium quod inter *duas cruces* intercedit. — Sollicitatio ad turpia potest esse vel *immediata* et *formalis*, vel *mediata* et *causalis*, cum media tantum tunc apponit quibus postea sollicitat, v. g. si confessarius

(1) S. *Instructio* Inq. C. a. 1667, sub V.

pœnitenti epistolam tradit in qua ad venerem excitat (1). Nec refert quod ponat medium apparenter indifferens, si tamen postea cognoscatur appositum ad sollicitandum; puta si confessarius ex animo illam sollicitandi mulieri imponit ut domi eum expectet, vel interrogat ubi habitet, an sola ibi moretur, et postea confessarius illuc se conferat et eam sollicitet.

Notandum etiam est quod hæc distinctio immediatæ et mediatæ sollicitationis applicanda quoque sit sequentibus clausulis ; *vel ante vel immediate post confessionem*, etc.

263. Dicitur 4° : « *vel ante vel immediate post confessionem.* » Clausula ista, juxta S. Alph. stricte intelligenda est, ita ut inter sollicitationem vel medium appositum ad sollicitandum et confessionem inchoandam vel absolutam nullum intervallum vel actio extranea intermediet (2). Hinc denuntiandus *a)* qui sollicitat mulierem genuflexam vel genuflexuram ad confitendum, *b)* qui post confessionem statim pœnitentem ducit in cubiculum et sollicitat, vel immediate post confessionem pœnitenti dicit ut ipsum expectet tali in loco, et post aliquod intervallum sollicitat ; in utroque enim casu immediate post confessionem ponit sollicitationis medium. — Alii autem cum Giraldi verba *immediate ante et post* latius et moraliter interpretantur pro brevi illo temporis spatio, in quo, si quidpiam fiat, attentis circumstantiis et communi modo loquendi, immediate ante vel post confessionem peractum dicatur. Attamen testatur Giraldi, ex praxi S. O. confessarium non reputari sollicitare immediate post confessionem, si sollicitatio accidat post integram transactam diem.

---

(1) Ab Alex. a. 1665 damnata est prop. « *Confessarius qui in sacramentali confessione tribuit pœnitenti chartam postea legendam in qua ad venerem incitat, non censetur sollicitare in confessione, ac proinde non est denuntiandus.* »

(2) S. Alph. l. VI, n. 677, Bucceroni, *Comm. in const, Ben. XIV*, n. 677.

264. Dicitur 5°: « *occasione vel prætextu confessionis* », addit autem Greg. XV ; « etiam *confessione non secuta* ». Valde laborant et dissentiunt DD. in explicatione istius clausulæ et in solutione casuum qui huc referuntur (1).

Occasio confessionis significat veram confessionem aut factam aut petitam a confessario vel pœnitente. *Prætextus* confessionem significat quæ falso obtenditur, allegationem confessionis quæ non est vel ficta est.

Occasione confessionis videtur confessarius triplici modo posse sollicitare : 1° dum a pœnitente invitatus vel eum invitans ad confessionem, inde statim ansam sumit ad pœnitentem sollicitandum. Talis confessarius denuniandus est, quamvis confessio non sequatur (S. Alph. n. 670). Non item confessarius, qui rogatus a pœnitente ut cras ejus confessionem excipiat, eum sollicitat extra locum confessionis et sine prætextu confessionis (2).

2) Dum in confessione ipsa ansam sumit ex percepta pœnitentis propensione ad libidinem, et tunc illum sollicitat. Quo casu sollicitatio habetur tum occasione tum in actu confessionis.

3) Dum confessarius notitia utitur quam ex confessione habuit , ad sollicitandum postea pœnitentem. Confessarius denuntiandus est si certo constet illum notitia sacramentali usum esse ad sollicitandum (S. Alph. n. c.). Aliqui tamen probabiliter negant, quia confessarius non stricte utitur occasione confessionis, sed notitia confessionis (3).

---

(1) Cf. Berardi, *de sollicitatione*, n. 85, Bucceroni. op. c. n. 16. 17.

(2) S. C. O. a. 1661 ad quæstionem sub. IV : « An confessarius qui feminæ in confessario dicenti se velle in crastinum confiteri, illam sollicitat et confessionem dissuadet, sit denuntiandus ? Respondit « *Si sollicitatio fiat extra locum confessionis et absque prætextu confessionis, censuerunt* (qualificatores) *negativam opinionem esse probabilem ; secus, si in confessionario, seu in loco confessionis.* »

(3) Cf Bucceroni, op. cit. n. 16 ; Haine *theol. mor*, de Pœnit. 9. 93.

Prætextu confessionis sollicitat sacerdos qui confessionem prætexit, ad eam ficte pœnitentem invitat, ut eum sollicitet. Ut autem ex hac clausula obligatio denuntiandi inducatur, oportet ut prætextus confessionis faciendæ adhibeatur ad ipsam sollicitationem peragendam vel sermones aut tractatus turpes habendos.

Hinc clausula non verificatur, nec denuntiandus ille qui prætextum confessionis audiendæ obtendit superiori ut veniam exeundi obtineat, et postea infirmum sollicitat. Sed vi istius clausulæ denuntiandus est confessarius qui mulierem in ecclesia orantem invitat ad confessionem, vel interrogat an sit parata ad confitendum, eoque prætextu eam sollicitat ; vel eam ad confitendum pro sequenti die invitat, et ipsam accedentem statuta hora sollicitat ; item qui advocatus a matre ad excipiendam confessionem ejus filiæ, hanc sollicitat postquam ei dixerat se advocatum fuisse ad ejus confessionem audiendam. S. Alph. l. VI, n. 678, 679.

Multi etiam censent clausulam verificari, et denuntiandum esse confessarium, si a pœnitente prætextu confessionis advocatus ab eaque sollicitatus, turpia cum ea perpetret. Negant alii cum S. Alph. l. c. ; quia non confessarius sed solus pœnitens prætextu confessionis sollicitavit. Docent quippe plures clausulam solum verificari, quando sacerdos prætexit confessionem ut sollicitet pœnitentem, non vero si pœnitens eam protexit ut confessarium sollicitet, nec etiam si confessarius et pœnitens eam ex condicto prætexant ut alios fallant (1).

265. Dicitur 6° : « vel etiam extra occasionem confessionis, *in confessionali*, — *sive in alio loco ad confessiones destinato aut electo, cum simulatione audiendi ibidem confessionem* ».

Tria heic distinguuntur locorum genera in quibus

(1) d'Annibale, *Commentarii Reatini*, n. 255, Bucceroni op. cit. n. 17 ; Pennacchi, *comm. const. Apost. Sed.*

confessiones audiri solent. Primus est confessionale ordinarium quod confici solet ex ligno, habens laminam ferream cum parvis foraminibus. Secundus est locus quicumque ab illo distinctus ad confessiones destinatus, in quo confessiones de more excipiuntur, v. g. cellulæ quædam in domibus religiosis, sacristiæ, etc. Tertius est quivis locus *electus* pro arbitrio confessarii ad confessionem excipiendam.

Ad denuntiationis obligationem sufficiunt sollicitatio vel sermones turpes in quovis ex hisce locis habiti, modo adsit *simulatio audiendi ibidem confessionem*, seu repræsentatio confessionis sine confessione. Quæ clausula non solum refertur ad loca destinata et electa ad confessionem, sed etiam, juxta communiorem sententiam, ad stricte dicta confessionalia (1). Non requiritur intentio simulandi sed sufficit simulatio externa ; hæc autem adest quando in confessionali aut in loco destinato ad confessiones sedet confessarius et genuflexus sit pœnitens, vel positiva simulatio confessionis adest in loco electo, ita ut adstantes putarent excipi confessionem.

Heic advertendum non requiri simulationem confessionis, quando sollicitatio fit aut in ipsa confessione, aut immediate ante vel post confessionem, aut occasione vel prætextu confessionis.

266. Dicitur 7° : « *Ad inhonesta et turpia sollicitare vel provocare, sive verbis, sive signis, sive nutibus, sive tactu, sive per scripturam aut tunc aut postea legendam tentaverint, aut cum eis (pœnitentibus) illicitos et inhonestos sermones vel tractatus temerario ausu habuerint.* »

Alterutrum igitur sufficit ad denuntiationis obligationem inducendam: nempe, ut vel confessarius provocaverit vel provocare tentaverit ad inhonesta et turpia, vel ut

(1) « An sit denuntiandus confesssarius qui sedens in confessionali sollicitat mulierem stantem ante confessionarium, non simulando confessionem ! Censuerunt (Qualificatores) opinionem negativem non carere probabilitate (S. C. O. a. 1661 sub XV).

absque ulla provocatione aut intentione provocandi ad ulteriora, sermones inhonestos aut tractatus habuerit. Cæterum tunc etiam adest quasi implicita sollicitatio.

Plura circa illas clausulas notanda sunt :

Dicitur *a)* : « ad *inhonesta* et *turpia* : » intelliguntur omnia et sola peccata *luxuriæ* seu castitati contraria. Vi igitur constit. Ben, XIV, denuntiandus non est confessarius ad alia peccaia, v. g. furtum, perjurium sollicitans (1), quamquam tamen aliunde ex jure naturæ oriri interdum possit obligatio denuntiandi.

Quær. *An denuntiandus sit confessarius sollicitans ad actus tantum venialiter inhonestos?* Resp. Sententia probabilior negat, ait S. Alph. n. 683 ; et colligitur ex tenore verborum Ben. XIV quæ grave peccatum supponunt. Excipiendum tamen est, si certo appareat ex circumstantiis confessarium per illos actus leves v. g. sensualitatis, voluisse progredi et sollicitare ad actus venereos. Sententiæ S. Alph. objicitur a pluribus Decretum S. C. O. sub III : « An confessarius sollicitando propter parvitatem materiæ sit denuntiandus ? « *Cum in rebus venereis non detur parvitas materiæ, et si daretur in re præsenti non daretur, censuerunt esse denuntiandum et opinionem contrariam non esse probabilem* ». Notandum tamen quod in hoc responso agitur de actu in quo sit tota malitia peccati venerei ; et verba quæ adduntur : *et si daretur* etc. hunc habent sensum : si quod falsum est, daretur in actu venereo parvitas materiæ, heic tamen non daretur, quia hujusmodi quilibet actus est præterea positiva lege prohibitus propter reverentiam Sacramenti (1).

Dicitur *b)*: sive *verbis*, sive *signis*, sive *nutibus* sive *tactu*, sive per *scripturam* etc. Tactus intelligitur tum

---

(1) S. C. O. 11 Febr. 1661 ad quæst. : An confessarius qui sollicitat pœnitentem ad actus illicitos extra actus venereos, sit denuntiandus ? respondit : *Censuerunt opinionem negativam esse probabilem.*

(2) Ballerini, *Opus theol. mor.* vol. v. n. 1129 ; Bucceroni, *Comm.* const. in Ben. XIV, n. 23.

de tactu inhonesto suipsius quem pœnitens contueri possit, tum de tactu alterius personæ, sive impudicus per se sit, sive utcumque aut ostendens aut excitans impudicum affectum.

Adverte quod in verbis, nutibus et scriptura, interdum habetur sollicitatio clara et expressa, aliquando latens et initialis, quæ postea clare innotescit ex adjunctis subsecuti eventus, v. g. si confessarius mulieri imponat ut eum domi expectet, et domum adiens illam sollicitet. Advertit S. Alph. quod confessarius, non esset denuntiandus, si, dum se expectari jubet ratione colloquii, aut negotii peragendi, revera serio intendat colloquium vel negotium tractandum, sed postea in progressu colloquii tentatus eam sollicitat. Ex circumstantiis autem judicandum an principaliter intenta fuerit sollicitatio et negotium ut medium, an vero negotium principaliter, et sollicitatio per accidens evenerit (S. Alph. l. vi n. 677).

Plures a theologis expenduntur locutiones quæ non ex ipsis terminis, sed ex variis circumstantiis dignoscuntur habere significationem sollicitationis ad turpia (1). Ita, ex gr. si confessarius in confessione mulieris laudet pulchritudinem, ei minuscula tradat, sollicitatio præsumitur si ex modo loquendi aut aliis circumstantiis dignoscatur id fieri ex pravo affectu ; secus, si ex quadam imprudentia vel animi levitate, a fortiori si mentionem faciendo de ejus pulchritudine eam monet ut caute se gerat, vitet periculosos conventus, etc. (2).

Nota denuntiandum esse confessarium qui pœnitentem

---

(1) S. S. Alph. n. 703 sqq.

(2) S. Alph. l. c. — Huc refertur decretum S. C. O. 1661 sub n. 12 : Ad quæstionem enim : « An confessarius, si laudet pœnitentem de pulchritudine et venustate, dicatur illam sollicitare, et ideo sit denuntiandus ? Censuerunt, *si laus illa sit seria et nihil pravæ intentionis redoleat, negativam esse probabilem, secus non esse probabilem.* » Et sub n. 16 : « An sit denuntiandus confessarius, qui audiens confessionem dat donum mulieri, ita ut dicatur illam sollicitasse ? *Idem responderunt quod ad duodecimum.* »

sollicitat sive pro se sive pro alia persona, vel qui pœnitentem sollicitat ut inducat aliquam personam ad secum peccandum. S. Alph. n. 691.

Dicitur *c)* : « *aut cum eis* (pœnitentibus) *illicitos et inhonestos sermones vel tractatus, temerario ausu habuerint.* » Ista clausula comprehenduntur confessarii qui, etiam sine animo provocandi pœnitentem ad alia graviora peccata luxuriæ, cum eo sermones castitati adversantes vel tractatus de rebus turpibus agendis habuerint, sive confessarius primus incipiat, sive incipiat pœnitens. Liquet in hoc casu provocationem saltem adesse ad turpiloquium (1).

Huic clausulæ adduntur verba : « *ausu temerario* », « cujus ratio est, ait Planchard, quod sollicitatio criminosa semper sit, sermones autem quandoque imprudentiam, animi levitatem indicare possunt » (2) Quare necesse videtur, ut sermones directe intendantur quatenus turpes (3).

Quærit Berardi : « Utrum in interrogationibus, instructionibus, vel in remediorum assignatione, aut paterni affectus ostensione, casus sollicitationis intervenire possit ? Resp. : Cautissime procedendum est antequam in casibus hujusmodi sollicitatio recognoscatur ; quamvis enim confessarius limites prætergressus fuisset, difficile pro certo constabit quod ex malitia id fecerit ; valde facile enim ex sola imprudentia, irreflexione et ignorantia res hujusmodi contingere solent Quod tamen possint dari excessus ita manifesti, ut a gravi et valde scandalosa malitia, atque adeo a crimine denuntiando excusari nequeant, omnino admittendum est » (4).

---

(1) Cf. Bucceroni, op. cit. n. 24.

(2) De Const. Ben. XIV, *Sac. Pœn.*

(3) Pennacchi *Comm. in Const. Apost. Sed.*

(4) *De sollicit* : n. 35-38 Cf. Ball. *Opus theol. mor.* vol. v. n. 1113 sq. ubi denuntiandum scribit confessarium, si conjugatam personam aut se accusantem de reo opere carnali confessarius scitaretur, an in iis versari dlaceat, quæ alloquia peccans haberet, quos actus motusve exerceret et hujusmodi. »

267. Quær. *An denuntiandus sit confessarius nullo modo sollicitans pœnitentem, sed pœnitenti sollicitanti simpliciter consentiens vel eidem consentiens ob metum ab ipso incussum ?*

Resp. S. Alph. cum pluribus negat ut probabilius; quia Greg. XV et Ben. XIV supponunt sollicitationem saltem indirectam ex parte confessarii, et non merum ejusdem consensum in sollicitationem factam a pœnitente ; sed sententia hodiedum fere communis affirmat denuntiandum esse, ob secundum et nonum Decret. S. C. Inq. a. 1661 quæ S. Alph. ignota erant (1). Quod nonum decretum confirmavit Inst. S. Inq. 1867 sub 2° : « Denuntiare oportet quemcumque sacerdotem... sollicitantem in confessione vel etiam sollicitationi consentientem, quamvis statim dissentientem de turpi materia loqui, illius complementum ad aliud tempus differentem et non præbentem absolutionem pœnitenti. » Nonnulli tamen adhuc opinantur sententiam S. Alph. non esse improbabilem, et decreta memorata interpretantur de mutua sollicitatione (2).

§ II.

De obligatione denuntiandi sacerdotes sollicitantes.

268. *Ex jure positivo ecclesiastico gravissima datur obligatio quamprimum et saltem infra mensem a die cognitæ obligationis, judicialiter denuntiandi quoslibet sacerdotes ad turpia sollicitantes in casibus in jure expressis, nisi justa excuset causa.* Constat ex supra memoratis constitutionibus aliisque documentis Pontificiis. Cf. S. Alph. l. VI, n. 693. — Finis legis denuntiationis, ut advertit Amort, non

(1) Secundum decretum ita fert : « An confessarius sollicitatus, si metu inductus sollicitanti consentiat, sit denuntiandus ? R. esse denuntiandum et opinionem negativam non esse probabilem. »

(2) Cf. Bucceroni, op. cit. n. 29.

est emendatio personæ particularis, sed *securitas publica sacramenti et animarum*, ex castigatione certa tam abominabilis sceleris, et ex metu indeclinabili omnium confessariorum incurrendi gravissima supplicia, etiam actu unico aut semel tantum iterato ; imo etiam *indemnitas Ecclesiæ*, ne scilicet hujusmodi pestes ad officia publica subrepant, quo nihil est nocentius communi Ecclesiæ bono. Cf. S. Alph. l. VI, 686.

Hæc obligatio juris ecclesiastici non urget, si sacerdotes abusi fuerint sacramento confessionis ad sollicitandum ad alia quam luxuriæ peccata, v. g. ad furtum etc., nec etiam si aliis sacramentis abusi fuerint ut ad turpia sollicitarent. In his tamen casibus sæpe adest ex jure naturali obligatio evangelicæ denuntiationis (1).

Justa causa omittendi vel potius differendi denuntiationem est, si ex denuntiatione vere grave damnum denuntianti imminet in vita, fama et rebus temporalibus (2) Ratio est, quia datur jus naturale ad hæc damna præcavenda, contra quod non prævalet jus positivum Ecclesiæ. Si tamen sollicitatio oriretur ex contemptu religionis vel sequeretur animarum pernicies, tunc ratio boni communis et præcavendi damnum Religionis prævalere deberet cuicumque damno privato. Notandum est obligationem denuntiandi penitus non extingui, sed solum suspendi, eamque reviviscere quando cessat causa excusans.

A denuntiatione facienda non excusat incommodum illi intrinsecum, v. g. verecundia pœnitentis nec denuntiati infamia, ejusque ira et indignatio incurrenda.

Quod spectat ad infamiam quam pœnitens qui consensit sollicitationi, timeret incurrendam apud judices ecclesiasticos, advertendum est quod pœnitens non teneatur consensum suum manifestare nec desuper possit interrogari.

---

(1) S. Alph. l. II, n. 34-42.

(2) In regionibus infidelium et similium, suspenditur obligatio denuntiandi, quando in illis nulla spes datur puniendi reos, atque mulieres sine periculo et infamia denuntiare nequeunt. Cf. Ballerini, *Opus theol. mor.* t. v. n. 1153.

269. *De pœna qua sancitur obligatio denuntiandi.*

Ex Const. Pii IX *Apost. Sedis*, excommunicationem latæ sententiæ nemini tamen reservatam incurrunt « *Negligentes denuntiare infra mensem confessarios sive sacerdotes a quibus sollicitati fuerint ad turpia in quibuslibet casibus expressis a Greg. XV... et Ben XIV....* »

Huic excommunicationi subjecti solum sunt pœnitentes sollicitati, non vero alii qui ad denuntiationem tenerentur. Ut autem incurratur excommunicatio, necesse est ut sollicitatus noverit obligationem denuntiationis sub pœna excommunicationis faciendæ infra mensem, et ut mensis præterlapsus sit a die cognitæ obligationis, ac demum ut denuntiatio omissa fuerit per negligentiam graviter culpabilem.

Ab hac excommunicatione quivis confessarius absolvere potest, modo pœnitens denuntiaverit, vel sincere promittat se denuntiaturum quam primum poterit.

270. Quær. *Quinam ad denuntiationem tenentur?*

Ad denuntiationem tenentur non solum personæ sollicitatæ, sed etiam illi omnes qui sive immediate sive mediante testimonio personæ fide dignæ, certam notitiam habent sollicitationis, quamvis sub secreto communicatam, modo non sit secretum consilii aut confessionis (1). Porro denuntiare tenentur, sive sollicitatus consenserit sive non, et quamvis delictum occultum sit et juridice probari nequeat (2) et persona sollicitata propter simplicitatem malitiam sollicitationis non intellexerit (3), et quamvis con-

---

(1) S. Alph. l. VI, n. 695. S. C. Inq. a 1661, sub 14, ad quæstionem : « An quis teneatur ad denuntiandum confessarium sollicitantem, si hoc audivit non a fide dignis, sed solum a levibus personis? respondit : Censuerunt opinionem negativam non carere probabilitate. »

(2) Dec. Alex. VII, 24 Sept. 1665.

(3) S. C. Inq. II. Maii 1707, declaravit puellam sollicitatam in simplicitate constitutam, et absque notitia inhonestatis, teneri denuntiare confessarium sollicitantem, postquam compos effecta fuerit et notitiam præteritæ sollicitationis acquisiverit.

fessarius jam sit emendatus, nec ulla præcesserit correctio fraterna (1), -- et quamvis jam longum post sollicitationem effluxerit tempus (2), non tamen post mortem confessarii sollicitantis (3) Persona sollicitata non eximitur ab obligatione denuntiandi, quamvis confessarius ab alio denuntiatus convictus fuisset et punitus (4).

Confessarius sollicitans seipsum denuntiare non tenetur, nec pœnitentem quem sollicitavit monere de obligatione denuntiandi. Pœnitens tamen inde non liberatur ab hac obligatione.

271. Quær. *An obligatio denuntiandi existit in dubio de sollicitatione?*

Resp. 1° Si certa sit sollicitatio, sed dubitetur quisnam ex pluribus confessariis sollicitaverit, censet S. Alph. (n. 702), non dari obligationem denuntiandi, nisi judices facile per suam diligentiam certi fieri possint de persona sollicitantis. Ratio, quia alias sacerdos aliquis, forte innocens, remaneret aliquo modo diffamatus, et in dubio servari illæsa debet fama proximi qui famam suam possidet.

2° Si persona confessarii certa sit, sed dubitetur an facta ejus vel dicta etc, contineant veram sollicitationem (*dubium facti*), vel an sollicitatio facta fuerit cum relatione ad confessionem a Ben. XIV determinata *(dubium juris)*, existimat S. Alph. cum communiori sententia, non dari obligationem denuntiandi. In dubio tamen facti excipit : *a)* si accedant indicia vehementia de sollicitatione, ita ut

---

(1) S. Alph. l. VI, n. 686.

(2) S. Alph. l. VI n. 697.

(3) S. Alph. n. 692.

(4) Certum est denuntiandum esse confessarium, si post denuntiationem novum delictum commiserit. Si autem de eadem sollicitatione agatur, S. Alph. censet probabilius pœnitentem sollicitatum qui nondum denuntiavit, ad id teneri. Bonacina id restringit ad casum quo convictus esset et punitus de sollicitatione alterius pœnitentis. Cf. S. Alph. l. VI, n. 692 Ball. *Opus theol.* v. 5. n. 1130.

moralem certitudinem pariant ; *b)* si verba per se significent sollicitationem, et solum dubitetur an ad pravum finem confessarius ea protulerit ; nam præsumitur finis qui consonat proprietati verborum.

272 *De modo faciendæ denuntiationis.*

Totam hanc quæstionem illustravit Instructio S. C. O. a. 1867.

1° Denuntiatio facienda est apud S. Sedem vel apud loci Ordinarium, i. e. loci in quo versatur pœnitens. Ad ipsum spectat excipere juratam denuntiationem, eamque transmittere ad Ordinarium sacerdotis denuntiati.

2° « Denuntiationis onus est *personale et ab ipsa persona sollicitata adimplendum*. Verum si gravissimis difficultatibus impediatur quominus hoc perficere ipsa possit, tunc per se vel per epistolam, vel per aliam personam sibi bene visam suum adeat Ordinarium, vel Sanctam Sedem per S. Pœnit. vel etiam per hanc Supremam Inquisitionem, expositis omnibus circumstantiis, et deinde se gerat juxta instructionem quam erit acceptura. Si vero necessitas urgeat, se gerat juxta consilia et monita sui confessarii. Ast, si nullo impedimento detenta, denuntiationem omnino renuat, in hoc casu aliisque supra memoratis, laudandus est confessarius qui operam suam pœnitenti non denegaverit, et vel Ordinarium vel Sanctam Sedem pro opportuna providentia consuluerit, suppresso tamen pœnitentis nomine. » Inst. cit. n. 7.

Denuntiatio in forma juris facienda exigit ut sollicitatus personaliter viva voce denuntiet Ordinario ejusve delegato et quidem in judicio cum interventu ecclesiastici viri qui notarii partes teneat etc. (Inst. cit. n. 5). Si id fieri nequeat consulendus est Ordinarius, cui potestas est deputandi ecclesiasticum virum aut confessarium, ad denuntiationem recipiendam juxta instructionem illi communicatam (§ 8). Hisce modis denuntiatio fit in forma juris. Denuntiationes anonymæ contra sollicitantes ad turpia nullam vim habent.

Pluribus in locis moris est, ut denuntiatio fiat sine præscriptis juris formalitatibus, Ordinario monito vel per ipsam personam sollicitatam, vel per epistolam proprio nomine et cognomine subscriptam (1), vel per aliam personam. Cf. Bucceroni, *Comment.* in Const. *Sac. Pœnit.* — Monet S. Alphonsus, n. 699, non expedire, quod confessarius sibi onus assumat denuntiandi loco pœnitentis ; quippe non paucis detractionibus et periculis exponeretur. Excipit tamen casum quo damnum publicum alio modo vitari non posset ; tunc enim ex lege charitatis posset teneri ad illud onus assumendum.

3° De modo judicialiter procedendi in causa sollicitationis tractat Inst. S. C. Inq. a. 1887. Ibidem sub 12° notatur consuetudinem esse S. C. Inq. ut post unam alteramve denuntiationem rescribatur quod denuntiatus observetur et ut suspectus habeatur, et regulariter non nisi a tertia denuntiationem ad judicium procedi, denuntiato in judicium adducto et ad sui defensionem admisso. Pœnæ autem ferendæ sententiæ quibus animadvertitur in sacerdotes certo reos sollicitationis, sunt : interdictio perpetua a confessionibus audiendis, inhabilitas ad Missæ celebrationem, amissio beneficiorum, dignitatum et officiorum, necnon vocis activæ et passivæ, si Regulares fuerint.

Pluribus in locis, solent Ordinarii contra sollicitantes procedere non servata forma stricte judiciaria, sed vel paterna potestate vel ex informata conscientia ; adeoque mitioribus pœnis animadvertere in reos (2).

---

(1) Quando persona sollicitata nec Ordinarium adire nec epistolam scribere potest, ipse confessarius epistolam scribere potest de licentia pœnitentis, omisso tamen nomine denuntiati, ut hic occultus maneat; verum a tertio aliquo rei ignaro illud scribatur sub alio prætextu in charta separata quæ epistolæ includatur. Theol. Mechl. de Cas. reserv. n. 27. Quocumque autem modo denuntiatio fit ope epistolæ, cautissime providendum ut epistola Ordinario reipsa tradatur nec ab alio legatur.

(2) Bucceroni, *Comm.* cit. n. 53.

273. *De falsæ denuntiationis crimine.*

Ad coercendam nefariam improbitatem eorum qui vel odio vel ira vel alia indigna causa commoti, vel aliorum impiis suasionibus aut promissis aut blanditiis aut minis aut quovis alio modo incitati, innoxios sacerdotes falso sollicitationis insimularent, Ben. XIV, in bulla « *Sac. Pœn.* » Sedi Apostolicæ reservavit, excepto mortis articulo, eorum casus « *qui innoxios sacerdotes apud ecclesiasticos judices falso sollicitationis insimulant, vel sceleste procurant, ut id ab aliis fiat.* » (Inst. S. C. J. n. 1) Oportet igitur ut sit denuntiatio judicialis. Reservatio quoad procurantes falsam denuntiationem, tunc solum incurritur quando provocatio, v. g. per mandatum, consilium, fuit causa efficax secutæ injustæ denuntiationis et non fuerit ante denuntiationem efficaciter revocata.

Falsa igitur accusatio apud Ordinarium sacerdotis innoxii de crimine solicitationis, casus est papalis seu pontificius, sine tamen censura. In facultatibus quamtumvis amplissimis absolvendi a casibus et censuris S. Pontifici reservatis, semper excepti sunt casus contenti in Const. *Sac. Pœn.* (2) Hinc a casu reservato falsæ denuntiationis nemo absolvere potest, extra mortis articulum, sine speciali et expressa facultate Sed. Apost. quæ hanc non concedit nisi sub conditione ut parti læsæ fiat satis. Adverte igitur calumniosos denuntiatores non esse absolvendos, nisi calumniam retractaverint apud Ordinarium, et damnum illatum, quantum fieri potest, reparaverint, vel saltem ea quamprimum exsequi serio promiserint.

274. *Officium confessarii quoad pœnitentes sollicitatos.*

1° Si pœnitens declaret se fuisse sollicitatum; *a)* cautissime examinare debet confessarius an pœnitens fide dignus sit,

---

(2) Alter casus in hac bulla contentus est excommunicatio propter absolutionem complicis in peccato turpi. Hæc excommunicatio *specialissime* reservata semper excipitur in facultatibus quamtumvis amplis absolvendi a censuris etiam speciali modi S. P. reservatis.

num odio vel invidia vel aliquo pravo affectu motus sit, num levis vel malitiosus sit, etc. Interdum enim innoxii sacerdotes nefarias calumnias et atroces pœnas passi sunt. Notant auctores dubitandum esse de sinceritate feminæ quæ se nimis promptam et facilem ostendit ad denuntiandum. *b)* Serio perpendat, utrum omnes circumstantiæ adsint requisitæ ad sollicitationem denuntiandam, adhibito, si dubitet, alterius sacerdotis docti et prudentis consilio, quem confessarius consulat salvo sigillo, vel ad quem remittat pœnitentem ; quod quidem junior confessarius præsertim facere debet.

Caveat autem ne nomen denuntiandi exquirat, vel ne per imprudentes interrogationes in ejus notitiam veniat, et moneat pœnitentem de gravitate falsæ denuntiationis.

2° Si extra omne dubium constet adesse casum sollicitationis denuntiandæ, tenetur confessarius pœnitentem, licet in bona fide existentem monere de gravissima ejus obligatione denuntiandi sollicitantem Ordinario. Confessarii qui pœnitentes desuper non monent, lethaliter peccant et puniendi sunt (Inst. S. C. Inq. cit.). Et quidem monere tenetur confessarius etiam si prævideat fore ut pœnitens denuntiare renuat. Denuntiationis enim obligatio urget ob bonum commune, et merito sperari potest pœnitentem, confessario instante et Dei gratia adjuvante, serius saltem facturum esse quod hodie facere renuit. Excipi posset, si instet periculum mortis ; tunc enim monitio inutilis est bono communi procurando, et nociva est bono privato pœnitentis, cum tunc eum in malam fidem et in periculum damnationis injiciat (1).

3° Pœnitentes vere dispositi ad denuntiandum absolvi possunt. Ad prudentiam confessarii spectat judicare utrum ad certius obtinendam denuntiationem expediat nec ne differre absolutionem donec facta fuerit denuntiatio, præsertim si commode differri possit absolutio, et brevi de-

(1) Bucceroni, *Comm. in const. Sac. pœn.* n. 32.

nuntiandi locus et tempus suppetat, et pœnitens magnam difficultatem vincere debeat.

4° Pœnitentes justam causam habentes denuntiationem differendi, absolvi possunt, si eam quo citius faciendam serio promittunt (Inst. cit. n. 5). Iuverit tamen in hoc casu, suppresso nomine pœnitentis, Ordinario exponere naturam causæ excusantis et exquirere quid agendum sit.

5° Pœnitentes admoniti et sine justa causa renuentes denuntiare, absolvi nequeunt. — Laudandus tamen confessarius qui operam suam pœnitenti non denegaverit, expositis omnibus circumstantiis, et suppresso nomine pœtentis, consulendo Ordinarium pro opportuno remedio (1).

6° Pœnitens ob neglectam denuntiationem excommunicatione innodatus, generatim absolvi nequit ante factam denuntiationem ; nisi confessarius merito judicet pœnitentem obligationi suæ satisfacturum esse, præsertim si ratio gravis adsit statim eum absolvendi.

7° Confessarius in excipienda confessione pœnitentis sollicitati vel sacerdotis sollicitantis, attendere debet utrum etiam adfuerit absolutio complicis.

---

(1) Cf. S. Alph. n. 699. Ibidem refert aliquando S. Sedem indulsisse in casu magnæ verecundiæ et panici timoris, ut confessarius absolveret pro ea vice citra onus denuntiandi. Cf. Ball. *Opus theol. mor.* t. v. n. 1151.

APPENDIX III.

De sectarum vetitarum occultis coryphæis ac ducibus denuntiandis.

Multi doctores docebant obligationem denuntiandi occultos coryphæos ac duces sectæ Massonicæ cessare in regionibus in quibus illa secta a potestate civili toleratur, nec ab ecclesiastica potestate puniri et cohiberi potest (v. hunc tractatum p. 307). Hæc autem sententia reformari debet juxta recentissimum S C. Inq. responsum quod sequitur :

Beatissime Pater.

Franciscus Episc. Bayon, ad pedes Sanctitatis tuæ provolutus, suppliciter expostulat :

1° An occulti sectæ massonicæ coryphæi ac duces sint denuntiandi juxta Const. *Apostolicæ Sedis,* quando sunt publice noti ut *liberi muratorii*, sed non sunt publice noti ut coryphæi vel duces hujus sectæ massonicæ ?

3° An denuntiationis obligatio cessat apud eas regiones in quibus *liberi muratorii*, et ideo ipsorum coryphæi a gubernio civili tolerantur et ab ecclesiastica potestate puniri non possunt nec ullo modo cohiberi ?

Feria IV die Aprilis 1893.

In congregatione generali S. R. et U. Inquisitionis ad examen vocatis supra scriptis dubiis, Emi ac Rdi Dni Cardinales in rebus fidei et morum Generales Inquisitores respondendum decreverunt :

Ad 1um : *Affirmative.*

Ad 2um : *Negative.*

APPENDIX IV.

De absolutione a censuris sub pœna reincidentiæ.

Dissentiunt doctores circa obligationem recurrendi ad Sedem Apostolicam sub pœna reincidentiæ in easdem censuras, injunctam pœnitentibus qui in articulo mortis vel in aliquo casu urgentiori absoluti fuerint a censuris S. Pontifici reservatis per sacerdotem facultate speciali non pollentem (cf. supra n. 156, et 107). Controversiæ finem imposuerunt decreta S. R. et U. J., 17 Junii 1891, et 19 Aug. 1891, juxta quæ :

1° Qui in mortis articulo per sacerdotem speciali facultate non munitum absoluti fuerint a censuris S. Pontifici reservatis, tenentur, si convaluerint, recurrere ad S. Pontificem ejusque mandatis obedire, vel novam absolutionem petere ab habente facultatem, sub pœna reincidentiæ in easdem censuras, si absoluti fuerint a censuris *speciali modo* reservatis S Pontifici ; secus vero, si a censuris simpliciter illi reservatis.

2° Pœnitentes vero extra mortis articulum sic absoluti in casibus urgentioribus in quibus absolutio differri nequit absque periculo gravis scandali vel infamiæ, eadem obligatione infra mensem exsequenda tenentur sub pœna reincidentiæ, quamvis censuræ a quibus absoluti fuerunt non sint speciali modo, sed solum simpliciter S. Pontifici reservatæ (1).

---

1. Cf. *Nouvelle Revue Théol.* t. XXIV.

INDEX.

PARS PRIMA.

DE SACRAMENTO PŒNITENTIÆ UNIVERSIM SPECTATO.

CAPUT I. **De veritate sacramenti pœnitentiæ** 2

CAPUT II. **De essentia sacramenti pœnitentiæ** 9

ART. I. De materia remota 10

ART. II. De materia proxima 16

ART. III. De forma 21

§ I. De verbis formæ requisitis ad Sac. pœnit. 22

§ II. De orali prolatione absolutionis in præsentem 27

§ III. De forma absolutionis conditionata. 30

CAPUT III. **De necessitate Sacramenti pœnitentiæ** 33

ART. I. De necessitate medii 34

ART. II. De præcepto divino confessionis. . 35

ART. III. De præcepto ecclesiastico confessionis. 38

CAPUT IV. **De efficacia et effectibus, sacramenti pœnitentiæ** 44

Appendix. De remissione peccatorum venialium. 54

PARS SECUNDA.

DE ACTIBUS PŒNITENTIS.

CAPUT I. **De contritione** 58

ART. I. De contritione in se ut est actus virtutis 58
§ I. De virtute pœnitentiæ . . 58
§ II. De contritione perfecta . . 65
§ III. De contritione imperfecta . . 73
ART. II. De contritione ut est pars sacramenti. 77
§ I. De contritione requisita et sufficienti 77
§ II. De qualitatibus contritionis. . 77
§ III. De proposito non peccandi de cœtero 87
§ IV. De relatione contritionis ad sacramentum pœnitentiæ . . . 96
CAPUT II. **De sacramentali confessione** . . 99
ART I. De divina institutione et necessitate confessionis 100
ART. II. De dotibus seu qualitatibus confessionis. 108
ART. III. De integritate confessionis . . . 113
§ I. De integritate materiali . . 114
§ II. De causis excusantibus ab integritate materiali, seu de integritate formali. 139
§ III. De mediis procurandi integritatem confessionis. 151
CAPUT III. **De satisfactione** 166
ART. I. De satisfactione in genere. . . 173
ART. II. De satisfactione sacramentali . . 174
§ I. De injunctione satisfactionis sacramentalis 174
§ II. De qualitate satisfactionis injungendæ. 180
§ III. De quantitate satisfactionis injungendæ 186
§ IV. De satisfactionis impletione . 190

PARS TERTIA.

DE MINISTRO SACRAMENTI PŒNITENTIÆ.

CAPUT I. **De ministro legitimo sacramenti pœnitentiæ** 197
ART. I. De requisita postestate ordinis . . 198
ART. II. De requisita potestate jurisdictionis . 200
§ I. De necessitate jurisdictionis. . 201
§ II. De jurisdictione ordinaria. . 203
§ III. De requisita approbatione . . 205
§ IV. De jurisdictione delegata . . 211
CAPUT II. **De dotibus et qualitatibus confessarii** 225
CAPUT III. **De officiis seu de obligationibus confessarii** 232
ART. I. De officio et obligatione confessarii ut patris. 233
ART. II. De officio et obligatione confessarii ut medici 234
ART. III. De officio et obligatione confessarii ut doctoris. 236
ANT. IV. De officio et obligatione confessarii ut judicis. 243
§ I. De peccatis dignoscendis . . 243
§ II. De dignoscenda pœnitentis dispositione 253
§ III. De absolutione concedenda vel deneganda vel differenda . . 252
ART. V. De officio confessarii erga varios pœnitentes 268
§ I. De pœnitentibus qui versantur in occasione proxima. . . 268
§ II. De consuetudinariis et recidivis. 299
§ III. De iis qui publicum scandalum dederunt 306

§ IV. De ignorantibus mysteria fidei. 308
§ V. De pœnitentibus obligatis ad restitutionem 310
§ VI. De pœnitentibus venialia tantum confessis 313
§ VII. De puerorum confessione. . 317
§ VIII. De pœnitentibus scrupulosis . 319
§ IX. De moribundis. . . . 325
ART VI. *De sigillo sacramentali.* . . . 332
§ I. De obligatione sigilli. . . 333
§ II. De objecto seu materia sigilli. 338
§ III. De subjecto sigilli . . . 342
§ IV. De violatione sigilli . . . 345
ART. VII. De obligatione corrigendi errores admissos. 356
APPENDIX I. De absolutione proprii complicis. . 365
APPENDIX II. De confessariis sollicitantibus ad turpia 378
APPENDIX III. De sectarum vetitarum occultis coryphæis ac ducibus denuntiandis. . 396
APPENDIX IV. De absolutione a censuris sub pœna reincidentiæ 397

4556

236.4
L139

LAHOUSSE, H.P.
AUTHOR

Tractatus
De Sacramento Poenitentiae
TITLE

DATE LOANED	BORROWER'S NAME	ROOM NUMBER
	Tomer OCT 20	
	Charvet MAY 4	
	STORAGE - CBPL	

4556